



J. Wickham Legg






La tuesse [illegible]

[illegible]

[illegible]

be[illegible]ange à [illegible]

[illegible]



De Seve delin.

BREVIARIUM NOVIOMENSE,

Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris DD. JOANNIS-FRANCISCI DE LA CROPTE DE BOURZAC, Episcopi-Comitis Noviomensis, Paris Franciæ, auctoritate, necnon Venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu, editum.

PARS AUTUMNALIS.



PARISIIS,

Excudebat AUGUSTINUS-MARTINUS LOTTIN, Bibliopola & Typographus Serenissimi Ducis Bituricensis, viâ San-Jacobæâ, propè ædes S. Yvonis, sub signo Galli.

MDCCLXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

adjutorium nostrum in
omine domini; r. qui fe
lum et terram. dominu
obiscum; r. Et cum spir
o. oremus. domine,

su christe panis angelorum
nis vivus æterna vita, be
dicere digneris panem
tum sicut benedixisti
nque panes in deserto ut
es ex eo gustantes inde
poris et animæ percipiant
lutem; qui vivis et regnas
sæcula sæculorum amen.

ro nobis, Sancta dei genitrix,
orum thomam quæsumus felicite
e: ut qui tibi placere desiderat
non valemus genitricis filii

tis ; *decertantibus* (*a*) ſcutum & armatura inexpugnabilis , ægrotantibus medela , *mœrentibus ſolamen* , radix vitæ frugiferæ , ſalutis ac vitæ conciliatrix (*b*).

At verò non permittitur modò, ſed & à Deo miſerante præcipitur. Oportet ſemper orare, & non deficere (*c*). Petite...quærite....pulſate. *Orare jubet Deus , quia impertire amat : orare præcipit Eccleſia , quia geſtit parturire Chriſto & cœlo. Præcipitur vobis quammaximè , Fratres cariſſimi , quos aſſumpſit Deus in partem hæreditatis ſuæ præcipuam : quos* elegit Deus , ut ſtantes coram eo oretis pro filiis Iſrael & pro cunctis peccatis eorum (*d*) ; *quorum* officium in orando Deum pro totius Eccleſiæ (*e*) & populi Chriſtiani proſperitate ſitum eſt ; *quorum eſt denique* pondus populi ſuſtinere viriliter , pro peccatis omnium (*f*),velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicantesDeo, & avertentes iram futuræ animadverſionis à populo.

Quod quidem ut ab omnibus ſanctiùs & faciliùs adimpleretur , leve nobis ad fundendas preces Horarum onus injunxit Eccleſia , (ipſa , quid oremus (*g*) , ſicut oportet, *ordinans ;) atque optavit ſemper ut libri , divina recitandi Officia methodum exhibentes , caſtigatè componerentur , concinnè diſtribuerentur , quò nimirùm* vota , quæ diſtinguerent (*h*) labia noſtra , *Deum honorificarent magìs , ipſique puriùs redderentur.*

Hinc tot Conciliorum Decreta & Sanctiones quibus Epiſcopis demandatur ut , omni curâ & ſollicitudine , Eccleſiaſticorum Officiorum libros expendant diligentiſſimè ; quæ neceſſaria viderint , adjiciant ; quæ ſuperflua , reſecent ; quæ ſuperſtitioſiùs irrepſiſſent , expungant ; quidquid decori divini cultûs aut dignitati minùs congruum eſt , prorsùs amputent.

His porrò Sanctionibus , eâ quâ par eſt religione parere cupientes , id quod tentavêre non pauci Eccleſiæ Gallicanæ Præſules , atque ad felicem perduxêre exitum , aggredi & ipſi decrevimus ; nec ab opere jam ab aliquot an-

(*a*) Greg. Nyſſ. de Oratione ; *Orat.* 1.
(*b*) Chryſoſt. Libr. 1. de Orando Deum.
(*c*) Luc. 18.
(*d*) II. Paralip. 29.
(*e*) *Enchir. in Conc.* Col. Decr. ann. 1536.
(*f*) *Autor Libri* de *Vita* contempl. Sacerd. Libr. 2. cap. 2.
(*g*) *Rom. 8.*
(*h*) *Pſalm.* 65.

nis incœpto, variis aliundè casibus retardato, destitimus quin ex omni parte tandem absolveretur.

Accesserunt vota Cleri nostri totius iterùm atque iterùm exposcentis, ut & cultûs divini majestati & Diœcesis nostræ utilitati, ne dicam necessitati, hâc in parte pro nostra Pastorali sollicitudine provideremus. Neque verò eò nos adduxit novitatis amor, at magnoperè discors in Officii sive privati recitatione, sive publici celebratione varietas: quam quidem & talem Ecclesiasticorum penuria voluminum ita, gementibus nobis, intulerat, ut quot Ecclesiæ, tot ferè libri diversi, tot diversi ritus adhiberentur. Neque minùs impulêre nos ad emendationem Breviarii nostri, jam à centum & triginta quatuor annis editi, ea nec pauca quæ minùs accuratè digesta, atque Religionis majestati consona minùs exciderant, in actis Sanctorum spuria, in Hymnis obsoleta, quandoquè indecora, quibus adeò necesse visum est ea sufficere quæ sapientissimè sancitis ab Ecclesia regulis omninò consentanea proponerentur.

Formam porrò totius operis, singularumque ejus partium artificium, vel in ipso limine velut in tabella brevi delineatum accipite.

Ac primò quidem ita Calendarium institutum est ut inter agmina Beatorum quos tota latè veneratur Ecclesia, statuerimus inserendos esse non paucos, tùm eorum quos ad altaris Sacrificium Ecclesia commemorat, (nonnullorum porrò nomina locum in antiquo Calendario nunquàm *habuerant) tùm plurimorum qui Provinciam aut Diœcesim hanc nostram ortu, prædicatione, virtutibus & sanctitate suâ illustrârunt, quorum & olìm in vetustiori Calendario nomina desiderabantur. Neque hoc sine consilio & plausu accitorum à nobis & delegatorum à Noviomensis Ecclesiæ nostræ Capitulo Canonicorum effectum est: ita nempè decebat eos peculiari cultu prosequi, quos Deus* (in cujus manu sunt (*a*) omnes Sancti) *nobis quasi viciniora sanctitatis exempla concesserat.*

Aliquot etiam detrahere debuimus, ne Festorum numerus excresceret supra modum, neque ullus jam ferè locus Officio Feriali superesset.

Quod à ducentis annis edixit Remense Concilium(*b*), ut totus Psalmorum liber in unaquaque hebdomada recitetur; *& quod jam in Concilio Narbonensi* (*c*) *sancitum*

(*a*) Deuter. 33.
(*b*) Concil. Remens. 1564.
(*c*) Concil. Narbon. 589. can. 2.

[redacted]

erat antiquitùs, ut per majores Psalmos pausationes fierent, & per quamcumque pausationem gloria Trinitatis Domino decantaretur; *hæc Psalterium dividendo præstitimus*.

Dùm singulîs per hebdomadam diebus sua mens attribuitur, & suus inhæret unicuique Officio finis, faciliùs in eo recitando colligitur animus qui, vel ab ipso Invitatorio, de recolendo insigni aliquo Dei beneficio, præmonetur; atque per Hymnos, Antiphonas & Capitula ad eumdem finem redeuntia, redit & ipsa mens, si forsàn erret, aut ad aliena, ut fert levitas humana, rapiatur. Huic autem proposito concordes Psalmi, quantùm licuit, electi sunt; non tamen in Completorio cujus Psalmi, ut par est, deficiente die, pœnitentis animi sensus atque ad summam Dei clementiam unicè confugientis ingenerant.

Habemus è sacris omnia ferè desumpta codicibus, Antiphonas, Versiculos, Capitula, Responsoria: & ista quidem è gemino Veteris & Novi Testamenti contextu collecta ut plurimùm; ut sic consociatis & adunatis, ut ita dicam, cum veritate figuris, cum eventu promissis, mirus admodùm utriusque concentus illucesceret. Neque tamen his ita tenaciter hæsimus, quin Antiphonas aliquandò retinuerimus, quas è sacris Scripturæ fontibus non deductas effuderat olìm pietas erudita, traditio illibata consecraverat.

Lectiones ita selectæ sunt ut è Scriptura sacra (nullo saltem omisso Libro) ea potissimùm loca decerpserimus quæ affectus animi movere magis & mentem utiliùs erudire valeant. Acta Sanctorum ex æqualibus aut melioris notæ auctoribus ad puriores historiæ fontes exacta delegimus: nil nisi ex probatis traditionibus, atque incorruptis rerum gestarum monumentis admittendo; spuria omnia, quæ sub obtentu pietatis olìm irrepserant, amovendo, & ea quæcumque figmentum tantisper redolere visa sunt severâ castigatione resecando. E germanis SS. Patrum & SS. Ecclesiæ Doctorum operibus, atque optimis eorum editionibus ea deprompsimus quibus inesse intelleximus plùs roboris ac documentorum, quæ visa sunt nobis & nutriendæ Pastorum doctrinæ, & *informandis* per *eos populorum moribus aptiora.*

Veteribus Hymnis recentiores plurimos, sacros orantis *gemitus undequaque spirantes*, vi sententiarum, ele

dos esse censuimus. Retinuimus tamen ex antiquis aliquot sincero religionis affectu commendabiles.

Orationes, seu Collectæ, si quandoquè transpositæ sunt, (& id rarò quidem) ideò factum est, ut Evangelio diei magìs apposìtè consonarent; si mutatæ nonnunquàm, vel è Sacramentariis veteribus excerptæ, vel ad piam antiqui styli simplicitatem accommodatæ sunt.

Habetis & præ manibus ad Officium Capituli selectos è Conciliis generalibus, Synodisve Provinciæ aut Diœcesis nostræ Canones, primævam & præsentem-Ecclesiæ, etiam Diœcesanæ, disciplinam exhibentes: & qui mos ubique ferè jam obtinet, hunc & ipsi nobis libentissimè adscivimus.

In Rubricis fieri mutationem aliquam exposcebat prorsùs Officiorum dignitas & ordo novus. Sic & diem Dominicam decere visum est tenere locum inter Festa principem & iis solummodò cedere, quæ tertiam in Ecclesia nostra Classem celebritatis obtinent: sic & è luctuosis Quadragesimalis pœnitentiæ temporibus omne Festum ad alia tempora transferri præcepimus; exceptâ, propter honorem Domini & sanctissimæ Matris ejus, insigniori solemnitate Incarnationis Domini, seu Annuntiationis: sic demùm & ab Octava Omnium Sanctorum, eo tempore quo Sanctos omnes proprio cultu veneratur Ecclesia, Festum omne peculiare Sancti cujuslibet amovendum esse censuimus.

Mandamus autem & præcipimus omnibus & singulis nostræ Diœceseos Ecclesiis, Capitulis, Monasteriis, Collegiis, Communitatibus, necnon omnibus Clericis nostro regimini subditis, ad divinum Officium, sive publicè, sive privatìm astrictis, ut hoc Breviario, auctoritate nostrâ, & de consensu Capituli Ecclesiæ nostræ Noviomensis, edito utantur in posterum; districtè videlicet inhibentes ne aliud quodlibet, sive publicè in Choro, sive privatìm extra Chorum recitare præsumant.

De cetero, Fratres carissimi, opus istud quod amanter offerimus vobis, eâ mente quâ nos elaboravimus &, auxiliante Deo, tandem absolvimus, excipiatis. Novum exhibetur in opere subsidium ad persolvendum supremo Numini laudis omninò debitæ vectigal, novis & pietas Cleri ostri floreat incrementis! Qui reminiscimini Domini *(a)*, ne taceatis & ne detis silentium ei, donec stabiliat,

(a) Is. 62.

[redacted]

& donec ponat Jerusalem laudem in terra. *Sit ita decorum illud orandi pro populo munus, sit vobis levamen & solatium, non onus. Absit ut* fiat in peccatum (*a*), *quod debet esse in medelam & munimentum. Constituti pro populo* in iis quæ sunt ad Deum (*b*), *non opponetis per peccata* nubem (*c*) ne oratio transeat. *At enim ibi* sollicitiùs formidandum (*d*), ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu vereatur. *Sed quid plura? Nempè esset* contumelia Sacerdotum (*e*) de divinis cultibus admoneri; quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. *Hoc & vos in mente habete, Pastores*, arma vestra *esse* orationes (*f*) & lacrymas. Fidite plus orationi (*g*), quàm vestræ industriæ vel labori. Plorantes *autem* (*h*) inter vestibulum & altare, *mementote*, orando vos posse perficere (*i*) quod non possetis docendo suggerere, *eaque tunc & ita potens ad Principem* pastorum *deprecatio vestra dirigetur*, *ut* timeat orationem (*k*) qui contempserit admonitionem. Oro ut caritas vestra magìs ac magìs abundet (*l*), ut sitis repleti fructu justitiæ in gloriam & laudem Dei:

Datum Noviomi, in Palatio nostro Episcopali, die primâ mensis Julii anno millesimo septingentesimo sexagesimo-quarto:

† J. FR. Episc. Com. Noviomensis.

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi DD. Episcopi Comitis Noviomensis, Paris Franciæ,

L'ELEU.

(*a*) Psalm. 108.
(*b*) Hebr. 5.
(*c*) Thren. 3.
(*d*) Gregor. de Cura Past. Part. 1. cap. 11.
(*e*) Greg. Libr. 3. Epist. 5. ad Bonifac. Episc.
(*f*) Conc. Mediolan. 1. P. 2.
(*g*) Bernard. de Consid. Libr. 4. cap. 4.
(*h*) Joël. 2.
(*i*) Autor Libri de Vita contempl. Sacerd. Libr. 1. cap. 17.
(*k*) *Bernard. de Consid. Libr.* 4. cap. ult.
(*l*) *Philipp.* 1.

'ABULA ALPHABETICA

na Sanctorum & Sanctarum, necnon seriem stivitatum quarumcumque cum suo ritu, ?eriarum quoque ac Vigiliarum, ceterorumque Breviarii totiûs Officiorum exhibens.

*ua apud Populum festivantur majoribus notantur caracteribus; ibus autem addita reperitur. hac notula * P. vel * T. designatur esse festum Patroni vel Titularis alicujus loci; quod quidem celebratur ritu Annuali, cum Octava semiduplice, in propria Ecclesia.*

& *Sennen*, mart. *comm.*	30 jul.
, Noviom. episc. *dupl.* 3 *cl.*	27 nov.
, mart. *simpl.*	7 sept.
, abbat. [*in cath. dupl.*] *comm.* * P.	1 sept.
; mart. *comm.*	18 aug.
, virg. & mart. *simpl.*	5 febr.
, virg. & mart. *simpl.*	21 jan.
episc. [*in cath. semid.*] *simpl.*	1 mart.
dis, virg. *comm.* * P.	30 jan.
ri, papæ, *Eventii & Theoduli*, presb. mart. *comm.*	3 maii.
ri, episc. & mart. *simpl.*	5 mart.
, episc. *semid.* * P.	6 febr.
, episc. & eccl. doct. *dupl.*	7 dec.
æ, viduæ & mart. *comm.*	24 nov.
e, apost. *dupl.* 3 *cl.* * P.	30 nov.
um (Michaëlis archang. & omnium SS.) *dupl.* 3 *cl.* * P.	29 sept.
um Custodum, *dupl.*	2 oct.
episc. *simpl.* * P.	17 nov.
matris B. M. V. [*in cath. tantùm*] *dupl.* 2 *cl.*	28 jul.
oachim &) par. B. M. V. [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.*	26 jul.
ΤΙΑΤΙΟΝΙS ΙΝCARNAT. DOMINI *ad* B. M. V. *dupl.* 2 *cl.*	25 mart.
, abb. [*in cath. dupl.*] *semid.* * P.	17 jan.
iris, episc. & mart. *simpl.*	23 jul.
iris (*Timothei* &) mart. *comm.*	23 aug.
læ, virg. & mart. *simpl.*	9 febr.
, mart. *comm.* * P.	18 jul.
ONIS DOMINI, *dupl.* 1 *cl.*	30 apr. - 3 jun.
TIONIS B. M. V. annual. * T.	15 aug.
ii, episc. & eccl. doct. *semid.*	2 maii.
, episc. *semid.*	23 aug.
ri, episc. *comm.* * P.	9 sept.
ii, episc. & eccl. doct. *dupl.*	28 aug.
virg. *comm.*	4 oct.
æ, virg. & mart. *comm.*	4 dec.
e, apost. *dupl.* 3 *cl.*	11 jun.
OLOMÆI, apost. *dupl.* 3 *cl.* * P.	24 aug.
s, *Cyrini*, *Naboris* & *Nazarii*, mart. *comm.*	12 jun.
magni, episc. & eccl. doct. *semid.*	2 jan.
is, viduæ, *semid.*	30 jan.
iæ, virg. & mart. *simpl.* * P.	8 oct.
ti, abbat. [*in cath. dupl.*] *semid.*	11 jul.
li, *abbat. & eccl. doct. dupl.*	20 aug.
abbat. simpl	5 sept.

Blandinæ virg. & *sociorum*, mart. *semid.* 2 jun.
Blasii, episc. & mart. *simpl.* 3 febr.
Bonaventuræ, episc. & eccl. doct. *semid.* 14 jul.
Bricii, episc. *simpl.* * P. 13 nov.
Brunonis, monachi, *semid.* 6 oct.

Cæciliæ, virg. & mart. *simpl.* 22 nov.
Cæsarii, episc. & eccl. doct. *semid.* 27 aug.
Callisti, papæ & mart. *simpl.* 14 oct.
Caroli Borromæi, episc. *dupl.* 9 nov.
Cassiani, episc. *comm.* 5 aug.
Cassiani (*Hippolyti* &) mart. *comm.* 13 aug.
Catharinæ, virg. & mart. *comm.* 25 nov.
Cathedra S. Petri, apost. *dupl.* 3 *cl.* 18 jan.
Celiniæ, mulieris, *simpl.* 21 oct.
Christophori, mart. *comm.* * P. 25 jul.
Chrysogoni, mart. *simpl.* 24 nov.
Cinerum (*feria IV*), 4 febr. - 10 mart.
CIRCUMCISIONIS DOMINI, & IMPOSIT. SS. NOM. JESU, *d.* 2 *cl.* 1 jan.
Claræ, virg. *simpl.* 12 aug.
Claudii, episc. *comm.* 6 jun.
Clementis, papæ & mart. *simpl.* * P. 23 nov.
Cleti, papæ & mart. *comm.* 26 apr.
Clotildis, reginæ francor. & viduæ, *semid.* 3 jun.
Commemorationis S. Pauli, apost. *dupl.* 3 *cl.* 30 jun.
OMNIUM FIDELIUM DEFUNCT. *dupl.* 3 *cl.* 2 *vel* 3 nov.
CONCEPTIONIS B. M. V. *dupl.* 2 *cl.* 8 dec.
Conversionis S. Pauli, apost. *dupl.* 3 *cl.* 25 jan.
Cornelii, papæ, & *Cypriani*, episc. mart. *semid.* 16 sept.
CORPORIS CHRISTI, *dupl.* 1 *cl.* 21 mart. - 24 apr.
Cosmæ & *Damiani*, mart. *semid.* * P. 27 sept.
Crispini, } *Crispiniani*, } mart. *semid.* * P. 25 oct.
Crucis (Inventionis S.) *dupl.* 3 *cl.* * T. 3 maii.
(Exaltationis S.) [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* * T. 14 sept.
Cypriani, episc. *Cornelii*, papæ &) mart. *semid.* 16 sept.
Cyrici & *Julittæ*, mart. *simpl.* * P. 16 jun.
Cyrini, *Naboris* & *Nazarii* (*Basilidis*), mart. *comm.* 12 jun.

Damiani (*Cosmæ* &), mart. *semid.* 27 sept.
Decollationis S. Joannis-Baptistæ, *dupl.* 3 *cl.* 29 aug.
DEDICATIONIS *Ecclesiæ* (secunda Domin. julii), *d.* 1 *cl.* 8 jul.-14 julii.
DEFUNCTORUM (*commem. omnium Fidelium*), *dupl.* 3 *cl.* 2 *vel* 3 nov.
Desiderii, episc. & mart. *simpl.* * P. 23 maii.
Dionysii, episc. *Rustici*, presb. & *Eleutherii*, diac. mart.
[*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *semid.* * P. 9 oct.

DOMINICÆ
1 *cl.* { 1 *Adv. dupl.* / 1 *Quadr. dupl.* / *Passionis, dupl.* / *Palmarum, dupl.* / PASCHÆ, *Ann.* / *In albis, dupl.* 3 *cl.* / *Pentec. Ann.* / *Trin. dupl.* 2 *cl.* }
2 *cl.* { 2, 3 & 4 *Adv.* / 2, 3 & 4 *Quadr.* } *dupl.*
3 *cl.* { *Septuages.* / *Sexages.* / *Quinquages.* } *dupl.*
} *privilegiatæ.*
4 *cl.* *Dominicæ cæteræ per annum. dupl.*

Dominici, presb. *semid.* 4 aug.

·ii, diac. *Dionysii*, episc. *Rustici*, presb. & mart.
ath. dupl. 2 cl.] *semid.* 9 oct.
nis (*Inventionis* &) *Corporis* S. *Quintini* [*Sanquintini* 1 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* 3 jan.
Nov. episc. *Dormitionis*, *annual.* * P. 1 dec.
·*dinationis*, *dupl.* 3 *cl.* * T. 14 maii.
·*anslationis primæ*, [*in cath. tantùm*] *dupl.* 3 *cl.* 19 jan.
ANSLATIONIS seu *Translationum omnium*, *dupl.* 1 *cl.* 25 jun.
IÆ DOMINI, *dupl.* 1 *cl.* 6 jan.
virg. & mart. *comm.* * P. 10 dec.
Nov. episc. *semid.* 10 sept.
e, virg. & mart *comm.* 16 sept.
, episc. & mart. [*in cath. dupl.*] *comm.* 30 apr.
Theoduli, presb. (*Alexandri*, papæ) mart. *comm.* 3 maii.
nis S. Crucis, [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* * T. 14 sept.

, papæ. [*in cath. comm.*] *semid.* 20 jan.
Volani, presb. *comm.* 14 jan.
is (*Perpetuæ* &) mart. *simpl.* 7 mart.
is (*septem Fratrum* &) mart. *simpl.* 10 jul.
priv. { *Vigilia Natalis Domini.* *Feria iv Cinerum.* *Feriæ omnes à Domin. Palm. ad Dom. in albis & à Vigil. Pentec. ad Trinit.* }
a priv. { *Feriæ omnes Adv. & Quadr.* *Feria Rogat.* *Feria vj post. Oct. Ascens.* *Feria iv Temp.* }
·*ivileg.* *Feriæ omnes temp. Pasch.*
on priv. *Feriæ omnes per annum.*
, solitarii, *simpl.* 30 aug.
virg. & mart. *comm.* 6 oct.
i, abbat. *comm.* 20 aug.
, episc. & mart. *semid.* 25 sept.
·*i Assisinatis*, justi, *semid.* 4 oct.
·*i de Paula*, justi, *semid.* 10 maii.
·*i Salesii*, episc. [*in cath. dupl.*] *semid.* 29 jan.
·*i Xaverii*, presb. *semid.* 2 dec.
abb. [*Peronæ annual.*] *dupl.* * P. 16 jan.
i, *Victorici* & *Gentiani*, mart. *semid.* 11 dec.

rum B. M. V. [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* 22 aug.
ici, episc. *simpl.* * P. 11 aug.
·*di*, episc. *comm.* 4 sept.
, mart. *comm.* 25 aug.
fæ, virginis, *semid.* * P. 4 jan.
ii (*Fusciani*, *Victorici* &) mart. *semid.* 11 dec.
, mart. *comm.* * P. 23 apr.
ni, *Autissiodorensis* episc. [*in cath. dupl.*] *semid.* * P. 31 jul.
ni, *Parisiensis* episc. *simpl.* * P. 28 maii.
dis, virginis, *simpl.* 4 mart.
ii & *Protasii*, mart. *semid.* 19 jun.
i, episc. *simpl.* 13 febr.
ERTÆ, virg. [*Noviomi festivatur*, *dupl.* 2 *cl.*] *d.* 3 *cl.* * P. 5 maii.
·*idi*, episc. *comm.* 9 nov.
·*ii magni*, papæ & eccl. doct. *dupl.* 3 sept.
·*ii Nazianzeni*, episc. & eccl. doct. *semid.* 9 maii.

elandi, abbat. *semid.* 21 nov.
mi, presb. & eccl. doct. *dupl.* 30 sept.

[redacted]

Hilarii, episc. & eccl. doct. *dupl.* * P. 14 jan.
Hippolyti & *Cassiani*, mart. *comm.* 13 aug.
Hunegundis, virg. *simpl.* 26 aug.

Ignatii, episc. & mart. *semid.* 1 febr.
Ignatii Loyolæ, presb. *semid.* 30 jul.
INCARNATIONIS DOMINI, *dupl. 1 cl.* 25 mart.
Innocentium, mart. *dupl.* 28 dec.
Inventionis S. Crucis, *dupl.* 3 *cl.* * T. 3 maii.
Corporis S. Quintini, mart. *d.* 3 *cl.* [*Sanquint. d. 1 cl.*] 3 jan.
S. Stephani, protomartyris, *semid.* 3 aug.
Irenæi, episc. & eccl. doct. mart. *semid.* 27 jun.

JACOBI Alphæi & *PHILIPPI*, apost. *dupl.* 3 *cl.* * P. 1 maii.
JACOBI Zebædei, apost. *dupl.* 3 *cl.* * P. 25 jul.
JESU, *D. N. INCARNATIONIS*, *dupl.* 2 *cl.* 25 mart.
NATIVITATIS, *annual.* 25 dec.
CIRCUMCISIONIS & *IMPOSIT. SS. NOMINIS*, *dupl.* 2 *cl.* 1 jan.
PRÆSENTATIONIS & *PURIFICAT. B. M. V.* *dupl.* 2 *cl.* 2 febr.
EPIPHANIÆ, *dupl.* 1 *cl.* 6 jan.
Baptismi, *dupl.* 3 *cl.* 13 jan.
Transfigurationis, *dupl.* 3 *cl.* 6 aug.
RESURRECTIONIS seu *PASCHÆ*, *annual.* 22 mart.-25 apr.
ASCENSIONIS, *dupl.* 1 *cl.* 30 apr.- 3 jun.
Ultimi Adventûs, *dupl.* 3 *cl.* 7 maii-10 jun.
CORPORIS CHRISTI, *dupl.* 1 *cl.* 21 maii-24 jun.
SACERDOTII, *dupl.* 3 *cl.* 29 maii-31 jun.
SS. NOMINIS (Dominic. 3 post Pentec.) [*in cath. tantùm*] *dupl.* 2 *cl.* 31 maii- 4 jul.
Joachim & *Annæ*, parent. B.M.V. [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* 26 jul.
JOANNIS-BAPTISTÆ NATIVITATIS, *dupl.* 2 *cl.* * P. 24 jun.
Decollationis, *dupl.* 3 *cl.* 29 aug.
JOANNIS, *Apostoli & Evangel. Diei Natalis*, *dupl.* 3 *cl.* * P. 27 dec.
Martyrii ad Port. Lat. *semid.* 6 maii.
Joannis & *Pauli*, mart. *comm.* 26 jun.
Joannis Chrysostomi, episc. & eccl. doct. *simpl.* 27 jan.
Josephi, sponsi B. M. V. [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* * P. 15 jan.
JUDÆ (*SIMONIS* &), apost. *dupl.* 3 *cl.* 28 oct.
Juliæ, virg. & mart. *simpl.* 21 jul.
Julittæ (*Cyrici* &), mart. *simpl.* 16 jun.

Lamberti, episc. & mart. *simpl.* * P. 17 sept.
LAURENTII, diacon. & mart. *dupl.* 3 *cl.* * P. 10 aug.
Lazari, *Mariæ* & *Marthæ*, Christi Hospitum, *dupl.* * P. 2 sept.
Leodegarii, episc. & mart. *comm.* * P. 2 oct.
Leonardi, solitarii, *simpl.* * P. 14 nov.
Leonis magni, papæ & eccl. doct. *dupl.* 10 nov.
Lini, papæ & mart. *comm.* 23 sept.
Lucæ, evangel. *dupl.* 3 *cl.* 18 oct.
Luciæ, virg. & mart. [*in cath. dupl.*] *comm.* 13 dec.
Luciani, mart. *comm.* 8 jan.
LUDOVICI, fr. reg. [*festiv. Noviomi & Sanq. d.* 2 *cl.*] *d.* 3 *cl.* 25 aug.
Lupi, Senonensis, episc. [*in cath. comm.*] *simpl.* * P. 1 sept.
Lupi, Trecensis, episc. *simpl.* 29 jul.

Maclovii, *episc. simpl.* * P. 15 nov.
Magdalenæ (*Mariæ*), *dupl.* 3 *cl.* * P. 22 jul.
Mamantis, mart. *comm.* 17 aug.
Mamerti, *episc.* (*feriâ* 2 *rogationum*), *comm.* 27 apr.-31 maii.
Marcelli, *papæ*, *comm.* * P. 16 jan.

Marcelli, mart. *ſimpl.*	4 ſept.
Marcellini, presb. & *Petri*, exorciſt. *comm.*	2 jun.
Marci, evangeliſtæ, *dupl.* 3 *cl.*	25 apr.
Margaretæ, virg. & mart. [*in cath. dupl.*] *ſimpl.* * P.	20 jul.
MARIÆ (Beatæ) Virginis *CONCEPTIONIS*, *dupl.* 2 *cl.*	8 dec.
NATIVITATIS, *dupl.* 2 *cl.* * T.	8 ſept.
Præſentationis, *dupl.* 3 *cl.*	21 nov.
ANNUNTIATIONIS, *dupl.* 2 *cl.*	25 mart.
Viſitationis, *dupl.* 3 *cl.*	2 jul.
PURIFICATIONIS, *dupl.* 2 *cl.*	2 febr.
ASSUMPTIONIS, *annual.* * T.	15 aug.
Gaudiorum [*in cath. d.* 2 *cl.*] *d.* 3 *cl.*	22 aug.
Mariæ Ægyptiæ, pœnitentis, [*in cath. dupl.*] *ſemid.*	29 apr.
Mariæ, *Marthæ*, } & *Lazari*, Chriſti Hoſpitum, *dupl.*	2 ſept.
Martialis, epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P.	1 jul.
Martini, epiſc. *Depoſitionis*, *dupl.* 3 *cl.* * P.	11 nov.
Ordinationis & *Tranſlationis*, *ſemid.*	4 jul.
MATTHÆI, apoſt. & evangel. *dupl.* 3 *cl.* * P.	21 ſept.
MATTHIÆ, apoſt. *dupl.* 3 *cl.*	24 *vel* 25 feb.
Mauri, abbat. *comm.*	15 jan.
Mauricii & *ſociorum*, mart. *ſemid.* * P.	22 ſept.
Maximi, epiſc. *ſemid.*	28 nov.
MEDARDI, Noviom. epiſc. *annual.* * P.	8 jun.
Suſceptionis reliquiarum [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *ſemid.*	20 nov.
Memmii, epiſc. *ſimpl.*	5 aug.
Michaëlis, archangeli, & *omnium SS. Angelorum*, *d.* 3 *cl.* * P.	29 ſept.
Momboli, abbat. *ſimpl.*	18 nov.
Mommoleni, Noviom. epiſc. *dupl.* 3 *cl.*	16 oct.
Monicæ, viduæ, *comm.*	4 maii.
Naboris & *Nazarii* (*Baſilidis*, *Cyrini*), mart. *comm.*	12 jun.
NATIVITATIS B. M. V. *dupl.* 2 *cl.* * T.	8 ſept.
NATIVITATIS S. Joannis-Baptiſtæ, *dupl.* 2 *cl.* * P.	24 jun.
NATIVITATIS DOMINI, *annual.*	25 dec.
Nazarii (*Baſilidis*, *Cyrini*, *Naboris* &), mart. *comm.*	12 jun.
Nicaſii, epiſc. & *ſociorum*, mart. [*in cath. d.*] *comm.* * P.	14 dec.
Nicolai, epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P.	6 dec.
NOMINIS JESU IMPOSIT. & *CIRCUMCIS. DOMINI*, *dupl.* 2 *cl.*	1 jan.
NOMINIS JESU (*SS.*) Dominic. 3 poſt Pentecoſt. [*in cath. tantùm*] *dupl.* 2 *cl.*	31 maii - 4 jul.
Norberti, epiſc. *ſemid.*	6 jun.
Octava Nativitatis Domini, (*dies intra Oct.*) *ſemid.*	25 dec. - 1 jan.
Dies ipſa Octava, *Circumciſ. dupl.* 2 *cl.*	
Epiphaniæ, *ſemid.*	6 - 13 jan.
D. Oct. Baptiſm. Dom. dupl. 3 *cl.*	
Paſchæ, *Fer.* 2 & 3, *d.* 3 *cl. cetera ſemid.*	{ 22 mart. - 28 mart. / 25 apr. - 2 maii.
D. Oct. Domin. in alb. dupl. 3 *cl.*	
Aſcenſionis, *ſemid.*	{ 30 apr. - 7 maii. / 3 jun. - 10 jun.
D. Oct. ultimus Domini Advent. d. 3 *cl.*	
Pentecoſtes, *Fer.* 2 & 3, *d.* 3 *cl. cetera ſem.*	{ 10 maii - 17 maii. / 13 jun. - 20 jun.
D. Oct. hâc die Feſt. SS. Trinit. dupl. 2 *cl. ſine comm. Pentec.*	
Corporis Chriſti, *ſemid.*	{ 21 mart. - 28 mart. / 17 apr. - 24 apr.
D. Oct. Sacerdot. Dom. dupl. 3 *cl.*	
Nativitatis B. M. V. ſimpl.	8 ſept. - 15 ſept.
D. Oct. (*in cath. dupl.*) *ſemid.*	

[redacted]

TABULA SANCTORUM, &c.

Octava *Assumptionis*, *semid.* 15 aug. - 22 aug.
D. Oct. Fest. gaud. (*in cath. dupl. 2 cl.*) *d. 3 cl.*
Omnium Sanctorum, *semid.* 1 nov. - 8 nov.
D. Oct. Vener. reliq. (*in cath. d. 2 cl.*) *d. 3 cl.*
Joannis - Baptistæ, *simpl.* 24 jun. - 3 jul.
D. Oct. semid.
Petri & *Pauli*, apost. *simpl.* 29 jun. - 6 jul.
D. Oct. semid.
Medardi, *semid.* 8 jun. - 15 jun.
D. Oct. dupl.
Eligii, *semid.* 1 dec. - 8 dec.
D. Oct. fit sola comm. propt. Fest. Concept. B. M. V. dupl.
Dedicationis ecclesiæ, *semid.* { 8 jul. - 15 jul. / 14 jul. - 21 jul.
D. Oct. dupl.
Patroni & Titul. cujusque Eccl. semid.
D. Oct. dupl.

OMNIUM SANCTORUM, *dupl.* 1 *cl.* 1 nov.
Ordinationis S. Eligii, *dupl.* 3 *cl.* * T. 14 maii.
Ordinationis & *translationis S. Martini*, episc. *semid.* 4 jul.

Pantaleonis, mart, *simpl.* 27 jul.
PASCHÆ (*Dominica*), *annual.* 22 mart. - 25 apr.
Paulæ, viduæ, *simpl.* 28 jan.
PAULI (*PETRI* &), apost. *dupl.* 2 *cl.* * P. 29 jun.
Pauli (*Conversionis*), *dupl.* 3 *cl.* 25 jan.
Commemorationis, *dupl.* 3 *cl.* 30 jun.
Pauli, eremitæ, *commem.* 10 jan.
Pauli (*Joannis* &), mart. *comm.* 26 jun.
Paulini, episc. *simpl.* 22 jun.
Pecinnæ, virg. *semid.* * P. 26 jun.
PENTECOSTES (*Dominica*), *annual.* 10 maii - 13 jun.
Perpetuæ & *Felicitatis*, mart. *simpl.* 7 mart.
PETRI & *PAULI*, apost. *dupl.* 2 *cl.* * P. 29 jun.
Petri Cathedræ, *dupl.* 3 *cl.* 18 jan.
ad vincula, *semid.* * T. 1 aug.
Petri exorcistæ & *Marcellini*, presb. mart. *comm.* 2 jun.
Petri Alexandrini, episc. & mart. *simpl.* 26 nov.
PHILIPPI & *JACOBI*, apost. *dupl.* 3 *cl.* * P. 1 maii.
Piatonis, mart. *comm.* 1 oct.
Polycarpi, episc. & mart. *semid.* 26 jan.
Pothini, episc. & Sociorum, mart. *semid.* 2 jun.
Præjecti, episc. & mart. *comm.* 25 jan.
Præsentationis B. M. V. dupl. 3 *cl.* 21 nov.
PRÆSENTATIONIS D. & *PURIFICATIONIS B. M. V. dupl.* 2 *cl.* 2 febr.
Praxedis (*Pudentianæ* &) virg. *commem.* 19 maii.
Principii, episc. *comm.* 25 sept.
Protasii (*Gervasii* &) mart. *semid.* 19 jun.
Pudentianæ & *Praxedis*, virg. *comm.* 19 maii.
PURIFICATIONIS B. M. V. & *PRÆSENTATIONIS D. d.* 2 *cl.* 2 febr.

Quadraginta Militum Sebastenorum, mart. *simpl.* 9 mart.
Quadraginta-quinque Martyrum Lugdunensium, *semid.* 2 jun.
Quatuor tempora. *Feriâ iv, vj & Sabb.*
post { *Dominic.* 3 *Adv.* / *Dominic.* 1 *Quadr.* / *Dominic. Pentec.* / *Festum exalt. S. Crucis.*
Quintini, mart. [*Sanquintini annual.*] *dupl.* 3 *cl.* * P. 31 oct.
Inventio & elevatio Corporis, [*Sanquint. d.* 1 *cl.*] *d.* 3 *cl.* 3 jan.

VIGILIÆ	*Nativitatis Domini (cum jejunio).*	24 dec.
	Epiphaniæ (sine jej.)	5 jan.
	Pentecost. (sine jej.)	9 maii-13 jun.
	S. Joann. Bapt. (cum jej.)	23 jun.
	SS. Petri & Pauli (cum jej.)	28 jun.
	S. Laurentii (cum jej.)	9 aug.
	Assumptionis B. M. V. (cum jej.)	14 aug.
	S. Matthæi (cum jej.)	20 sep.
	SS. Simon. & Jud. (cum jej.)	27 oct.
	Omnium SS. (cum jej.) [Sanquint. 30 Oct.]	31 oct.
	S. Andreæ (cum jej.)	29 nov.
Vincentii, mart. *semid.*		22 jan.
Vincentii à Paulo, Presb. *semid.*		19 jul.
Vindiciani, episc. *simpl.*		3 mart.
Visitationis B. M. V. dupl. 3 cl.		2 jul.
Xysti, papæ & mart. *comm.*		6 aug.
Yvonis, presb. *simpl.*		19 maii.

Finis Tabulæ Sanctorum.

CORRIGENDA *in hac Parte Autumnali.*

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Errata.*	*Corrigenda sic.*
93	*Titul.*		*ad Completorium.*	*ad Completorium.* 93
179	2	28	péndere totam	pendére totam
187	1	26	℟. Vos. *p.* 356	℟. Vos. *p.* 176
353	1	28	Tanti passi estis	Tanta passi estis
372	2	5	remanéres Ephési	remanéres Ephesi
373	2	24	citò sanavi?	citò sanávi.
373	1	34	*Serm.* 715	*Serm.* 175
377	1	11	fábula devíta	fábulas devíta
383	1	16	memóram tuî	memóriam tuî
383	2	9	ut ne velut	uti ne velut
386	2	12	intellígitur, quod	intellígitur quòd
xiv	2	38	máximo Fílio;	máxima Fílio;
lj	2	34	ómnia lúdicra:	ómnia lúdicra
lxxxvij	*Rubric.*	5	*dignitate cujusque*	*dignitatis cujusque*
cxxj	*Titul.*		*Officium S. Elegii*	*Officium S. Eligii*

CASUS RESERVATI SANCTISSIMO Domino nostro Papæ, qui omnes annexam habent Excommunicationis censuram, propter quam reservantur.

I. INCENDIUM *ædium sive sacrarum sive profanarum*; modò reus ab Ecclesia excommunicatus ac juridicè denuntiatus fuerit.

II. *Effractio simul & spoliatio Ecclesiæ*; modò reus pariter excommunicatus & denuntiatus fuerit.

III. *Injectio violenta & injusta manûs in Clericum vel Religiosum*: si tamen atrox fuerit & enormis, hoc est juncta cum morte, aut membri alicujus mutilatione, aut ossis confractione, aut copiosâ sanguinis, aliundè tamen quàm ex naribus effusione, aut contumeliâ maximè injuriosâ: de cujus atrocitate in casu dubii judicium penès Nos erit. Idem dicendum est de ea quæ fit in Episcopum vel Prælatum, licèt gravis duntaxat sit.

IV. *Simonia in Ordine vel Beneficio realis*, id est, ex utraque parte completa, si tamen publica aut notoria sit. Item Confidentia, licèt merè conventionalis, publica pariter ac notoria.

V. *Delatio armorum ad partes Infidelium.*

VI. *Falsificatio Bullarum seu Litterarum Summi Pontificis.*

VII. *Invasio, deprædatio, occupatio, devastatio Terrarum S. R. Ecclesiæ.*

VIII. *Violatio Interdicti à sancta Sede Apostolica impositi.*

Si qui sint alii casus Summo Pontifici reservati, raro nostris in regionibus contingunt. Ab iis autem omnibus, si occulti sint, possunt Episcopi & ceteri, quibus potestatem circa reservatos dant, quoslibet absolvere; insuper (non obstante eorum notorietate) Moniales, conjugatas, viduas, puellas, pauperes, senes, valetudinarios, ac denique omnes quibus, salvâ, vitâ, sanitate, libertate, aut rebus suis, Romam adire non licet.



CASUS OMNES AC SOLI NOBIS reservati, & in Synodo generali habita Noviomi, die septimâ mensis Octobris 1738. promulgati.

CONTRA I. DECALOGI PRÆCEPTUM.

I. BLASPHEMIA *gravis & publica*, quandò quis, scripto vel vocibus, Deo aut Sanctis insignem contumeliam palàm & publicè infert; sive attributis justitiæ, verbi gratiâ, aut providentiæ ejus derogando; sive aliquid injuriosum, ut ignorantiam aut crudelitatem ei affingendo; sive eum maledictis, imprecationibusve impetendo; sive (quod adhuc deterius est) eum apertè & expressè renegando.

Hic casus specialiter reservatur.

Quamvis autem detestanda omninò sint, & ad blasphemiam proximè vergant juramenta per Deum, Christi mortem, sanguinem, membra, &c. in quæ irati præsertim prorumpere solent, ea tamen ab omni reservatione eximimus; sicut & corruptas ac dimidiatas voces Deo aut Sanctis injuriosas, nisi proferantur publicè & cum motu externo qui contemptum vel indignationem adversùs eos directè & expressè enuntiet; ut si quis, ita jurando vel renegando, oculos manusve in cœlum aut aliquam Christi imaginem impiè contorqueat.

II. MAGICÆ *artis exercitium, aut recursus quilibet ad eam exercentes.* Magiæ autem nomine hîc intelligenda, præsertim veniunt philtrum, sortilegium, maleficium, ligulæ nodatio, incantatio, divinatio; hoc est, prædictio rerum futurarum; vel occultarum quæ lumini naturali imperviæ sunt, detectio: necnon maleficiorum solutio, & morborum quibus homines vel animalia vexantur, curatio, quæ per expressum aut implicitum cum dæmone pactum fiunt. Implicitum porrò pactum illud fieri censetur, quandò quis, prædictorum causâ & intuitu, adhibet seriò schedulas, aut verba sive profana, sive sacra, aut preces, aut signum Crucis, aut ritum aliquem

seu medium, nullam ex institutione divina seu eccl
stica, vel ex naturæ viribus cum effectu intento (etia
indè secutus minimè fuerit) connexionem haben s : .
ignorantiâ probabili, aut simplicitate nimiâ, aut jocai
voluntate, à qua nihilominùs hâc in parte diligen
abstinendum est, excusetur.

III. *Hæresis*, quâ quis fidei veritatem & ab Eccle
ut talem propositam, scripto vel voce non dubitante
sed ex animo & cum pertinacia impugnat, vel errore
ipsi apertè contrarium asserit. Item *apostasia* seu infide
litas, quâ Christum fidemque christianam jam susceptan
penitùs abnegat. Tandem *societas* cum Hæreticis, quandò quis, cum periculo subversionis in fide, eorum concionibus seu cæremoniis interest.

Reservantur specialiter & hæresis, & apostasia & societas prædicta. Insuper apostasia & hæresis quoties aliquo exteriori signo manifestantur, annexam habent ipso facto censuram excommunicationis, quæ Nobis reservata manet; si quis eas publicè profiteri, aut Hæreticorum Infideliumve cœtibus, mente tamen perversâ, & approbandi causâ, etiam occultè, interesse ausus fuerit. Eumdem quoque casum simul & censuram Nobis specialiter reservatam ipso facto incurrunt qui libros hæreticos, aliosve ab Ecclesia, aut specialiter in hac Diœcesi sub prædictis pœnâ & reservatione prohibitos legunt vel retinent.

IV. *Sacrilegium*, tùm eorum qui sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum (aliter tamen quàm indignè communicando, aut consecrando, aut ministrando) vel venerandas Sanctorum reliquias aliquâ insigni contumeliâ afficiunt : tùm eorum qui prædicto Sacramento, aut aliis rebus sacris seu benedictis, ad maleficia vel magicam artem impiè abutuntur : tùm eorum qui res prædictas in quolibet loco, vel quaslibet alias (si tamen valoris sint notabilis, & qui ad peccatum mortale sufficiat)in loco sacro scienter furantur; tùm denique eorum qui sacras Ædes animo furandi aut spoliandi, etiam non secuto effectu, effringunt.

Reservatur specialiter : at duntaxat in capite primo profanationis scilicet sacrosanctæ Eucharistiæ.

V. *Simonia occulta in Ordine vel Beneficio* : si non completa sit, saltem ex parte alterutrius, qui

ficium aut pretium partemve pretii tradidit, aut pactam conditionem implevit. *Confidentia* pariter occulta, licèt merè conventionalis, quâ quis dat & alter acceptat Beneficium, eâ lege ut titulus condicto tempore cedatur, vel ut dans, seu quilibet alius, fructus partemve fructuum percipiat.

Excommunicationem habet ipso facto annexam hujusmodi Confidentia, quam non habet Simonia, nisi sit realis, & ex utraque parte completa. At utrumque peccatum reservatur specialiter.

Contra II. Decalogi præceptum.

VI. *PERJURIUM coram competenti & legitimo Judice vel ejus Delegato*, quandò quis, sive in propria, sive in aliena causa ab eo juridicè interrogatus, & præstito de veritate dicenda juramento, scienter falsum affirmat, vel verum negat, vel illud malignâ tergiversatione, aut æquivocatione dissimulat, vel tanquam certum asserit id de quo dubitat. Perjurium similiter commissum coram Notario publico bona alicujus defuncti vel defunctæ recensente, seu, ut aiunt, Inventarium conficiente.

Contra IV. Decalogi præceptum.

VII. *PARRICIDIUM, seu etiam gravis percussio patris aut matris, ceterorumve ascendentium.* Idem dicendum est de gravi, quæ eis facto tamen irrogatur, injuriâ; verbi gratiâ, eos furiosè persequendo, luto sputisve conspergendo, crines evellendo, aut aliâ æquivalenti.

Reservatur specialiter : at in primo duntaxat capite, morteque secutâ.

Contra V. Decalogi præceptum.

VIII. *HOMICIDIUM voluntarium* : id est, ex animi proposito patratum; aut etiam casuale, ex opera tamen data peccato mortali, ex quo illius periculum probabiliter secuturum prævideri potuit ac debuit : quod non raró ebriis & irâ percitis contingit.

IX. *DUELLUM* : cùm duo vel plures, privatâ auctoritate, & condictâ quoad tempus & locum pugnâ, secum invicem cum vitæ periculo decertant. Item ad illud pro-

vocare, aut oblatum acceptare, aut alicui suadere, vel etiam libellum provocationis scienter deferre, vel ei instar patroni comitisve ad favendum interesse, vel denique certaturis auxilium quodlibet præbere, etsi pugna reipsâ non secuta fuerit.

Excommunicationem habet ipso facto annexam, sed solummodò pugnâ secutâ: at sive secuta fuerit, sive non, peccatum reservatur specialiter.

X. *OPPRESSIO seu suffocatio parvulorum*, quamvis ex sola incuria, modò sit notabilis, qualis vulgò præsumitur in parentibus, nutricibus, &c. quæ infantulos, nondùm annum secundum agentes, secum in eodem cubili ad decumbendum collocant.

XI. *PROCURATIO abortûs, fœtûs etiam inanimati*, modò de industria & ex intentione eum causandi fiat. Ad hoc pariter consensum, consilium, potiones, pharmaca, medicamenta auxiliumve quodlibet scienter præstare.

XII. *VIOLENTA & injusta injectio manûs in personam Deo per religiosam professionem aut sacros Ordines dicatam, facta vel mandata.* Hujus autem injectionis nomine, non solùm percussionem gravem intelligimus, sed etiam læsionem ignominiosam, seu contumeliam prædictis personis, facto tamen irrogatam, ut in casu septimo.

Excommunicationem habet ipso facto annexam, & quidem reservatam Summo Pontifici, si sit atrox & enormis, ut dictum est casu tertio.

Contra VI. Decalogi præceptum.

XIII. *NEFANDUM & contra naturæ dictamen scelus Sodomiæ, sive propriè, sive impropriè dictæ:* inter personas scilicet ejusdem vel diversi sexûs, maritum etiam & uxorem, non modò consummatum, sed etiam tentatum eo actu qui per se & proximè ad consummationem tendit. Item & pari modo, (quod adhuc gravius est,) *crimen bestialitatis.*

XIV. *CONCUBITUS personæ Deo, per solemne castitatis & religionis votum dicatæ, & vicissim* complicis *ejus, cujuscumque statûs & conditionis fuerit.*

XV. CONCUBITUS, vel etiam tactus per se tamen & e:

[redacted]

natura suâ obscœnus Confessarii cum pœnitente, id est, cum persona cujus confessionem sacramentalem etiam semel excepit, & vicissim pœnitentis cum Confessario.

Norint autem Sacerdotes quilibet prædicti concubitûs aut tactûs conscii, sibi ipso facto & quovis tempore (excepto duntaxat mortis articulo) lege præsenti ademptam esse facultatem complicem suam vel suum ab iis absolvendi, quamcumque anteà obtinuerint, vel postmodùm obtineant à reservatis absolvendi potestatem. Insuper ut ab andienda deinceps eorum confessione pro ceteris quibuslibet peccatis, quantùm in ipsis erit, semper abstineant, salubriter monemus & hortamur.

XVI. *Incestus in primo vel in secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis, sive per licitam sive per illicitam copulam contracta, quoad lineam collateralem; & in gradu quocumque, quoad lineam rectam.* Quo in casu reus vel rea jus exigendi debitum à sua vel suo conjuge ipso facto amittit, donec illi per specialem dispensationem restitutum fuerit, quæ tamen inclusa censebitur in facultate quam dabit Superior absolvendi ab incestu sibi specialiter declarato.

Reservatur specialiter, in primo tamen gradu duntaxat.

XVII. *Incestus spiritualis*; id est, concubitus inter personas affinitate spirituali conjunctas. Ac 1. quidem inter personam baptizatam & personam baptizantem. 2. Inter patrinum & matrinam ex una parte, & personam baptizatam ex altera. 3. Denique inter baptizantem, patrinum & matrinam ex una parte, & patrem ac matrem personæ baptizatæ ex altera.

XVIII. *Adulterium quodlibet, etiam simplex*, conjugati scilicet vel conjugatæ cum soluto vel soluta; si tamen notorium sit.

XIX. *Concubinatus pariter notorius*: quo nomine intelligitur Concubitus frequens & assuetus soluti cum soluta, qui sibi invicem, instar mariti & uxoris, sive in iisdem, sive in diversis ædibus, notoriè adhærent.

XX. *Raptus*; cùm mulier vel puella honestè vivens, sive invita, sive invitis ejus aut patre aut matre, aut marito, aut aliis in quorum potestate est, ad matrimonium contrahendum, vel ad explendam libidinem, abducitur.

Excommunicationem habet ipso facto annexam, si matrimonii intuitu fiat, cui subjiciuntur omnes consilium,

auxilium favoremve præstantes : at in utroque capite reservatur specialiter.

XXI. *VIOLATIO mulieris aut puellæ*, id est, copula illicita per vim, non autem per promissiones aut blanditias ab iis extorta.

XXII. *MATRIMONIUM contractum scienter, vivente adhuc priori marito vel uxore.*

XXIII. *MATRIMONIUM contractum per verba de præsenti aliter quàm coram Parocho, Vicario, aliove Sacerdote ab ipsis vel à Nobis deputato, simul & quatuor testibus.* Item matrimonium per prædicta verba contractum quidem coram Parocho, sed absque illius benedictione quamvis petitâ.

Excommunicationem habet ipso facto annexam & reservatam in hoc ultimo casu Statutis Synodalibus anni 1673 : at in utroque peccatum reservatur specialiter.

Ad prædictum caput referri possunt, tanquàm libidinis incentiva.

XXIV. *EBRIETAS Clerici in sacris ordinibus vel beneficiis constituti* : si tamen Clericus ex nimia & immoderata potatione fiat rationis impos.

XXV. *USUS carnium aut etiam juris è carnibus expressi* ; quibus, absque necessitate, diebus ab Ecclesia prohibitis, quis vescitur. Antiquam autem & à sacris Canonibus præscriptam praxim adeundi Superiores, etiam in prædicto necessitatis casu, & licentiam ab iis petendi, accuratè servari præcipimus.

XXVI. *INGRESSUS absque licentia nostra personarum extranearum cujuscumque sexûs intra septa Monialium, vel feminarum intra septa Monachorum*, etsi pars aliqua septorum vetustate aut aliter diruta jaceat.

Excommunicationem habet ipso facto annexam quoad septa Monialium duntaxat : at in utroque casu peccatum reservatur specialiter.

Contra VII. Decalogi præceptum.

XXVII. *INCENDIUM domûs seu areæ alienæ, etiam occultum*, quamvis solummodò mandatum aut tentatum, *animo scilicet nocendi.*

Reservatur specialiter.

[redacted]

XXVIII. *Usura realis*, id eſt, exactio lucri ex mutuo ultra ſortem creditam, ſive in pecunia, ſive in frugibus, ſive in quibuſlibet rebus aliis pretio æſtimabilibus, ſolutione vel in toto vel in parte ſecutâ; ſi tamen uſura notoria ſit.

XXIX. *Exactio vini ſeu pecuniæ, occaſione ſponſaliorum aut matrimonii*, non importunis precibus, ſed per vim, aut minas, aut detentionem ſponſi vel ſponſæ, extorti; ſi tamen ſolutio in toto vel in parte ſecuta fuerit.

Reſervatur ſpecialiter.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam Statutis Synodalibus anni 1673, ob innumeras quæ ex ea ſequi ſolent, ebrietates, rixas, homicidia, &c. Peccatum etiam reſervatur ſpecialiter.

ADMONITIONES.

I. NUllum peccatum reſervatur niſi ſit mortale. Nullum etiam reſervatur, quandò ſolâ cogitatione admiſſum eſt, vel quandò à pueris committitur ante annum decimum quartum, aut à puellis ante annum duodecimum.

II. Nullum peccatum, nullaque cenſura in articulo mortis eſt reſervata: ſi verò æger convaleſcat, debet pro cenſuris adire Superiorem.

III. Nullus Sacerdos hæreticum publicum abſolvat, niſi de licentiâ D. D. Epiſcopi, eâque ſcripto expreſſâ.



FORMA ABSOLUTIONIS,

Cum precibus ante & post eam à Sacerdote dicendis.

MIsereátur tuî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

INdulgéntiam, absolutiónem † & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus.


Amen.

DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, per suam piíssimam misericórdiam te absolvat; & ego, auctoritáte ipsíus, mihi licèt indigníssimo concessâ, absolvo te imprímis à vínculo excommunicatiónis, (*si pœnitens sit Clericus, additur,* suspensiónis) & interdícti, in quantum possum & índiges. Deindè ego te absolvo ab omnibus peccátis tuis, in nómine Patris †, & Fílii, & Spíritûs sancti.

Amen.

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis & ómnium Sanctórum, suffrágia sanctæ Matris Ecclésiæ, & quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, váleant tibi in remissiónem peccatórum tuorum, in augmentum grátiæ, & præmium vitæ ætérnæ.

Amen.



TABULA TEMPORAR

Ann. Domini	*Aureus Num.*	*Epactæ.*	*Indictio.*	*Litt. Domin.*	*Dom. post Epiph.*	*Septuagesima.*
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Febr.
1765	18	vij	13	f	3	3 Febr.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.
1767	1	*	15	d	5	15 Febr.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.
1770	4	iij	3	g	5	11 Febr.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Febr.
1773	7	vj	6	c	4	7 Febr.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Febr.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Febr.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.
1778	12	j	11	d	5	15 Febr.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.
1781	15	iv	14	g	5	11 Febr.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.
1783	17	xxvj	1	e	5	16 Febr.
1784	18	vij	2	d c	4	8 Febr.
1785	19	xviij	3	b	2	23 Jan.
1786	1	*	4	A	5	12 Febr.
1787	2	xj	5	g	4	4 Febr.
1788	3	xxij	6	f e	1	20 Jan.
1789	4	iij	7	d	4	8 Febr.
1790	5	xiv	8	c	3	31 Jan.
1791	6	xxv	9	b	5	20 Febr.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Febr.
1793	8	xvi	11	f	2	27 Jan.
1794	9	xviij	12	e	5	16 Febr.
1795	10	ix	13	d	3	1 Febr.
1796	11	xx	14	c b	2	24 Jan.
1797	12	j	15	A	5	12 Febr.
1798	13	xij	1	g	3	4 Febr.
1799	14	xxii	2	f	1	20 Jan.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	PASCHA.	*Ascensio Domini.*	*Pentecoste.*	*Festum Corporis Christi.*	*Dom. post Pent.*	*Dom. prima Advent.*
1764	22 April	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov.
1784	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1785	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1786	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1787	8 April.	17 Maii	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1788	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1789	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	25	29 Nov.
1790	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1791	24 April.	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	23	27 Nov.
1792	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1793	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1794	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov.
1795	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	26	29 Nov.
1796	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1797	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1798	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1799	24 Mart.	2 Maii.	12 Maii.	23 Maii.	28	1 Dec.

[redacted]

In sequenti Calendario appositum est, quantùm fieri potuit, tempus quo quisque Sanctus obiit.

Ann. *significat anno.* c. ann. *circa annum.* ſ. *seculo.* c. med. ſ. *circa medium seculi.*

Quibus nihil apponitur, tempus incertum est.

Festa, quæ majoribus caracteribus notantur, festivantur apud populum.

JANUARIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio SS. Nominis JESU, & Octava Nativitatis ejusdem. *Duplex II. Classis.*
xxix	b	iv	2	Basilii magni, Cæsariensis in Cappadocia Episcopi & Doctoris Ecclesiæ: *obiit die 1. Januarii anni 379. Semiduplex.*
xxviij	c	iij	3	Inventio & Elevatio corporis S. Quintini, Martyris. *Duplex III. Classis.* (Sanquintini, *Duplex I. Classis.*) *Inventio prima per sanctam Eusebiam, ann. 341. secunda per S. Eligium, c. ann. 641. Elevatio, ann. 1228. altera coram S. Ludovico & regni proceribus, ann. 1257.*
xxvij	d	Prid.	4	Genovefæ, Virginis Parisiensis: *obiit die tertio anni 512. Semid. Comm.* S. Titi, Cretensis Episcopi. *I. sec.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio.*
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI. *Duplex I. Classis, cum Octava semiduplice & privilegiata.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Thillonis, Monachi, unius è discipulis S. Eligii: *ob. ann. 702.*
xxiij	A	vj	8	De Octava Epiphaniæ, *Semid. Comm.* S. Luciani, Presbyteri & Mart. in agro Bellovacensi, *ann. 290.*
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Vaningi, Comitis Laïci: *ob. ann. 688.*
xxj	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Pauli, primi Eremitæ Thebaidis: *ob. c. ann. 341.*
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ. Semid.
	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ. Semid.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.	JANUARIUS.
xviij	f	Idib.	13 Octava Epiphaniæ, & Baptismus Domini. *Duplex III. Classis.*
xvij	g	xix	14 Hilarii, Pictav. Episcopi & Doctoris Ecclesiæ (è die 13.) *ob. ann.* 368. *Dupl. Comm.* S. Felicis, Nolani, Presbyteri & Confessoris Christi: *ob. c. ann.* 265.
xvj	A	xviij	15 Joseph, Sponsi B. Mariæ Virginis. *Duplex III. Classis.* [IN CATH. *Dupl. II. Class.*] *Comm.* S. Mauri, Abbatis Glannofoliensis: *ob. c. ann.* 600.
xv	b	xvij	16 Fursei, Abbatis Latiniacensis & Patroni Peroneæ civitatis: *obiit anno* 650. *Duplex.* [Peronæ festivatur, *estque Annuale.*] *Comm.* S. Marcelli, Papæ & Confessoris Christi: *obiit ann.* 309, *vel* 310.
xiv	c	xvj	17 Antonii, Abbatis Ægyptii. *ob. c. ann.* 356. *Semid.* [IN CATH. *Dupl.*] *Commemorat.* S. Sulpitii, Bituricensis Episc. *ob. c. ann.* 644.
xiij	d	xv	18 Cathedra S. Petri, tùm Antiochena, tùm Romana. *Duplex III. Classis.*
			Prima Septuagesima. 18.
xij	e	xiv	19 [IN CATH. Translatio prima S. Eligii (è die 9.), *Duplex III. Classis ann.* 881. *Elevatio corporis S. Eligii facta est à S. Mommoleno, ann.* 660.]
xj	f	xiij	20 Fabiani, Papæ & Mart. *c. ann.* 250. *Semid. Commem.* S. Sebastiani, Mart. *c. ann.* 288. [IN CATH. de S. Sebastiano *Duplex. Commem. S.* Fabiani.]
x	g	xij	21 Agnetis, Virginis & Mart. *ann.* 303. *vel* 304. *Simplex.*
ix	A	xj	22 Vincentii, Cæsaraugustani Diaconi, & Martyris Valentiæ in Hispania *ann.* 303. *vel* 304. *Semid.*
viij	b	x	23
vij	c	ix	24 Timothei, Ephesini Episcopi & Mart *c. ann.* 97. *Semid.*
vj	d	viij	25 Conversio S. Pauli Apostoli, *ann.* 34 *vel* 35. *Duplex III. Class. Comm.* S.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies. Mensis.		JANUARII
				Præjecti, Claromontani Mart. ann. 673.
v	c	vij	26	Polycarpi, Smyrnensis E[p] Mart. ann. 169. (è die 2 rii) *Semid.*
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi, Con[stantinopo]litani Episcopi & Doctori[s] *ob. die 14 Septembris ann* *Translatio hâc die ann.* *duplex.*
iij	g	v	28	Paulæ, Viduæ Romanæ. (*ob.* 404. *Simplex.*
ij	A	iv	29	Francisci Salesii, Genevens[is] *ob. die 28 Decembris*, *Semid.* [IN CATH. *Du[p]*
j	b	iij	30	Bathildis, Reginæ Francor[um] duæ : *ob. c. ann.* 680. *Se[mid]* S. Aldegundis Virginis: *o[b]*
*	c	Prid.	31	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies. Mensis.		FEBRUARI
xxix	d	Cal.	1	Ignatii, Antiocheni Episc[opi] [Mar]tyris Romæ, *ann.* 107. Decembris.) *Semid.*
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI I[N] & PURIFICATIO B. M. *Duplex II. Classis.*
xxvij	f	iij	3	Blasii, Sebasteni in Armeni[a] & Mart. *c. ann.* 316.
				Prima sedes Ciner[um]
25. xxvj	g	Prid.	4	
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catanensis Virgi[nis] *c. ann.* 251. *Simplex.*
xxiij	b	viij	6	Amandi, adjutoris S. Eli[gii] jectensis Episc. *ob. c. an[n]* *mid. Comm.* S. Vedasti, trebatensis & Camerac[ensis] *ann.* 539.
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ, Virginis & M[art.] *Simpl.*

Litt. Dom.	Dies Mensis.		FEBRUARIUS.
f	iv	10	Scholasticæ, Virginis Cassinensis: *ob. c. ann.* 543. *Simplex.*
g	iij	11	
A	Prid.	12	
b	Idib.	13	Gilberti, Meldensis Episcopi: *ob. ann.* 1015. *Simplex.*
c	xvj	14	
d	xv	15	
e	xiv	16	
f	xiij	17	
g	xij	18	Simeonis, Hierosolymitani Episcopi, & Mart. *ann.* 107. *Simplex.*
A	xj	19	
b	x	20	
c	ix	21	*Ultima Septuagesima*, 21.
d	viij	22	
e	vij	23	
*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno bissextili.* *
f	vj	24	MATTHIÆ, Apostoli:
g	v	25	*In ann. biss.* *I. sec. Dupl. III. Classis.* *Quod Festum, si in Quadragesima venerit, anticipatur, fitque de eo Feriâ III. Quinquagesimæ, sed non festivatur.*
A	iv	26	
b	iij	27	
c	Prid.	28	

---

n annis bissextilibus, post diem VII. ante Calendas, ›nitur dies intercalaris, & bis dicitur *sexto Calendas*; ıe Februarius est dierum XXIX. & Festum *S. Matthiæ* ıtur die XXV. Littera Dominicalis, quæ hactenùs est ta, mutatur in litteram præcedentem. *Verbi gratiâ*, 'anuario Littera Dominicalis fuit A, die XXV. Februa- ıtatur *in præcedentem* quæ est g; eaque causa est ını *bissextiles* semper habeant duplicem Litteram 'calem.

lutumnalis.

* e viij

MARTIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
*	d	Cal.	1	Albini, Andegavensis Episcopi : *ob. ann.* 550. *Simpl.* [IN CATHEDR. *Semid.*].
xxix	c	vj	2	
xxviij	f	v	3	Vindiciani, Cameracensis Episcopi, unius è Discipulis S. Eligii : *ob. ann.* 693. (è die 11.) *Simplex.*
xxvij	g	iv	4	Gertrudis, Virginis : *ob. ann.* 659. (è die 17.) *Simplex.*
xxvj	A	iij	5	Alexandri, Hierosolymitani Episcopi, & Mart. *c. ann.* 250. (è die 18). *Simplex.*
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ & Felicitatis, Martyrum, *c. ann.* 204. *Simplex.*
xxiij	d	viij	8	*Primum novilunium Paschale.*
xxij	e	vij	9	Quadraginta Militum Sebastensium Mart. *c. ann.* 320. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	*Ultima sedes Cinerum*, 10.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	*Prima sedes Paschæ*, 22.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO & INCARNATIO DOMINI. *Duplex II. Classis.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

MARTIUS.

Feriâ VI. post Dominicam Passionis, fit Officium Compassionis B. M. V. Dupl. III. class. (nisi occurrat die 25 Martii ; tunc enim nihil fit de Compassione illo anno.)

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.	
xxix	g	Cal.	1
xxviij	A	iv	2
xxvij	b	iij	3
25. xxvj	c	Prid.	4
xxv. xxiv	d	Non.	5
			Ultimum novilunium Paschale.
xxiij	e	viij	6
xxij	f	vij	7
xxj	g	vj	8
xx	A	v	9
xix	b	iv	10
xviij	c	iij	11
xvij	d	Prid.	12
xvj	e	Idib.	13
xv	f	xviij	14
xiv	g	xvij	15
xiij	A	xvj	16
xij	b	xv	17
xj	c	xiv	18
x	d	xiij	19
ix	e	xij	20
viij	f	xj	21
vij	g	x	22
vj	A	ix	23 Reguli, primi Silvanectensis Episcopi ; *ob. c. ann.* 320. *Commemoratio : &* *Comm.* S. Georgii, Martyris in Oriente, *III. vel IV. stc.*
v	b	viij	24
iv	c	vij	25 Marci, Evangelistæ : *ob. c. ann.* 68. *Duplex III. Classis.* *Litaniæ majores, cum abstinentia à carnibus. Qui non intersunt Processioni, tenentur recitare, post Laudes, Litanias Sanctorum, cum precibus & orationibus, flexis genibus.*

Ultima sedes Pascha, 25.

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
iij	d	vj	26	Cleti, Papæ & Matt. *c. ann.* 91. *Commem.*
ij	e	v	27	
				Feriâ II. Rogationum, fit Comm. S. Mamerti, Episc. Viennensis: *ob. post ann.* 475. *Litaniæ minores seu Rogationes, cum abstinentia à carnibus. Qui non intersunt Processioni, tenentur recitare, flexis genibus, post Laudes, Litanias SS. cum precibus & orationibus.*
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis. *V. vel VI. sec.* (è die 1.) *Semid.* [IN CATH. *Duplex.*]
xxix	A	Prid.	30	Ultani, apud Peronam Abbatis: *ob. ann.* 680. *Semid.* (è die j. Maii) *Commem.* S. Eutropii, Santonensis Episcopi & Martyris. *III. sec.* [IN CATH. S. Eutropii, *Dupl. Commem.* S. Ultani.]

Prima sedes Ascensionis, 30.

MAIUS.

xxviij	b	Cal.	1	PHILIPPI * & JACOBI ** (Alphæi) Apostolorum. *Duplex III. Classis.* * *post* 81. ** 62.
xxvij	c	vj	2	Athanasii, Episcopi Alexandrini, & Doct. Eccl.: *ob. ann.* 373. *Semid.*
xxvj	d	v	3	Inventio sanctæ Crucis, *facta ann.* 326. *vel* 327. *Duplex III. Classis Commem.* SS. Alexandri, Papæ, Eventii & Theoduli, Presbyterorum, & Romæ Martyrum, *ann.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Viduæ: *ob. c. ann.* 387. *Commem.*
xxiv	f	iij	5	Godebertæ, Virginis & Patronæ civitatis Noviomensis: *obiit sub finem VII. sec. Duplex III. Class.* [Intra Urbis muros festivatur, *& Duplex est II. Classis.*]
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apostoli & Evangelistæ, Martyrium, Romæ, ante Portam Latinam: *ann.* 95. Semiduplex.
xxij	A	Non.	7	

MAIUS.

	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
	b	viij	8	
	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Episcopi Constantinopolitani, & Doctoris Ecclesiæ : *ob. c. ann.* 391. *Semiduplex.*
	d	vj	10	Francisci de Paula, Institutoris Ordinis Minimorum : *ob. ann.* 1507. (è die 2. Aprilis.) *Semid.*
				Prima sedes Pentecostes, 10.
j	e	v	11	
j	f	iv	12	
	g	iij	13	
	A	Prid.	14	Ordinatio S. Eligii : *facta est hâc ipsâ die. Duplex III. Classis.*
	b	Idib.	15	
i	c	xvij	16	
	d	xvj	17	
	e	xv	18	
	f	xiv	19	Yvonis, Presbyteri Trecorensis : *ob. ann.* 1303. *Simplex. Comm.* SS. Pudentianæ & Praxedis, Virginum : *II. sec.*
	g	xiij	20	
j	A	xij	21	
j	b	xj	22	
	c	x	23	Desiderii, Lingonensis Episcopi, & Martyris, *III. vel IV. s. Simplex.*
	d	ix	24	
	e	viij	25	Urbani, Papæ & Martyris, *ann.* 230. *Simplex.*
j	f	vij	26	
	g	vj	27	
	A	v	28	Germani, Parisiensis Episcopi : *ob. ann.* 576. *Simplex.*
	b	iv	29	
x	c	iij	30	
iij	d	Prid.	31	

Dominicâ I. post Pentecosten fit Officium *Festi* SS. Trinitatis. *Dupl. II. Classis.*

Feriâ V. post Festum SS. Trin*itatis ;* Festum Corporis Chris*ti Dupl. I. Class. : cum Octava Sem*... *& privilegiata.*

Dominicâ intra Octavam Cor...

[redacted]

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.	MAIUS.
			Christi, Noviomi, in Eccl. Parochialibus, Officium SS. Sacramenti, *Duplex I. Class.*
			Feria V. subseq. OCTAVA *Corporis Christi & Festum* SACERDOTII D. N. J. C. *Duplex III. Classis.*
			[IN CATHEDR. *Dominicâ III. post Pentecost. fit de* SS. Nomine JESU, *Dupl. II. Class.*].

JUNIUS.

xxvij	e	Cal.	1
25. xxvj	f	iv	2 Pothini, primi Lugdunensis Episcopi, Blandinæ Virginis, & aliorum XLV Mart. Lugdunensium : *ann.* 177. *Semid. Comm.* SS. Marcellini, Presbyteri, & Petri, Exorcistæ, Romæ Martyrum, *ann.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3 Clotildis, Reginæ Francorum & Viduæ : *ob. c. med. VI. sec. Semid.*
			Ultima sedes Ascensionis, 3.
xxiij	A	Prid.	4
xxij	b	Non.	5
xxj	c	viij	6 Norberti, Magdeburgensis Episcopi, & Institutoris Ordinis Præmonstratensis : *ob. ann.* 1135. *Semid. Comm.* S. Claudii, Vesuntini Episcopi : *ob. ann.* 581.
xx	d	vij	7
xix	e	vj	8 MEDARDI, EPISCOPI NOVIOM. & DIŒCESIS PATRONI : *ob. c. ann.* 545. *Annual. cum Octava semidupl.*
xviij	f	v	9 De Octava. *Semid.*
xvij	g	iv	10 De Octava. *Semid.*
xvj	A	iij	11 Barnabæ, Gentium Apost. *ob. c. fin. I. sec. Dupl. III. Class. Comm. Octav.*
xv	b	Prid.	12 De Octava. *Semid. Commem.* SS. Basilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii, Martyrum, *c. ann.* 309.
xiv	c	Idib.	13 De Octava. *Semid.*
			Ultima sedes Pentecostes, 13.
xiij	*d*	*xviij*	14 Rufini & Valerii, in agro Suessionensi Martyrum, *c. ann.* 287. *Semidupl. Comm. Octava.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.	JUNIUS.
xij	e	xvij	15 Octava S. Medardi. *Duplex.*
xj	f	xvj	16 Cyrici, & Julittæ, matris ejus, Tarsi Martyrum, *ann.* 305. *Simplex.*
x	g	xv	17
ix	A	xiv	18
viij	b	xiij	19 Gervasii & Protasii, fratrum & Martyrum, *I. vel II. sec. Semid.*
vij	c	xij	20
vj	d	xj	21
v	e	x	22 Paulini, Nolani Episcopi: *ob. ann.* 431. *Simplex.*
iv	f	ix	23 Vigilia *cum jejunio.*
iij	g	viij	24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Duplex II. Classis cum Oct. Simpl.*
ij	A	vij	25 TRANSLATIO S. ELIGII, NOVIOMENSIS EPISCOPI, & DIŒCESIS PATRONI. *Dupl. I. Class. Translationes plurimæ factæ sunt, quarum prima seu elevatio ann.* 660. 2ª *ann.* 881. 3ª *ann.* 1066. 4ª *ann.* 1157. 5ª *ann.* 1306. *ultima ann.* 1626.
j	b	vj	26 Pecinnæ, Virginis, *ann.* 732. *Semid. Comm. Octavæ, deindè* SS. Joannis & Pauli, fratrum, Romæ Mart. *c. ann.* 363.
*	c	v	27 Irenæi, Episcopi Lugdunensis, & Doctoris Ecclesiæ, ejusque Socior. Mart. *c. ann.* 202. (è die 26) *Semid. Comm. Octava.*
xxix	d	iv	28 Vigilia, *cum jejunio. Comm. Octava.*
xxviij	e	iij	29 PETRI & PAULI, APOSTOLORUM: *passi sunt, c. ann.* 66. *Duplex II. Class. cum Octava Simplice.*
xxvij	f	Prid	30 Commemoratio S. Pauli, Apostoli. *Dupl. III. Class. Comm. Diei Octavæ* S. Joann. Baptistæ & *Octavæ* S. Petri.

JULIUS.

Dominicâ II. Julii, DEDICATIO *Ecclesiæ* NOVIOMENSIS *&* *aliarum Ecclesiarum Diœcesis.* Dupl. I. Class. *cum Octava semid.*

xxvj	g	Cal.	1 Octava S. Joannis Baptistæ, Semi *Comm.* S. Martialis, Lemovice

[redacted]

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JULIUS.
				Episcopi : *ob. sub finem III. seculi : deindè* Octavæ SS. Apost. [IN CATHEDR. S. Martialis. *Duplex. Comm. diei Octavæ* S. Joann. Bapt. *deindè* Oct. SS. Apost.]
25. xxv	A	vj	2	Visitatio Beatæ Mariæ, Virginis, *Dupl. III Classis. Commem. Octavæ.*
xxiv	b	v	3	De Octava. *Simplex.*
xxiij		iv	4	Ordinatio * & Translatio * * S. Martini, Turonensis Episcopi. *Semid.* * *ann.* 371. * * *ann.* 473. *Commem. Octavæ.*
xxij	d	iij	5	De Octava. *Simplex.*
xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Apost. Petri & Pauli. *Semid.*
xx	f	Non.	7	Thomæ, Cantuar. Ep. & Mart. (è die 29. Decembr.) *Semid. ann.* 1170. *Translatio, hàc die,* 1222.
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & Felicitatis, eorum matris, Mart. Romæ, *c. anno* 150. *Simplex.*
xvj	c	v	11	Benedicti, Abbatis Cassinensis : *obiit die* 21. *Martii, ann.* 543. *Translatio hàc die c. ann.* 653. *Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl.*]
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episcopi & Doctoris : *ob. ann.* 1274. *Semid.*
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Presb. & Doct. Eccl. *ob. die* 7. *Martii ann.* 1274. *Hàc die ejus Canonizatio ann.* 1323. *Dupl. Commem.* S. Arnulphi, Mart. *c. ann.* 534.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo, Presbyteri & Institutoris Congregationis Missionis : *ob.* 27. *Septembr. ann* 1660. *Semid.*
vij	e	xiij	20	Margaretæ, Virginis & Mart. apud Antiochiam Pisidiæ, *ann.* 304. *Simpl.* [IN CATHEDR. Duplex.]
vj	f	xij	21	Juliæ, Trecensis Virginis & Martyris, *III. sec. Simplex.*

Mariæ

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JULIUS.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ. *Duplex III. Classʃ.*
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravenn. Ep. & Mart. *I. vel II. sec. Simpl.*
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	Jacobi (Zebedæi) Apostoli: *ann.* 44. *Dupl. III. Classʃ. Comm.* S. Christophori, in Lycia Mart. *III. sec.*
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, Parentum Beatæ Mariæ Virginis. *Duplex III. Classʃ.* [IN CATHEDR. *Duplex II. Classʃ.*]
*	e	vj	27	Pantaleonis, Mart. *ann.* 306. *Simpl.*
xxix	f	v	28	[IN CATHEDR. S. Annæ. *Dupl. II. Classʃ.*]
xxviij	g	iv	29	Lupi, Trecensis Episcopi: *ob. c. ann.* 479. *Simplex.*
xxvij	A	iij	30	Ignatii Loyolæ, Presbyteri & Institutoris Societatis Jesu: *ob. die* 31. *Julii ann.* 1556. *Semid. Commem.* SS. Abdon & Sennen, Persarum, Romæ Martyrum, *ann.* 250.
25. xxvj	b	Prid.	31	Germani, Autissiodorensis Episcopi: *ob. ann* 448. *Semid.* [IN CATH. *Dupl.*]
				AUGUSTUS.
xxv. xxiv		Cal.	1	Petri ad vincula, (è die 20. Aprilis) *ann.* 44. *Basilicæ ejusdem Dedicatio hâc ipsâ die, c. ann.* 451. *Semidupl. Comm.* SS. septem Fratrum Machabæorum, eorumque matris, Martyrum, *c. ann.* 167. *ante Christum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani, Papæ & Martyris, *ann.* 257. *Simplex.*
xxij	e	iij	3	Inventio Corporis S. Stephani, Protomartyris, *ann.* 415. *Semid.*
xxj	f	Prid.	4	Dominici, Presbyteri & Institutoris FF. Prædicatorum: *ob.* 6. *Aug. ann.* 1221. *Semid.*
xx	g	Non.	5	Memmii, primi Catalaunensium Episcopi: *ob. c. initium IV. sec. Simpl. Comm.* S. Cassiani, Augustodunensis *Episc. c. ann.* 349. vel 354.
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *ann.* 32. Du

[redacted]

AUGUSTUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis.	
				plex III. Classis. Comm. S. Xysti, Papæ & Mart. *ann.* 258.
xviij	b	vij	7	
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	Vigilia, *cum jejunio.*
xv	e	iv	10	LAURENTII, Diaconi & Mart. *ann* 258. *Duplex III. Classis.*
xiv	f	iij	11	Gaugerici, Episcopi Cameracensis: *ob. ann.* 619. *Simplex, Commem.* S. Tiburtii, Mart. *ann.* 286.
xiij	g	Prid.	12	Claræ, Assisii in Umbria, Virginis, primæ Abbatissæ Clarissarum: *ob. c. ann.* 1253. (è die 11.) *Simplex.*
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Reginæ Francorum & Viduæ: *ob. ann.* 587. *Semid. Comm.* SS. Hippolyti & Cassiani, Mart. *ann.* 258.
xj	b	xix	14	Vigilia, *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *Annuale, cum Octava Semid.*
ix	d	xvij	16	De Octava. *Semid. Comm.* S. Rochi, Laïci: *ob. ann.* 1327. *apud Montem Pessulanum.*
viij	e	xvj	17	De Octava. *Semid. Comm.* S. Mamantis, Mart. *c. ann.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava. *Semid. Comm.* S. Agapiti, Mart. *ann.* 274.
vj	g	xiv	19	De Octava. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Abbatis Claravallensis & Doctoris Ecclesiæ: *ob. ann.* 1153. *Duplex. Comm. Octavæ & S.* Filiberti, Abb. *ann.* 684.
iv	b	xij	21	De Octava. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. M. Virginis, & Festum gaudiorum ejusdem B. V. *Dupl. III. Class.* [IN CATH. *Dupl. II. Class.*] *Comm.* S. Symphoriani, apud Augustodunum Mart. *c. ann.* 180.
ij	d	x	23	Audoëni, Rotomagensis Episcopi: *ob. ann.* 683. (è die 24.) *Semid. Comm.* SS. Timothei & Apollinaris, apud Remos Mart. *sub finem III. sec.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, Apost. Dupl. III. *Classis.*

LUDOVICI,

	Litt. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
	f	viij	25	LUDOVICI, FRANCORUM REGIS : *ob. ann.* 1270. *Duplex III. Classis.* Festivatur Noviomi & Sanquintini, *sub ritu duplici II. Classis. Comm.* S. Genezii, Mart. *c. ann.* 285.
	g	vij	26	Hunegundis, Virginis & Abbatissæ in agro Viromanduensi : *ob. ann.* 690. (è die 25.) *Simplex.*
j	A	vj	27	Cæsarii, Arelatensis Episcopi, & Doct. Ecclesiæ : *ob. ann.* 542. *Semid.*
j	b	v	28	Augustini, Hipponensis Episcopi, & Doct. Ecclesiæ : *ob. ann.* 430. *Dupl.*
	c	iv	29	Decollatio S. Joannis-Baptistæ, *ann.* 32. *Duplex III. Class.*
xv	d	iij	30	Fiacrii, in agro Meldensi, Solitarii : *c. med. VII. sec. Simplex.*
	e	Prid.	31	

SEPTEMBER.

	f	Cal.	1	Lupi, Senonensis Episc. *ob. ann.* 623. *Simpl. Comm.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania, *circa medium VI. sec.* [IN CATHEDR. S. Ægidii, *Dupl. Commem* S. Lupi.]
	g	iv	2	Lazari à Christo suscitati, ac SS. Mariæ & Marthæ sororum ejus, Christi Hospitum. *Duplex.*
	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ, ac Doctoris Ecclesiæ *ob. die* 12. *Mart. ann.* 604. *Dupl. Ordinatio hâc die, ann.* 590.
	b	Prid.	4	Marcelli, Cabillonensis Mart. *Simpl. ann.* 179. *Commem.* S. Genebaldi, primi Laudunensis Episcopi, *c. ann.* 550.
	c	Non	5	Bertini, Abbatis Sithiensis : *ob. ann.* 709. *Simplex.*
j	d	viij	6	
j	e	vij	7	Adriani, Mart. in Bithynia, *IV. sec. Simpl.*
	f	vj	8	NATIVITAS *B. M.* V. *Duplex* II. Class. *cum Octava simplic.*
	g	v	9	*De Octava, Simplex* : *Commemorat* S. Audomari, Morin. Episc. *ob. ann.* 668.

[redacted]

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		SEPTEMBER.
xiv	A	iv	10	Eunucii, Noviomens. Episc. *ann.* 744. *Semid. Comm.* SS. Sixti & Sinicii Episcop. primùm apud Suessionem, deindè apud Remos. *sub fin. III. seculi* (è die 1.) *Commemoratio* Octavæ.
xiij	b	iij	11	De Octava. *Simplex.*
xij	c	Prid.	12	De Octava. *Simplex.*
xj	d	Idib.	13	De Octava. *Simplex.*
x	e	xviij	14	Exaltatio sanctæ Crucis, *imperante Constantino, ann.* 326. *vel* 327. *imperante Heraclio, ann.* 629. *Dupl. III. Classis.* [IN CATHEDRALI, *Duplex II. Classis*]. *Comm.* Octavæ. *Quatuor Tempora Septembr. incipiunt primâ Feriâ iv. post Exalt. S. Crucis.*
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. M. V. *Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl.*]
viij	g	xvj	16	Cornelii, Papæ, & Cypriani, Episc. Carthaginensis, Martyrum : *passi sunt ambo die* 14. *hujus mensis; ille Romæ, ann.* 252. *hic Carthagine, ann.* 258. *Semid. Commem.* S. Euphemiæ, Virg. & Mart. *IV. sec.*
vij	A	xv	17	Lamberti, Trajectensis Episc. & Mart. *c. ann.* 708. *Simplex.*
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	Vigilia *cum jejunio.*
iij	e	xj	21	MATTHÆI, APOSTOLI & EVANGELISTÆ, *I. sec. Duplex III. Classis.*
ij	f	x	22	Mauricii & Sociorum, Agauni Mart. *ann.* 286. *Semid.*
j	g	ix	23	Theclæ, Virginis & Mart. apud Iconium, *sub fin. I. sec. Semid. Comm.* S. Lini, Papæ & Mart. *c. ann.* 78.
*	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	Firmini, primi Ambianorum Episc. & Mart. *c. ann.* 288. *Semid. Comm.* S. Principii, Suessionensis Episcopi : *ob. ann.* 506.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	*d*	v	27	Cosmæ & Damiani, fratrum & Mart. *ineunte IV. sec. Semid.*
xxvj	*e*	*iv*	28	
xxiv	*f*	*iij*	29	Michaelis Archangeli, & Omnium SS. Angelorum

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		SEPTEMBER.
				Angelorum. [*Hoc Festum in Apulia sumpsit initium sub fin. V. seculi*]. *Duplex III. Classis.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyteri, & Doct. Ecclesiæ : *ob. ann.* 420. *Dupl.*

OCTOBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
				SYNODUS, primâ Feriâ III. post Festum S. Remigii.
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. *ob. die* 13. *Januarii, c. ann.* 533. *Ejus Translatio* 1. *hâc die ante ann.* 585. 2. *hâc die ann.* 852. *Duplex. Commem.* S. Piatonis, in agro Tornacensi Mart. *c. ann.* 285.
xxj	b	vj	2	Sanctorum Angelorum Custodum, *Dupl. Comm.* S. Leodegarii, Episc. Augustodunensis, & Mart. *ann.* 678.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci, Assisinatis, Diaconi, & Institutoris Ordinis FF. Minorum : *ob. ann.* 1226. *Semid. Comm.* S. Aureæ Virg. & primæ Abbatissæ S. Martialis apud Parisios : *ob. ann.* 666.
xviij	e	iij	5	
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, & Institutoris Ordinis Carthusiensis : *ob. ann.* 1101. *Semid. Comm.* S. Fidis, Aginnensis Virginis, & Mart. *c. ann.* 287.
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	Benedictæ, Virginis, & Mart. apud Auriniacum, in agro Laudunensi, *ann.* 286. *Simplex.*
xiv	b	vij	9	Dionysii, primi Parisiorum Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi, Mart. *III. sec. Semid.* [IN CATH. *Dupl. II. Class.*]
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	*Callisti, Papæ* & Mart. *ann.* 223. *Simplex.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		OCTOBER.
viij	A	Idib.	15	Theresiæ, Abulensis Virginis, & Instauratricis Ordinis Carmelitani: *ob. ann.* 1582. *Semid.*
vij	b	xvij	16	Mommoleni, Noviomensis Episcopi: *ob. ann.* 685. *Duplex III. Classis.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	Lucæ, Evangelistæ. *I. sec. Dupl. III. Class.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Celiniæ, matris S. Remigii: *ob. ann.* 500. *Simplex. Comm.* SS. Ursulæ & Sociarum, Virginum & Mart. *IV. vel V. sec.*
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Crispini & Crispiniani, fratrum & Mart. apud Suessiones: *ann.* 288. *Semiduplex.*
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	Vigilia, *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apostol. *I. sec. Dupl. III. Classis.*
xxiv	A	iv	29	Salvii, Ambianensis Episc. *ob. die* 28. *sub fin. VII sec. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Quintini, apud Augustam Viromanduorum Mart. *c. ann.* 287. *Duplex III. Class.* [SANQUINTINI, *Annuale.*] *Comm.* Vigiliæ *cum jejunio.*
				NOVEMBER.
xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *institut. c. ann.* 835. *Duplex I. Classis, cum Octava semiduplice.* *Quandò Festivitas Omnium Sanctorum incidit in Sabbatum, Commemoratio sequens transfertur in Feriam II. sequentem.*
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, instituta c. ann.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		NOVEMBER.
				998. *Festivatur usque ad peractum Offic. matutinum : Duplex III. Class.*
xix	f	iij	3	De Octava , *Semiduplex.*
xviij	g	Prid.	4	De Octava , *Semiduplex.*
xvij	A	Non.	5	De Octava , *Semiduplex.*
xvj	b	viij	6	De Octava , *Semiduplex.*
xv	c	vij	7	De Octava , *Semiduplex.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum , *Dupl. III. Class.* [IN CATH. *Dupl. II. Class.*]
xiij	e	v	9	Caroli Borromæi, Mediolanensis Episc. Cardinalis (è die 3.) *ann.* 1584. *Dupl. Commem.* S. Godefridi , Episc. Ambian. (è die 8.) *ann.* 1115.
xij	f	iv	10	Leonis Magni , Papæ , & Doct. Eccl. *ann.* 461. *Dupl.* (è die 11. April.)
xj	g	iij	11	Martini , Turonensis Episc. *ob. ann.* 397. *Duplex III. Classis.*
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Bricttii , Turonensis Episc. *ob. ann.* 444. *Simplex.*
viij	c	xviij	14	Leonardi , Solitarii : *ob. c. ann.* 559. *Simplex.*
vij	d	xvij	15	Maclovii , *sive* Macuti , Alethensis , in Britannia minore , Episcopi : *ob. c. ann.* 565. *Simplex.*
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Aniani , Aurelianensis Episc. *ob. c. ann.* 453. *Simplex.*
iv	g	xiv	18	Momboli , Abbatis Latiniacensis , & adjutoris S. Eligii in Apostolatu : *ob. sub fin. VII. sec. Simplex.*
iij	A	xiij	19	
ij	b	xij	20	Susceptio Reliquiarum S. Medardi , *ann.* 1650. *Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl. II. Class.*].
j	c	xj	21	Præsentatio B. M. V. *Dupl. III. Class.*
*	d	x	22	Cæciliæ , Virginis & Mart. *II. vel III. sec. Simplex.*
xxix	e	ix	23	Clementis , Papæ & Mart. *ann.* 100. *Simplex.*
xxviij	f	viij	24	Chrysogoni , Mart. *ann.* 304. Simplex. *Comm.* S. Anastasiæ , Viduæ Romanæ & Mart. *passa est die* 25. Decembris *ann.* 305.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		NOVEMBER.
xxvij	g	vij	25	Hermelandi, Civis Noviomensis, & Abbatis Antrensis : *ob. die* 25. *Martii, ann.* 718. [*In Diœcesi Nannetensi, hodiè fit ejus Festivitas*]. *Semid. Comm.* S. Catharinæ, Virginis Alexandrinæ, Mart. *IV. sec.*
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandrini Episc. & Mart. *ann.* 311. *Simplex.*
xxv. xxiv	b	v	27	Acharii, Noviomensis Episc. *ob. ann.* 639. *Duplex III. Classis.*
				Prima sedes Adventûs. 27.
xxiij	c	iv	28	Maximi, Reïensis Episc. *ob. ann.* 462. (è die 27.) *Semiduplex.*
xxij	d	iij	29	Vigilia, *cum jejunio. Commem.* S. Saturnini, primi Tolosatium Episc. & Mart. *c. ann.* 258. *vel* 275.
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, *I. sec. Dupl. III. Class.*

DECEMBER.

xx	f	Cal.	1	ELIGII, NOVIOMENSIS EPISCOPI, & DIŒCESIS PATRONI : *ob. ann.* 659. *Annuale, cum Octava semiduplice.*
xix	g	iv	2	Francisci Xaverii, Presbyteri, & Indiarum Apostoli : *ob. ann.* 1552. *Semid. Comm.* Octavæ S. Eligii.
xviij	A	iij	3	De Octava, *Semid.*
				Ultima sedes Adventûs, 3.
xvij	b	Prid.	4	De Octava, *Semid. Comm.* S. Barbaræ, Virginis Nicomediensis, & Mart. *III. vel IV. sec.*
xvj	c	Non.	5	De Octava, *Semiduplex.*
xv	d	viij	6	Nicolai, Myrensis in Lycia Episc. IV. *sec. Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl.*] *Commem.* Octavæ.
xiv	e	vij	7	Ambrosii, Mediolanensis Episc. & Doctoris Ecclesiæ : *ob.* 4. *April. ann.* 397. *Ejus Ordinatio hâc die ann.* 374. *Duplex. Commem.* Octavæ.
xiij	*f*	*vj*	8	CONCEPTIO B. M. V. Duplex II. Class. *Commem.* Diei Octavæ S. Eligii.

DECEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	*Commemoratio* S. Eulaliæ, Emeritensis Virginis, & Martyris, *ann.* 304.
x	b	iij	11	Fusciani, Victorici & Gentiani Mart. *c. fin. III. sec. Semiduplex.*
ix	c	Prid.	12	*Commemoratio* S. Valarici, Abbatis in agro Vinemacensi : *ob. ann.* 622.
viij	d	Idib.	13	*Commemoratio* S. Luciæ, Virginis Syracusanæ, & Mart. *c. ann.* 304. [IN CATHEDR. *Duplex.*]
vij	e	xix	14	*Commemoratio* S. Nicasii, Remensis Episcopi, ejusque Sociorum Mart. *c. ann.* 451. [IN CATH. *Dupl.*]
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	THOMÆ, APOSTOLI. *I. Sec. Duplex III. Class.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS DOMINI. *Annuale, cum Octava semiduplice.*
25. xxv		vij	26	STEPHANI, DIACONI & PROTOMARTYRIS : *c. ann.* 33. *Duplex III. Class. Comm.* Octavæ.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI & EVANGELISTÆ. *Duplex III. Class. ob. ann.* 100. *vel* 104. *Comm.* Octavæ.
xxiij	e	v	28	Innocentium, Mart. I. *sec. Duplex. Commem.* Octavæ.
xxij	f	iv	29	De Octava. *Semiduplex.*
xxj	g	iij	30	De Octava. *Semiduplex.*
* 19. xx	A	Prid.	31	De Octava. *Semid. Commem.* S. Sylvestri, Papæ : *ob. ann.* 335.

* Hæc Epacta 19 *nunquàm est in usu, nisi* quandò, eodem *anno, concurrit cum aureo Numero* xix.

EXCERPTA È RUBRICIS GENERALIBUS.

DE OFFICIO *Feriali.*

IN Officio Feriali, omnia ut in Psalterio & in Proprio de Tempore.

Absolutiones & Benedictiones habentur inter Psalterium & Proprium de Tempore.

In Feriis majoribus dicuntur Preces flexis genibus ad omnes Horas, non excepto Nocturno, in quo, si Laudes non sequuntur immediatè, dicuntur Preces positæ ad Tertiam, cum Oratione convenienti.

In Feriis Quatuor Temporum, quandò Vesperæ dicuntur de Feria, non dicitur Oratio de Laudibus, sed Oratio de Dominica præcedente, & dicuntur Preces flexis genibus ad Vesperas & ad Completor.

DE OFFICIO *Festi Simplicis.*

IN Officio Festi Simplicis, Psalmi de Feria in toto Officio. Officium Festi Simplicis incipit à Capitulo Vesperarum diei præcedentis, & terminatur ad Nonam inclusivè; Excipe dies intra Octavam Simplicem, in quibus dicuntur II. Vesperæ de Octava. Capitulum autem, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad *Magnificat.* & Oratio ut in Proprio, vel in *Communi.*

Ad Vesperas & ad Laudes, Suffragia, exceptâ Commemoratione de S. Cruce, nisi fiat de die intra Octavam Simplicem; tunc enim nulla fiunt Suffragia, neque dicuntur Preces ad Primam & ad Complet.

Ad Completorium, Capitulum, *Omnes vos.* Hymnus *Deus Creator.* (& sic in omni Officio quod non est Feriale). Dicuntur Preces.

Ad Matutinum novem Psalmi sub tribus Antiphonis, unaquæque post tres Psalmos, cum Versiculo de Festo: quæ omnia, si desint in Proprio, sumuntur in Communi de Nocturno, secundùm Feriam. Absolutio, secundùm Feriam. Benedictiones de Sanctis, si fiat de Sancto vel de Sancta. Et sic in Semiduplicibus, nisi fiat de Simplici, vel de Semiduplici, intra Octavam Festi Domini, vel B. M. V. tunc enim dicuntur Benedictiones ex uno de Nocturnis Dominicæ, secundùm Feriam, vel Benedictiones de Beata. Tres Lectiones, quarum prima & secunda de Scriptura occurrente; scilicet prima sola, secunda è duabus posterioribus junctis in unam, tertia de Festo, cum duobus Responsoriis ex eodem Nocturno undè Antiphonæ desumptæ sunt, videlicet primo & ultimo Respons. Nocturn. secùndùm Feriam, & dicitur *Te Deum.*

Ad Laudes, Canticum ut in Proprio, vel in Communi convenienti; Antiphona uni-

; quæ, si desit in Proprio, quarta sumitur è quinque positis in Communi pro Laudibus. Si sit dies intra Octavam, quarta de Laudibus Festi. Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad *Benedictus* & Oratio, ut in Proprio, vel in Communi.

Ad Primam, Capitulum *Regi sæculorum* (& sic in omni Officio quod non est Feriale). Dicuntur Preces consuetæ. Ad ceteras Horas, Ant. Capitul. ℟. *brev.* & Oratio de Proprio, vel de Communi.

Nunquàm transfertur Festum simplex (idem dic de Semiduplici); sed, ubi incidit in Festum Annuale aut Duplex I. Classis, vel etiam II. Classis quod sit Domini, nihil fit de eo, ne quidem Commemoratio. Quæ autem & quandò fieri debeat Commem. Simpl. vel Semidupl. in Dupl. I. & II. Classis, non Domini, & infrà, habetur in Rubricis Generalibus, Part. I. Cap. 9. & 10.

DE OFFICIO
Festi Semiduplicis.

IN Officio Festi Semiduplicis, omnia ut in Officio Festi Simplicis, exceptis quæ sequuntur.

1°. Habet utrasque Vesperas. 2°. In Semiduplicibus & suprà, non fiunt Suffragia, neque ad Vesperas, neque ad Laudes, neque dicuntur Preces consuetæ ad Completorium, neque ad Primam. 3°. Ad Matutinum, Lectio prima de Scriptura occurrente (tribus in unam junctis) secunda & tertia de Festo.

Festum Semidupl. cedit Semidupl. intra Octavam, si sit Domini, non verò Semidupl. intra Octavas, quæ non sunt Domini, neque Vigiliis SS.

DE OFFICIO
Festi simpliciter *Duplicis.*

IN Officio Festi *simpliciter* Duplicis, Psalm. de Feria in toto Officio. In utrisque Vesperis & in Laudibus, tot Antiphonæ quot Psalmi. Ad Maturinum, tres Nocturni, singuli sub singulis Antiphonis, id est tres Psalmi sub unica Antiphona quæ, si desumatur è Communi, sumitur è tribus cujusque Nocturni, secundùm Feriam. In quolibet Nocturno, Versiculus, tres Lectiones; post unamquamque Lectionem sequitur Responsorium, exceptâ Lectione ix. quam sequitur immediatè Canticum *Te Deum.* Non duplicantur Antiphonæ neque ad *Magnificat.* neque ad *Benedictus.* Cetera ut in Semiduplicibus.

Ubi occurrit Festum Duplex cum alio Festo superioris ordinis, transfertur in primam diem, saltèm Semiduplici non impeditam. Excipe Diem ipsam Octavam Duplicem, quæ non transfertur; sed fit Commemoratio de illa Die Octava Duplici in utrisque Vesperis, & in Laudibus, cum ix. Lectione ad Matutinum, si habeat Evangelium diversum ab Evangelio Festi. Dominicæ omnes per annum sunt *simpliciter* Duplices; &, Sabbato præcedenti, ad Completor. dicitur Capitulum *Omnes vos.* & Hymnus *Deus Creator.*

DE OFFICIO
Festi Duplicis III. Classis.

OMnia, ut in Officio Festi *simpliciter* Duplicis, prætérquàm quòd in eo tot sunt Antiphonæ quot Psalmi in Matutino.

DE OFFICIO
Festi Duplicis II. Classis.

OMnia ut in Officio Festi Duplicis III. Classf. præter hæc: 1°. Habet Responf. post Capitul. I. Vesperar. & post *Gloria Patri.* resumitur duntaxat Reclamatio. [In Festis localibus quæ assurgerent ad ritum Dupl. II. Classf. aut suprà, propter Solemnitatem Patroni, aut Titularis, &c, si ℟. dicendum post Capit. I. Vesp. desit tàm in Proprio, quàm in Communi, V. G. in Festis de S. Cruce, de SS. Angel. aut similibus, tunc sumitur iij. Responsorium Matutini]. 2°. Duplicantur Antiphonæ ad utrumque *Magnificat.* & ad *Benedictus.* 3°. In Responsoriis brevibus, additur duplex *Alleluia.*

DE OFFICIO
Festi Duplicis I. Classis.

OMnia ut in Officio Festi Duplicis II. Classis, præter hæc: Dicuntur semper Psalmi de Feria ad I. Vesperas & ad Completor. subsequens; sed, ad Matutinum & ceteras Horas diei, dicuntur semper Psalmi de Dominica, nisi proprii assignentur ad Matutinum & ad II. Vesperas. Prætereà in Responsorio post Capitulum I. Vesperarum, & in ultimo Responsorio Matutini, post *Gloria Patri.* resumitur, non Reclamatio, sed ipsummet Responsorium usque ad Versum exclusivè.

DE OFFICIO
Festi Annualis.

OFficium Festi Annualis habet omnia communia cum Officio Festi Dupl. I. Classf. præter ea quæ sequuntur: In Matutino, post repetitam primi, tertii, sexti & octavi Responsorii Reclamationem, dicitur *Gloria Patri.* deindè resumitur, non Reclamatio, sed ipsummet Responsor. usque ad Versum. Ad utrumque Completorium, Antiphonæ post Psalmos & ad *Nunc dimittis.* propriæ sunt, & dicuntur per Octavam, quandò fit de ea. Excipe tamen Octavas quæ sunt Domini, in quibus, etiamsi non fiat de Octava, dicuntur Antiphonæ illæ propriæ, nisi fiat de alio Annuali suas habente Antiphonas proprias.

SERIES TITULORUM

Sub quibus ordinantur CANONES *Conciliorum distributi in hac* AUTUMNALI *Parte Breviarii.*

1. DE *vita*, moribus & *officiis Parochorum*, & *Vicariorum; ubi* etiam de *verbi divini prædicatione*, Sacramentorum administratione, &c. à Feria *IV.* intra Hebdomadam XI. post Pentecosten, ad Dominicam XIV.

2. De Beneficiis conferendis, bonorum Ecclesiæ usu, ac de Simonia : *à Dominica XIV. ad Dominicam XVI.*

3. De residentia, de pluralitate Beneficiorum, & de recitatione privata Officii divini : *à Dominica XVI. ad Dominicam XVII.*

4. De recitatione publica Officii divini, de cantu ecclesiastico, de cantoribus, de musica, de reformatione atque dispositione Breviarii, de fundationibus, de reverentia ac modestia in Ecclesiis : *à Dominica XVII. ad Domin. XX.*

5. De Ceremoniis, de organis, de campanis, earumque benedictione & usu : *à Dominica XX. ad Dominicam XXI.*

6. De Oratoriis & Sacellis domesticis; de Altaribus, de ornamentis, vestibus & vasis ad usum Ecclesiæ : *à Dominica XXI. ad Dominicam XXII.*

7. De Cœmeteriis, sepultura & exequiis Defunctorum : *à Dominica XXII. ad Dominicam XXIII.*

8. De Sanctorum invocatione, reliquiis & imaginibus; de miraculis & indulgentiis : *à Dominica XXIII. ad Dominicam XXIV.*

9. De Clericorum conversatione cum laïcis & monialibus : *à Dominica XXIV. ad Dominicam XXV.*

10. De reverentia laïcorum erga Clericos, ubi de privilegiis Cleri, de abstinendo à judiciis criminalibus, de litibus vitandis & componendis : *à Dominica XXV. ad Dominicam XXVI.*

11. De subjectione Clericorum sub Episcopo : *à Dominica XXVI. ad Dominicam XXVII.*

12. De Excommunicatione & Excommunicatis : *à Dominica XXVII. ad Dominicam XXVIII.*

13. De formandis junioribus clericis, ubi de Seminariis : *à Dominica XXVIII. ad finem hebdomadæ.*

In hac serie non comprehenduntur Festa & Solemnitates quæ proprios habent Canones, ratione peculiaris ritûs, aut disciplinæ prædictis Solemnitatibus congruentis.

PRECES ANTE OFFICIUM.

APeri, Dómine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perversis & aliénis cogitatiónibus; intellectum illúmina, affectum inflamma, ut dignè, attentè & *devótè hoc Officium recitáre váleam,* & exaudíri mérear ante conspectum divínæ majestátis tuæ : Per Christum Dóminum nostrum.

DOmine Jesu Christe, in unióne illíus divínæ intentiónis quâ ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, has tibi Horas persólvere intendo.

[*Orationem sequentem piè post Officium recitantibus, Leo, Papa decimus, defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit*].

SAcro-sanctæ & indivíduæ Trinitáti, Crucifixi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ & gloriosissimæ semperque Virginis Maríæ fœcundæ integritáti, & ómnium Sanctórum universitáti, sit sempiterna laus, honor, virtus & glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt æterni Patris Fílium;

℟. Et beáta úbera quæ lactavérunt Christum Dóminum.


Pater. Ave.

TABULA

Romæ edita, Typis Rever Cameræ Apostolicæ, & ad Horas Horologii Gallici accommodata.

DE HORA quâ potest inchoari pro die sequenti Matutinum Officium à privatìm recitantibus.

10 Januarii,	horâ secundâ cum quadrante.
13 Februarii,	horâ sesqui-secundâ.
1 Martii,	horâ secundâ cum tribus quadrant.
18 Martii,	horâ tertiâ.
4 Aprilis,	horâ tertiâ cum quadrante.
20 Aprilis,	horâ sesqui-tertiâ.
10 Maii,	horâ tertiâ cum tribus quadrant.
8 Junii,	horâ quartâ.
30 Julii,	horâ tertiâ cum tribus quadrant.
28 Augusti,	horâ sesqui-tertiâ.
7 Septembris,	horâ tertiâ cum quadrante.
24 Septembris,	horâ tertiâ
13 Octobris,	horâ secundâ cum tribus quadrant.
20 Octobris,	horâ sesqui-secundâ.
18 *Novembris*,	horâ secundâ cum quadrante.
15 *Decembris*,	horâ secundâ.



PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum dicitur secretò:

PAter [illegible], qui es in cœlis: [illegible]cétur nomen tuum: [illegible]véniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed libera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora [illegible]tis nostræ. Amen.

[C]redo in Deum, Pa[tr]em omnipotentem, [Creato]rem cœli & terræ: & in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu sancto, natus e[x] María Vírgine: passus [sub] Póntio Piláto, cruci[fixus] mórtuus & sepul[tus] [de]scendit ad infe[ros] [tertia] die resurrexi[t] ascendit a[d] [cœlos, sedet] ad déxte[ram] omnipote[ntis] [venturus] est j[udicare vivos et] mórtuos. [Credo in Spiri]tum sanct[um] [sanctam] Ec]clésiam C[atholicam] [sancto]rum [communionem] remissióne[m] carnis resu[rrectionem] [vi]tam ætern[am]

Deinde al[ta voce]

DOmi[ne] apéri[s] meum an[nuntiabit lau]dem tuam

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Pf. 69.*

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto; sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia: *etiam ad alias Horas.*

Invitatorium. Dóminum Deum nostrum, * Veníte, adorémus.

Pfalmus 94.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo salutári nostro. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Dóminum Deum nostrum, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus omnes Deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit.

* Veníte, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud; & áridam fundavérunt manus ejus. Veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipse est Dóminus

Deus noster, nos pópulus ejus & o cuæ ejus.

Dóminum De strum, * Veníte, mus.

Hódie si vocem diéritis, nolíte o corda vestra, sicut cerbatióne, secun tentatiónis in dese tentavérunt me pa stri, probavérunt runt ópera mea.

* Veníte, ador

Quadra[illegible] ximus [illegible] huic, & [illegible] errant corde [illegible] cognovérunt vias quibus jurávi in i Si introíbunt in meam.

Dóminum De strum, * Veníte, ad

Glória Patri, & Spirítui sanct erat in princípio, & semper, & in sé culórum. Amen.

* Veníte, ador

Dóminum De strum, * Veníte, mus.

Hymnus.

ADITE temp plices;
Huc festa vos die
Quam tot Deus m
Mundo verendam
dit.

us hâc die Pater
lendo cóndidit:
ı primùm tém-

enni prófluunt.
sponte mortem
lit
revixit hâc die:
ra firmátur fides,
uæ spes manet.
psa lux lapsum

, alme Spíritus,
lammá, grátiæ
erentem múne-

iterna Trínitas,
ıdicas diem tibi,
sit semper tui
ráta Numinis.
u tu Verbi Pater,
'ili par Patri,
rique Spiritus,
omni témpore.
n.
OCTURNO.
Non est sanctus.
lmis & Canticis
*hic * notat me-*
& pausum.
álmus I.
vir qui non ábiit
ısilio impiórum,
peccatórum non
& in cathedra
æ non sedit:
lege Dómini vo-
us, * & in lege
ditábitur die ac

tanquam lignum
ntátum est secùs

decursus aquárum; * quod fructum suum dabit in témpore suo;

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * nec peccatóres in concíli stórum.

Quóniam novit nus viam justórun iter impiórum per

Glória Patri, & F & Spirítui sancto;

Sicut erat in prir & nunc, & semper, sécula seculórum.

Hi ℣℣. Glória erat, *dicuntur in fi.. morum, Division Canticorum, nisi al. tetur.*

Psalmus 2.

QUare fremuéru tes; * & pópu ditáti sunt inánia:

Astitérunt reges & príncipes conve in unum, * advers minum & adversùs stum ejus.

Dirumpámus vinc rum, * & projiciá nobis jugum ipsóru

Qui há itat in c irridébit eos; * & Dó

minus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua; * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu; ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam; * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justâ.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * *Non* est salus ipsi *in Deo ejus.*

Tu autem, Dómine, *susceptor* meus es: * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum; * & exurrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, * dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Non est sanctus ut est Dóminus: & non est fortis sicut Deus noster. *I. Reg.* 2.

℣. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta: ℟. Et benedícite Dóminum. *Ps.* 133.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur secretò Pater noster, &c.

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Absolutiones & Benedictiones habentur post Psalterium.

Lectiones cùm Responsoriis habentur in Proprio vel Temporis, vel Sanctorum.

omnia observantur
lis Nocturnis, nisi
otetur.

NOCTURNO.

6. F. Magnus.

Psalmus 17.

ɟam te, Dómine,
titúdo mea: * Dó-
rmamentum meũ,
ium meum, & li-
meus.
s meus adjútor
& sperábo in eum.
tor meus, & cornu
ıeæ, * & susceptor

ıns invocábo Dó-
* & ab inimícis
vus ero.
mdedérunt me do-
ırtis; * & torren-
ıitátis conturbavé-
.
es inferni circum-
t me; * præoccu-
t me láquei mor-

pulatióne mea in-
Dóminum, * & ad
ıeum clamávi.
udívit de templo
ıo vocem meam; *
r meus in conspe-
introívit in aures

nóta est & contré-
ra: * fundamenta
n conturbáta sunt,
nóta sunt, quó-
itus est eis.
dit fumus in ira
ignis à fácie ejus
exarsit: * carbónes suc-
censi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & de-
scendit: * & calígo sub
pédibus ejus.

Et ascendit super Chéru-
bim, & volávit: * volávit
super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latí-
bulum suum: in circúitu
ejus tabernáculum ejus; *
tenebrósa aqua in núbibus
áeris.

Præ fulgóre in conspectu
ejus nubes transiérunt: *
grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dó-
minus, & Altíssimus dedit
vocem suam: * grando
& carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, &
dissipávit eos: * fúlgura
multiplicávit, & contur-
bávit eos.

Et apparuérunt fontes
aquárum, * & reveláta
sunt fundamenta orbis ter-
rárum,

Ab increpatióne tua;
Dómine, * ab inspiratióne
spíritûs iræ tuæ.

Divisio Psalmi 17.

MIsit de summo [Dó-
minus,] & accépit
me, * & assumpsit me de
aquis multis.

Erípuit me de inimícis
meis fortíssimis, & ab iis
qui odérunt me; * quó-
niam confortáti sunt super
me.

Prævenérunt me in di-

[redacted]

afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecundùm juſtítiam meam; * & ſecundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpectu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum e[illegible] * & obſervábo me ab i[illegible]uitáte mea.

[illegible] retríbuet mihi Dóm[illegible]us ſecundùm juſtítiam [illegible]m, * & ſecundùm pu[illegible]tem mánuum meárum [illegible] conſpectu oculórum [illegible]

[illegible]um ſáncto ſanctus eris, * [illegible] cum viro innocente in[illegible]ens eris.

[illegible]t cum electo electus [illegible], * & cum perverſo [illegible] vertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas *lucernam meam*, Dómine: * *Deus meus*, illúmina *ténebras meas*.

Quóniam in te erípiar à tentatióne: * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Altera diviſio Pſ. 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector eſt ómnium ſperántium in ſe.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * & póſuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * & ſuper excelſa ſtátuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuiſti ut arcum æreum bráchia mea.

Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & déxtera tua ſuſcépit me.

Et diſciplína tua correxit me in finem, * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilataſti greſſus meos ſubtùs me, * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehendam illos, * & non convertar donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt ſtare: * cadent ſubtùs pedes meos.

Et præcinxiſti me virtúte ad bellum, * & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtùs me.

Et inimícos meos dediſti mihi dorſum, * & odientes me diſperdidiſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi: * filii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me: * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes regis ejus, & fáciens miſericórdiam Chriſto ſuo David, * & ſémini ejus uſque in *ſǽculum*.

Ant. *Magnus Dóminus* noſter, & magna virtus ejus; & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. *Pſal.* 146.

℣. Médiâ nocte ſurgébam ad confitendum tibi, Dómine, ℟. Super judícia juſtificatiónis tuæ. *Pſ.* 118.

Pater noſter.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Dícite Deo.

Pſalmus 27.

AD te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecundùm ópera eórum, * & ſecundùm nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déſtrues illos, & non ædificábis eos. [illegible]

Benedic[illegible]

[illegible]

quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus & protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea ; * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ : * & rege eos, & extolle illos usque in ætérnum.

Psalmus 29.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me ; * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam : * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non mo*vébor in ætérnum.*

Dómine, in volu
tua, * præstitísti d
meo virtútem.
Avertísti fáciem tu
me, * & factus sum
turbátus.
Ad te, Dómine, cl
bo, * & ad Deum i
deprecábor.
Quæ utílitas in sá
ne meo, * dum desc
in corruptiónem?
Numquid confit
tibi pulvis, * aut an
tiábit veritátem tuan
Audívit Dóminu
misértus est meî : * I
nus factus est adjútor
Convertísti pla
meum in gáudium m
conscidísti saccum n
& circumdedísti me l
Ut cantet tibi
mea, & non compu
* Dómine Deus me
ætérnum confitébor

Psalmus 65.

JUbiláte Deo, omn
ra, psalmum díci
mini ejus, * date g
laudi ejus.
Dícite Deo : Quà
ribília sunt ópera tu
mine ! * in multi
virtútis tuæ mentien
bi inimíci tui.
Omnis terra adó
& psallat tibi : * ps
dicat nómini tuo.
Veníte, & vidéte
Dei : * terríbilis i
liis super fílios h

convertit mare in
, in flúmine per-
ınt pede : * ibi læ-
: in ipſo.
dominátur in vir-
. in æternum ; ócu-
ſuper gentes reſpí-
* qui exáſperant,
ıltentur in ſemet-

:dícite , gentes ,
noſtrum ; * & au-
ácite vocem laudis

póſuit ánimam
d vitam, * & non
commotiónem pe-
os.
ıiam probaſti nos,
igne nos exami-
* ſicut examinátur
ım.
xiſti nos in lá-
, poſuiſti tribula-
.n dorſo noſtro : *
iſti hómines ſuper
ıoſtra.
sívimus per ignem
m , * & eduxiſti
refrigérium.
bo in domum tuam
ıcauſtis : * reddam
a mea, quæ diſtin-
lábia mea ;
útum eſt os meum *
ılatióne mea.
ıcauſta medulláta
ı tibi cum incenſo
ı : * óffcram tibi
:um hircis.
te, audíte, & nar-
mnes qui timétis

Deum, * quanta fecit áni-
mæ meæ.

Ad ipſum ore meo cla-
mávi , * & exaltávi ſub
lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpexi in
corde meo, * non exaú-
diet Dóminus.

Proptéreà exaudívit
Deus, * & attendit voci
deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui
non amóvit oratiónem
meam, & miſericórdiam
ſuam à me.

Ant. Dícite Deo : Quàm
terribília ſunt ópera tua,
Dómine !

℣. Memor fui nocte nó-
minis tui, Dómine ; ℟. Et
cuſtodívi legem tuam. *Pſ.*
118.

Pater noſter.

Poſt nonam Lectionem
dicitur Te Deum , *ſi di-*
cendum ſit.

TE Deum laudámus : *
te Dóminum confi-
témur.

Te æternum Patrem *
omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, *
tibi cœli & univerſæ po-
teſtátes ;

Tibi Chérubim & Sé-
raphim * inceſſabili voce
proclámant :

Sanctus,
Sanctus,
Sanctus,

Dóminus * Deus Sá-
baoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis;

Venerandum tuum verum * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitèrnus es Fílius.

Tu ad liberandum susceptúrus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

Ætérnâ fac * cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

*Et rege eos, * & extolle illos usque in ætérnum.*

*Per singulos dies * benedícimus te;*

Et laudámus nomen tuum in séculum, * & in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine; * miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confundar in ætérnum.

[*Si Laudes non sequuntur continuò, hìc dicitur* Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Deinde Oratio propria cum integra conclusione: ac postèa iterùm,* ℣. Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tum submissâ voce, Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ac tandem, Pater noster *secretò.*]

AD LAUDES.

Si separentur ab Officio Nocturno, antè dicuntur secretò Pater *&* Ave, *& sic in aliis diebus.*

Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Ps. 69.

Glória Patri, &c.

Ant. 8. G. Deus.

Psalmus 62.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra deserta, & ínvia, & inaquósa, * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea; * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuisti adjútor meus.

Et in velamento alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam: introíbunt in inferióra terræ: * tradentur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Ant. 1. a. Mirábilis.

Psalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à século tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine; * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus: testimónia tua credibília facta sunt nimis.

Ant. 5. C. Servíte.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo, omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dómi-

[redacted]

nus ipſe eſt Deus ; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, * introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus : in æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Servíte Dómino in lætítia ; ſcitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus.

[*Canticum ſequens ſemper dicitur in Dominicis per Annum, niſi aliter notetur.*]

Ant. 4. E. Benedíctus es.

Cant. trium Pueror. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino, * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino : * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino : * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino : * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino : * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino : * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum ; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino : * benedícite, univerſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino : * benedícite, filii hóminum Dómino.

Benedícat Iſraël Dóminum ; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, ſacerdótes

Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísaël, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hîc, loco Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Ant. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui, & superlaudábilis & superexaltátus in sécula.

Ant. 7. d. Laudáte.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. Apoc. 7.

BEnedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo nostro in sécula seculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Hymnus.

LAUDATE, quem Cœli colunt:
Quem, turba supplex, Angeli
Prono salútant vértice;
Laudáte, mortáles, Deum.

HIC vos levi de púlvere
Alit creátos, & regit:
Hic cuncta nutu cóndidit,
Et cuncta nutu sústinet.

QUÆ finxit error ímpius,
Gentes colunt ludíbria:
Ast unus est nobis Deus,
Quem summa laus unum decet.

NOMEN verendi Núminis
Laudáre sit solus labor:
Nec ora cessent débitas
Grates canendo sólvere.

SIC gens beáta Cœlitum
Optáta gustat ótia;

Deóque plena dúlcibus
Resolvit ora cánticis.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Antiphona habetur in Proprio.*

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Israël; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ;

Et erexit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui:

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiph. & Oratio ut in Proprio.

Si qua Commemoratio occurrit, fit statim post Orationem diei, per Antiphonam, Versiculum & Orationem, ut notatur in Proprio.

Post Commemorationem, aut, si plures sint, post ultimam dicitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Tum, nisi subjungatur aliud Officium, dicitur secretò:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

Deinde, Pater noster.

Posteà, etiam extra Cho

rum, Antiphona de Beata, pro tempore, ut habetur ad calcem Psalterii : ac tandem : Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℞. Amen.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo, *secretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Præsens benigno lúmine
Nostros ut actus dírigat.

Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet.
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, sis custos vigil.
Da mente scire, quod doces;
Da corde, quod jubes, sequi.

Tu spes salútis; áctuum
Tu finis & primórdium.
Te, prosequámur, aúspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 1. G. Deus meus.

Psalmus 117.

CONfitémini Dómino, *quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.*

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum; * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; * &

ctus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam, * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ; ingressus in eas, confitébor Dómino: * hæc porta Dómini; justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus; * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac: ô Dómine, benè prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem *in condensis*, * usque *ad cornu altáris.*

*Deus meus es tu, & con*fitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Psalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas!

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te; * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua; * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor: * non obliviſcar ſermónes tuos.

Diviſio Pſalmi 118.

RETríbue ſervo tuo, vivífica me, * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra, * non abſcondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpaſti ſuperbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contemptum, * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

*Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * &* consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit pavimento ánima mea, * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudiſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

Sequens Symbolum dicitur, quando fit Officium de Dominica, niſi aliter notetur.

QUicumque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolatamque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitáte, * & Trinitátem

tem in Unitáte venerémur:

Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

Alia enim est persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti, una est divínitas, * æquális glória, coætérna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus, & unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus:

*Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.*

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur; * ita tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est; * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem * ut [illegible]

carnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, * ex ánima rationáli & humána carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem; * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnìnò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo, * ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos; * tértiâ die resurrexit à mórtuis.

Ascendit ad cœlos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis; * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri.

Ant. Deus meus es tu, & confitébor tibi; Deus meus es tu, & exaltábo te.

Capitulum. 1. *ad Tim.* 1.

Regi seculórum immortáli, invisíbili, soli Deo, honor & glória in sécula seculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve*, Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris, [*hic Versus quandoquè mutandus est, ut notatur in propriis locis.*] * Miserére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto, *Repetitur:* Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Ad Officium Capituli.

Primò legitur Martyrologium, in cujus fine respondetur Deo grátias*: & statim Hebdomadarius dicit altâ voce:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Et absolutè sine Dóminus vobiscum, *& sine* Orémus.

SAncta María & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Posteà dicitur, ℣. Deus, *in adjutórium* meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

Deinde Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Tum secretò*, Pater noster. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórũ; ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & re-

in sécula seculórum. Amen.

Lector, versus ad Celebrantem petit benedictionem, dicens : Jube, Domne, benedícere. *Benedictio :* Bonitátem, & disciplínã, & sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Psal.* 118. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis qui quâlibet die varius legitur, & habetur in Proprio, in cujus fine dicitur : Tu autem, Dómine, miserére nostri. *Chorus respondet :* Deo grátias.

Absoluto Canone, Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini : ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Submissiori voce dicit : Benedícite. ℟. Deus.

Hebdom. Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem : fáciens in nobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum cui est glória in sécula seculórum. *Heb.* 13. ℟. Amen.

Post quamlibet Horam, si aliud non sequitur Officium, dicitur secretò : Fidélium ánimæ, &c. *Deinde* Pater noster.

AD TERTIAM.

Si separetur ab Officio præcedenti, dicuntur secretò Pater *&* Ave, *& sic ante alias Horas.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus;
O dulce lumen méntium,
Sacras refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 6. F. Misericórdiâ.

Ex Psalmo 118.

Legem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; * & exquíram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutábor legem tuam; * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum; * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquiũ tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meũ quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucunda

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine ; * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum ; * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis usquequáque ; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuã semper, * in séculum & in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine ; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * & exercébar in justificatiónibus tuis.

Divisio Psalmi 118.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

*Superbi iníquè agébant usquequáque : * à lege autem tua non declinávi.*

Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine, * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me ; * & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra : *

justificatiónes tuas doce me.

Altera divisio Psalmi 118.

BOnitátem fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me, * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquàm humiliárer, ego delíqui: * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórũ: * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri & argenti.

Manus tuæ fecérunt me & plasmavérunt me: * da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me & lætabuntur, * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, *quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliasti me.*

*Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secun*dùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam, * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra.

Capitulum. 1. *Paral.* 16.

DAte Dómino glóriam nómini ejus, & adoráte Dóminum in decóre sancto.

℟. *breve.* Magnus Dóminus, * Et laudábilis nimis. ℣. Et magnitúdinis ejus non est finis. * Et laudábilis nimis. Glória Patri. ℟. Magnus. *Ps.* 144.

℣. Exultáte Deo in insigni die solemnitátis vestræ; ℟. Quia præceptum in Israël est. *Ps.* 80.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM solis áureum jubar
Pleno coruscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refulge sénsibus.
O dux salútis & via

O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perennis gaúdia.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 2. D. Fac cum servo tuo.

Ex Psalmo 118.

DEfécit in salutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes: Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína, * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * *& custódiam testimónia oris tui.*

*In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet i[n] cœlo.*

In generatiónem & generatiónem véritas tua: fundasti terram, & pé[r]manet.

Ordinatióne tuâ perse[ve]rat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua med[i]tátio mea est, * tunc for[si]tè periissem in humilitát[e] mea.

In æternum non oblivi[s]scar justificatiónes tuas, quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac; * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: testimónia tua intellexi.

Omnis consummatióni vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

Divisio Psalmi 118.

QUómodò dilexi leg[em] tuam, Dómine! tota die meditátio mea est.

Super inimícos meo[s] prudentem me fecisti mandáto tuo, * quia in ætern[um] mihi est.

Super omnes docente[s] me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * [ut] custódiam verba tua.

A jud[iciis]

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi, & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine; * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper, * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum, * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

Altera divisio Psalmi 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam dilexi.

Adjútor & *susceptor meus es tu, * & in verbum tuum supersperávi.*

*Declináte à me, mali-*gni; * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam, * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero, * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis; * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò dilexi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam, * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum; * non calumniéntur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam; * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego; * da mihi intellectum ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * super aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar:

omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, Dómine.

Capitulum. 1. Paral. 29.

TUa est, Dómine, magnificéntia & poténtia; tua est glória: tu domináris ómnium; in manu tua magnitúdo & impérium ómnium.

℞. *breve.* Dómine Deus meus, * Magnificátus es vehementer. ℣. Confessiónem & decórem induisti. * Magnificátus es vehementer. Glória Patri. ℞. Dómine Deus. *Ps.* 103.

℣. Afferte Dómino glóriam & honórem; ℞. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. *Ps.* 95.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

RECÍDIT inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supernam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

DA, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui;
Fac, lucis usúræ brevi
Ætterna succédat dies.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 4. E. Appropinquet.

Ex Psalmo 118.

MIrabília testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secundùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandasti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus, * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego & contemptus: * justificatiónes

tuas non ſum oblí-

ítia tua juſtítia in
:m ; * & lex tua vé-

ɒulátio & angúſtia
:runt me : * mandá-
meditátio mea eſt.
ıitas teſtimónia tua
num ; * intelléctum
.i, & vivam.
iſio Pſalmi 118.
mávi in toto corde
eo, exaudi me, Dó-
; * juſtificatiónes
:quíram.
návi ad te, ſalvum
:, * ut cuſtódiam
.ta tua.
véni in maturitáte,
ıávi ; * quia in ver-
ſuperſperávi.
venérunt óculi mei
lilúculo, * ut medi-
lóquia tua.
m meam audi ſecun-
iſericórdiam tuam,
ıe ; * & ſecundùm
m tuum vivífica me.
opinquavérunt per-
tes me iniquitáti ; *
autem tua longè
ùnt.
ɒè es tu, Dómine ; *
es viæ tuæ véritas.
o cognóvi de teſti-
tuis ; * quia in ætér-
ındaſti ea.
humilitátem meam,
e me ; * quia legem
ıon ſum oblítus.
ca judíc ium meu

& rédime me : * propter elóquium tuũ vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus ; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ, multæ, Dómine ; * ſecundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequuntur me, & tríbulant me : * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, & tabeſcébam ; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine : * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas : * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Altera diviſio Pſalmi 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs ; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui & abominátus ſum ; * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre *tuum*, Dómine ; * & mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquiũ tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuũ, Dómine; * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine.

Capitulum. Apoc. 5.

SEdenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum.

℟. *breve.* Exaltáre * Super cœlos, Deus. ℣. Et super omnem terram glória tua. * Super cœlos, Deus. Glória Patri. ℟. Exaltáre. *Ps.* 107.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 7. c. Dixit Dóminus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis;

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion; * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum; * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis.

Ant. 4. d. Fidélia.

Psalmus 110.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus ; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo ;

Ut det illis hæreditátem géntium, * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætermum testamentum suũ.

Sanctum & terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ *timor Dómini.*

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum ; * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

Ant. 1. f. Qui timet Dñum.

Psalmus 111.

BEátus vir qui timet Dóminum ; * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus, * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus, * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, & miserátor, & justus.

Jucundus homo qui miserétur & cómmodat : dispónet sermónes suos in judício ; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino : confirmátum est cor ejus ; * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in séculum séculi ; * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur ; déntibus suis fremet & tabescet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dómi

num, in mandátis ejus volet nimis.

Ant. 7. ç. Sit nomen Dómini.

Pſalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus ; * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra ?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens paúperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Ant. Sit nomen Dómini benedictum, ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Ant. 1. A. Nos qui vívimus.

Pſalmus 113.

IN éxitu Iſraël de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro ;

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit & fugit : * Jordánis converſus eſt retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi, mare, quòd fugiſti ; * & tu Jordánis, quia converſus es retrorsùm ?

Montes, exultaſtis ſicut aríetes, * & colles, ſicut agni óvium ?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob.

Qui convertit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam,

Super miſericórdia tua & veritáte tua ; * nequando dicant gentes : Ubi eſt Deus eórum ?

Deus autem noſter in cœlo : * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum :

Os habent, & non loquentur ; * óculos habent, & non vidébunt :

Aures habent, & non aúdient ; * nares habent, & non odorábunt :

Manus habent, & non palpábunt ; pedes habent,

& non ambulábunt ; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea ; * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Isräel sperávit in Dómino : * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino ; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * & benedixit nobis.

Benedixit dómui Israel, * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descendunt in inférnum :

Sed nos qui vívimus, benedícimus *Dómino, * ex hoc nunc, & usque in sǽculum.*

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. Ephes. 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte.

Hymnus.

LUcis Creátor óptime,
Ter sancte, ter potens Deus,
Qui purus, immutábilis,
Fons sanctitátis pérmanes :

Nos qui tuum genus sumus,
Nos, ô Pater, quos núminis
Imáginem tui vocas,
Quàm pura nos virtus decet !

Tu semper astas méntibus
Testis vigil ; tu péctoris
Scrutans recessus íntimos,
Arcána præsens áspicis.

NOSTRAS, benigne Cónditor,
Mentes subi, sensus rege ;
Omnémque labem críminis
Accensa mundet cáritas.

SIC digna conspectus tuos
Mens ferre, quondam cœlstibus

Vinclis solúta córporis,
Tuo quiescet in sinu.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus; ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

Ad Magníficat *Antiphona ut in Proprio.*

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum,
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo;
Quia respexit humilitátem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:
Quia fecit mihi magna qui potens est; * & sanctum nomen ejus:
Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispersit supérbos mente cordis sui.
Depósuit potentes de sede, * & exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis, * & dívites dimísit inánes.
Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ;
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sécula.

Deinde dicitur Antiphona & Oratio conveniens.

Posteà Commemoratio, si qua occurrit, fit hoc loco.

Si Completorium non sequitur, submissâ voce dicitur Fidélium ánimæ, &c. *denique* Pater.

AD COMPLETORIUM.

Pater, Ave. *secretò.*

COnverte nos, Deus salutáris noster; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 8. g. In pace. *nisi aliter notetur.*

Psalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatasti mihi.
Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.
Fílii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?
Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum: * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.
Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.
Sacrificáte sacrifícium

justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini & ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum * dórmiam & requiescam.

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituisti me.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi; * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno,

A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, * ab incursu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, Tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuisti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum; * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne forté offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne; erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini;

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta,

& benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. In pace in idipsum dórmiam & requiéscam.

Hymnus.

DEus Creátor ómnium,
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces
Proni tibi persólvimus.

Quod longa peccávit dies
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per sopórem nos finas
Hostis patére fraúdibus.

Infestus usque círcuit,
Quærens leo quem dévoret;
Umbrántibus tuos, Pater,
Natos sub alis prótege.

O quando lucéscet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus!

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Capitulum. 1. *Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diéi. Non sumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus sicut & céteri; sed vigilémus, & sóbrii simus.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. ℣. Redemisti me, Dómine Deus veritátis. * Commendo spíritum meum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. ℟. In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ad Nunc dimittis, *nisi aliter notetur in Proprio*,

Ant. 3. c. Salva nos.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilantes; custódi nos dormientes; ut vigilémus cum Christo, & requiescámus in pace.

℣. Dóminus vobiscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per

Dóminum nostrum, &c.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde submissiori voce dicitur : Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cáritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus nobis. 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Posteà dicitur Antiphona de B. M. V. Salve, Regína, *cum* ℣. *& Orat. ut habetur ad calcem Psalterii.*

Finitâ Oratione, dicitur ℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Deinde secretò, Pater, Ave, Credo.

FERIA SECUNDA AD MATUTINUM.

Pater, Ave, Credo.

Dómine, lábia mea, &c.

Deus, in adjutórium, &c.

Invitat. Dóminum qui fecit cœlum & terram, * Veníte, adorémus. *Ps.* 123.

Psalmus Veníte. *pag.* 2.

Hymnus.

QUAM mira nobis, ô Deus,
Paras amóris pígnora!
Qui sufficis solus tibi,
Mundum creáre, cógitas.

Tu magna cœli lúmina,
Tu noctis umbras, & diem,
Terræque tractus & maris
Immensus ipse cóntines.

UT tempus incœptum fluat,
Te velle, te loqui sat est.
Virtus ab æterno latens
Expandet inclúsas opes.

UBI merum subest nihil,
Creáre non tibi labor:
Quodcumque mente cóncipis,
Vis esse? Jam factum vides.

EXTENDE ludens déxteram;
Te mundus ostendat Deũ;
Jubentis ore pródeat
Opus superbum quod moves.

ORBEM potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo simul cum Spíritu,
Sit summa laus in sécula.
Amen.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, dicuntur pro unico Nocturno novem Psalmi ad unamquamque Feriam positi, sub una duntaxat Antiphona post singulos tres Psalmos. In Officiis autem novem Lectionum distribuuntur iidem Psalmi in tres Nocturnos sub Antiphonis tribus, vel novem pro Officii qualitate : sub Antiphonis tribus si Officium est simpliciter duplex; sub novem, si Officium duplex est III. *Classis, vel suprà. Porrò illæ Antiphonæ habentur vel in Proprio vel in Communi.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. d. Dómine.

Psalmus 8.

DOmine Dôminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra !

Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas quæ tu fundasti :

Quid est homo, quòd memor es ejus; * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronasti eum, * & constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus : * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra ! *Psalmus* 32.

EXultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris, * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra; * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium ; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

Divisio Psalmi 32.

BEáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus: * vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem, * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum, * quóniam adjútor & protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; * quemádmodùm sperávimus in te.

Ant. Dómine, tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ámbitu continétur: Dóminus ómnium es. *Esth.* 13.

IN II. NOCTURNO,

Ant. 7. *d. Omnia.*

Psalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam, * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacunque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum, * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pelicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversum me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ, * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 101.

TU exurgens miserébe-ris Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera, * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit,

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini; * & laudem ejus in Jerúsalem;

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera divisio Psalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundasti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur; * tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Fílii servórum tuórum habitábunt, * & semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Joann.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. 2. Ex ipso.

Psalmus 103.

BEnedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem & decórem induisti; * amictus lúmine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum, * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos spíritus, * & ministros tuos ignem urentem.

Qui fundasti terram su-

per ſtabilitátem ſuam : * non inclinábitur in ſécu-lum ſéculi.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus : * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient ; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Diviſio Pſalmi 103.

ASCendunt montes, & deſcendunt campi, * in locum quem fundaſti eis.

Términum poſuiſti quem non tranſgredientur, * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béſtiæ agri, * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt, * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſupe-rióribus ſuis : * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra ;

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum ;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Líbani quas plantávit : * illic páſſeres nidificábunt.

Heródii domus dux eſt eórum ; * montes excelſi cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuiſti ténebras, & facta eſt nox : * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſilvæ ;

Cátuli leónum rugientes ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperum.

Altera diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine ! ómnia in ſapiéntia feciſti : * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum & ſpatióſum mánibus : * illîc reptília quorum non eſt númerus.

Animália puſilla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei ; * ómnia à te expectant, ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent ; * aperiente te ma-

num tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabuntur; * aúferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suum revertentur.

Emittes spíritum tuum, & creabuntur, * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in séculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea; * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt ómnia: ipsi glória in sécula. *Rom.* 11.

℣. Magnus Dóminus noster; & magna virtus ejus; ℟. Et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Ps.* 146.

Pater noster, *secretò.*

Absolut. & Benedict. ut ordinantur post Psalterium.

Lectiones cum ℟ ℟ ℟. *ut in Proprio Temporis, & sic in sequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 5. a. Fecit terram.

Psalmus 18.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à summo cœlo egréssio ejus,

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiã præstans párvul[is].

Justítiæ Dómini rect[æ] lætificantes corda: * pr[æ]ceptum Dómini lúcidu[m] illúminans óculos.

Timor Dómini sanct[us] pérmanens in séculum [sé]culi: * judícia Dómini [ve]ra, justificáta in semet [ipsa].

Desiderabília super [au]rum & lápidem pre[tiosum]

multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, & ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus * & redemptor meus.

Psalmus 135.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui fecit cœlos in intellectu; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Lunam & stellas in potestátem noctis; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Divisio Psalmi 135.

[Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus.]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui eduxit Israel de médio eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

In manu poténti & bráchio excelso, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et eduxit Israël per médium ejus; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui traduxit pópulum suum per desertum; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Qui percussit reges magnos; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et Og regem Basan; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hæreditátem Israël servo suo; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni: * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Canticum sequens dicitur in Feriis per annum. Aliis temporibus & in Festis Sanctorum habentur Cantica propria.

Canticum Annæ. 1. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos; * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus ut est Dóminus; neque enim est álius extra te, * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriantes.

Recédant vétera de ore vestro; * quia Deus sciéntiárum Dóminus est, & ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * & infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt, * & famélici saturáti sunt;

Donec stérilis péperit plúrimos, * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit, & ditat; * humíliat, & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * & de stércore élevat paúperem;

Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt

adversárii ejus, * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium regi suo, & sublimábit cornu Christi sui.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum, de cœlis, * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus, * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna, * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in æternum, & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles; * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béstiæ, & universa pécora; * serpentes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * filiis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Ant. Fecit terram in fortitúdine sua, præparávit orbem in sapiéntia sua. *Jerem.* 51.

Capitulum. Rom. 1.

INvisibília Dei à creatúra mundi, per ea quæ facta sunt, intelleꝑa conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divínitas.

Hymnus.

DEO loquente, prótinùs
Fiunt ténebræ, fit dies;
Et spléndidæ cœlo faces
Noctem, diémque dívidunt.

STAT terra: currunt flúmina,
Quæ fundit immensum mare:
Velantur astra núbibus,
Subsistit unda pénsilis.

HERBÆ virentis tégmine
Vestíta tellus píngitur:
Lætis onustæ frúctibus
Passim renídent árbores.

LEVES in imo gúrgite
Repente pisces innatant:
Feruntur ad cœlos aves;
Vagantur in silvis feræ.

HOMO creátus náſcitur,
Spirans imágo núminis:
Terreſtre córporis lutum
Cœleſtis afflat ſpíritus.

O Numen! ô mundi
Pater!
Volendo quid non éfficis?
Tuæ, Deus, poténtiæ
Mundum creáre ludus eſt.

ORBEM potenter qui
creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula.
Amen.

℣. Deus noſter in cœlo;
℟. Omnia quæcumque vóluit, fecit. *Pſ.* 113.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Dignus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriam; quia tu creaſti ómnia, & propter voluntátem tuam creáta ſunt. *Apoc.* 4.

Preces & Suffragia, ſi dicantur, habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio, quando propria non aſſignatur, dicitur de Dominica præcedente; & ſic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo.
Deus, in adjutórium.
Hymnus, Jam lucis orto ſídere, *ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 8. g. Creávit Deus.

Pſalmus 81.

DEus ſtetit in ſynagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum ſúmitis?

Judicáte egéno & pupillo: * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis; * & fílii Excelſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

Pſalmus 89.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priuſquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis; * à ſéculo & uſque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem; * & dixiſti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies heſterna quæ prætériit,

Et cuſtódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

Mane ſicut herba tránſeat, mane flóreat & tránſeat; * véſpere décidat, indúret & areſcat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuiſti iniquitátes noſtras in conſpectu tuo, * séculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri ſicut aránea meditabuntur: * dies annórum noſtrórum, in ipſis ſeptuaginta anni.

Si autem in potentátibus, octoginta anni; * & ámplius eórum labor & dolor.

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntia.

Diviſio Pſalmi 89.

Convértere, Dómine: úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus mane miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliaſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua, * & dírige filios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos: * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige.

Ant. Creávit Deus hóminem; ad ſimilitúdinem Dei fecit illum. Máſculum & féminam creávit eos, & benedixit illis. *Gen.* 5.

Capitulum, ℟. breve, & Preces, quando dicendæ ſunt, habentur infrà ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, O fons amóris, *ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 7. ç. Diſciplína.

Pſalmus 73.

Ut quid, Deus, repuliſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſediſti ab inítio.

Redemiſti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitaſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odé-

runt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum; * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus; jam non est prophéta; * & nos non cognoscet ámpliùs.

Usquequò, Deus, improperábit inimícus; * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Divisio Psalmi 73.

TU confirmasti in virtúte tua mare, * contribulasti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita *dracónis*, * dedisti eum *escam pópulis Æthíopum*.

Tu dirupisti fontes & torrentes, * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem & ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas paúperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulcritúdo in conspectu ejus; * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, & exultet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Ant. Disciplinâ intellectûs replévit illos, ut nomen sanctificatiónis collaudent. *Eccli.* 17.

Capitulum. Eccli. 18.

QUi vivit in ætcrnum, creávit ómnia simul. Quis súfficit enarráre ópera illíus? quis enim investigábit magnália ejus?

℟. *br.* Scitóte * Quóniam Dóminus ipse est Deus. ℣. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. * Quóniam Dóminus ipse est Deus. Glória. ℟. Scitóte. *Ps.* 99.

℣. Dómine, misericórdia tua in séculum; ℟. Opera mánuum tuárum ne despícias. *Ps.* 137.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà ad calcem Psalterii.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam solis. *ad calcem Psalterii; & sic in aliis Feriis.*

Ant. 2. D. Vidit Deus.

Psalmus 91.

BOnum est confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíssime:

Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem,

In decachordo psalté-

tio, * cum cántico in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua : * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Divisio Psalmi 91.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognoscet, * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem,

Ut intéreant in séculum séculi; * tu autem Altíssimus in æternum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine : quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum, * & senectus mea in misericórdia úberi.

Et despexit óculus meus inimícos meos; * & in insurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Justus ut palma florébit, * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * *in átriis domûs Dei nostri florébunt.*

Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi, * & bene patientes erunt ut annúntient,

Quóniam rectus Dóminus Deus noster, * & non est iníquitas in eo.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exultet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus, * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum ; * custódit

Dóminu

Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Vidit Deus cuncta quæ fécerat, & erant valde bona. *Gen.* 1.

Capitulum. Baruch. 3.

EMittit lumen, & vadit; & vocávit illud, & obédit illi in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumen in custódiis suis, & lætátæ sunt. Vocátæ sunt, & dixérunt: Adsumus: & luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas.

℟. *breve.* Tui sunt cœli, * Et tua est terra. ℣. Orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundasti. * Et tua est terra. Glória. ℟. Tui sunt. *Ps.* 88.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, ℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. *Ps.* 32.

Preces, si dicendæ sunt, habentur infrà ad calcem Psalterii.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus. Recédit, *ad calcem Psalterii; & sic in aliis Feriis.*

Ant. 1. *G. Omnia.*

Psalmus 102.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas:

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus:

Qui replet in bonis desidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm diſtat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Altera diviſio Pſalmi 102.

QUómodò miſerétur pater filiórum, miſertus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figmentum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus : * homo, ſicut fœnum dies ejus; tanquam flos agri, ſic efflorébit.

Quóniam ſpíritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet; * & non cognoſcet ámpliùs locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab æterno * & uſque in æternum ſuper timentes eum.

Et juſtítia illíus in filios filiórum, * his qui ſervant teſtamentum ejus,

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * potentes virtúte, facientes verbum illíus, ad audiendam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus; * miniſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Omnia hæc vivunt, & in omni neceſſitáte ómnia obáudiunt ei. *Eccli.* 42.

Capitulum. Iſ. 40.

LEváte in excelſum óculos veſtros, & vidéte quis creávit hæc : Deus ſempiternus Dóminus, qui creávit términos terræ : non déficiet, neque laborábit; nec eſt inveſtigátio ſapiéntiæ ejus.

℟. *breve.* Benedícite Dómino, * Omnia ópera ejus. ℣. In omni loco dominatiónis ejus, * Omnia ópera ejus. Glória. ℟. Benedícite. *Pſ.* 102.

℣. Generátio & generátio laudábit ópera tua, ℟. Et poténtiam tuam pronuntiábunt. *Pſ.* 144.

Preces, ſi dicendæ ſunt, habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

Deus, in adjutórium.

Ant. 6. F. Ipſe dat.

Pſalmus 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu Angelórum pſallam tibi, * adorábo ad

templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo,

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excelsus Dominus, & humília réspicit; * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Psalmus 138.

DOmine, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meã, & resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè, * sémitam meam & funículum meum investigasti.

*Et omnes vias meas præ*vidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima & antíqua; * tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illîc es; * si descéndero in infernum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos, * suscepisti me de útero matris meæ.

Divisio Psalmi 138.

COnfitébor tibi [Dómine] quia terribiliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecisti in occulto; * & substánti

mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui, & in libro tuo omnes scribentur : * dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus; * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur : * exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres ;* viri sánguinum, declináte à me :

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam ; * & super inimícos tuos tabescébam ?

Perfecto ódio óderam illos, * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum : * intérroga me, & cognosce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via ætcrna.

Psalmus 143.

BEnedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & re*fúgium meum; * susceptor meus, & liberátor* meus.

Protector meus, & in ipso sperávi ; * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est ; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descende : * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos : * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto : éripe me ; & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem ; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Divisio Psalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachordo psallam tibi.

Qui das salútem régibus, * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum fílii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte sua.

Filiæ eórum compósi-

tæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt : * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Ipse dat ómnibus vitam, & inspiratiónem & ómnia. *Act.* 17.

Capitulum. Judith. 16.

ADónaï, Dómine, magnus es tu : tibi sérviat omnis creatúra tua, quia dixisti, & facta sunt; misisti Spíritum tuum, & creáta sunt.

Hymnus.

DEo canentes psállite.
Quicumque dulci spíritu
Vitális auræ véscim[...]
Omnes per ipsum vív[...]s.
Auctoris in laud[...]
Natúra tota pérso[...]
Servíre, Mortáles, Deo
Vos terra, vos cœlum docet.
Parent jubenti sídera,
Nubésque dicunt : Adsumus.
Illíus ad nutum mare
Submittit undas súpplices.
Rerum *Sator, totum tibi*
Se debet humánum genus.
Momenta vitæ témperas,
In te movémur & sumus.
Dei creátus múnere,
Deum parentem díliges.
Lex est in imo péctore
Divína quam scripsit manus.
Orbem potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo simul cum Spíritu,
Sit summa laus in sécula.
Amen.

℣. Sit glória Dómini in séculum ; ℟. Lætábitur Dóminus in opéribus suis. *Ps.* 103.

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu : vitam & misericórdiam tribuisti mihi. *Job.* 10.

Preces, quæ dicendæ sunt, & suffragia habentur infrà ad calcem Psalterii.

Oratio; quandò propri[a] non assignatur, dicitur [de] Dominica præcedenti; sic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIU[M]

Pater. Ave.

℣. Converte nos.

℣. Deus, in adjutóri[um]

Ant. 7. d. Lavábo.

Psalmus 6.

DOmine, ne in f[urore] tuo árguas me, [ne]que in ira tua corripia[s]

Miserére meî, Dó[mine,] quóniam infirmus [sum]

ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde : * ſed tu, Dómine, úſquequò ?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam : * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî ; * in inferno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo ; lavábo per ſíngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus ; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem ; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletùs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam ; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei ; * convertantur & erubeſcant valde velóciter.

Pſalmus 7.

DOmine Deus meus, in te ſperávi : * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me; *Nequando rápiat* ut leo ánimam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud ; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis ;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidã méritò ab inimícis meis inánis.

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam ; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, in præcepto quod mandaſti, * & ſynagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere ; * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, ſecundùm juſtítiam meam, * & ſecundùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meũ à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde.

Diviſio Pſalmi 7.

DEus judex juſtus, fortis & pátiens : * numquid iráſcitur per ſíngulos dies ?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis; * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus, * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus, * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Lavábo per síngulas noctes lectum meum; lácrymis meis stratum meũ rigábo.

Hymnus, Capitulum, ℟. *breve, Antiph. ad* Nunc dimittis, *& Preces, si dicendæ sunt, habentur infrà ad calcem Psalterii.*

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum ómnia suáviter disponentem, * Veníte, adorémus. *Sap.* 8.

ÆTERNE rerum Cónditor,
Mundum creas poténtiâ:
Jugi tuéris cónditum
Regísque providéntiâ.

Tu spléndidũ solis jubar,
Cursúsque certos síderum,
Idem movéri néscius,
Motu perenni témperas.

HINC vólvitur cœlo dies,
Hinc atra nox fugat diem:
Hinc nos per alternas vices
Aut somnus, aut labor tenet.

FŒCUNDA rerum sémina
Subacta tellus éxcipit,
Aptóque missus témpore
Cœlestis imber írrigat.

HINC flava náscitur seges,
Dulcémque victum súfficit.
Sic sponte nobis pródigam
Benignus expandis manũ.

TIBI, Pater, cum Fílio,
Almo simul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Deus.

Psalmus 61.

NOnne Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus; * suscéptor meus, non movébor ampliùs.

Quousque irrúitis in hóminem? * interfícitis universi vos, tanquam paríeti inclináto & macériæ depulsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucurri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjecta esto ánima mea ; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus & salvátor meus ; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea : * Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli ; effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris ; * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus ; duo hæc audívi ; quia potestas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus 79.

QUi regis Israel, inténde ; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraim, Bénjamin & Manasse.

*Excita poténtiam tuã, & veni, * ut salvos fácias nos.*

Deus, converte nos, * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, quousque irascéris supe orationem servi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabi nobis in lácrymis in mensúra ?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris, & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convert nos, * & ostende fácier tuam, & salvi érimus.

Divisio Psalmi 79.

VIneam de Ægypt transtulisti [Dóminc * ejecisti gentes, & plan tasti eam.

Dux itíneris fuisti i conspectu ejus ; * plantast radíces ejus, & implév terram.

Opéruit montes umbr ejus, * & arbusta ejus ce dros Dei.

Extendit pálmites suc usque ad mare, * & usqu ad flumen propágines eju

Ut quid destruxisti ma cériam ejus, * & vindé miant eam omnes qui præ tergrediuntur viam ?

Exterminávit eam apc de silva, * & singuláris fe rus depastus est eam.

Deus virtútum, convér tere ; * réspice de cœlo, vide, & vísita víneam is

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua ; * & super fílium hóminis , quem confirmasti tibi.

Incensa igni & suffossa : * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ * & super fílium hóminis , quem confirmasti tibi.

Et non discédimus à te ; vivificábis nos, * & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos , * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Ant. Deus auxílii mei , & spes mea in Deo est.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Attingit.

Psalmus 104.

CONfitémini Dómino , & invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei , & psállite ei ; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum , & confirmámini , * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit , * prodígia ejus , & judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus , * fílii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui,*verbi quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham , * & juramenti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum , * & Israël in testamentum æternum ,

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan * funículum hæreditátis vestræ :

Cùm essent número brevi , * paucíssimi , & íncolæ ejus.

Et pertransiérunt de gente in gentem , * & de regno ad pópulum álterum.

Divisio Psalmi 104.

NOn relíquit [Dñus] hóminē nocére eis , * & corrípuit pro eis Reges.

Nolíte tángere christos meos , * & in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram , * & omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus , * ferrum pertránsiit ánimam ejus , donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * misit

rex, & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ;

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetipſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſrael in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum vehementer, * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convertit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Miſit Móyſen ſervum ſuum, * Aaron quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit ténebras, & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convertit aquas eórum in sánguinem, * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas, * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cínifes, * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terra ipsórum.

Et percuſſit víneas eórum & ficúlneas eórum, * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locuſta & bruchus, * cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percuſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Altera diviſio Pſalmi 104.

Lætáta eſt Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in ſicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum.

Et eduxit pópulum ſuum in exultatióne, * & electos ſuos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres

populórum possedérunt ;
Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.
Ant. Attingit à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter. *Sap.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Protector est.

Psalmus 105.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.
Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus ?
Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.
Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo ;
Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.
Peccávimus cum pátribus nostris, * injustè égimus, iniquitátem fécimus.
Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua ; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.
Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare rubrum.
Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam.
Et increpuit mare rubrum, & exsiccátum est ; * & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.
Et salvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci.
Et opéruit aqua tribulantes eos : * unus ex eis non remansit.
Et credidérunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Divisio Psalmi 105.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * & non sustinuérunt consílium ejus.
Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto, * & tentavérunt Deum in inaquóso.
Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & misit saturitátem in ánimas eórum.
Et irritavérunt Móysen in castris, * Aaron sanctum Dómini.
Aperta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abíron.
Et exarsit ignis in synagóga eórum ; * flamma combussit peccatóres.
Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt scúlptile :
Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, * si non Móyses eléctus ejus stetisset in confractióne in conspectu ejus;

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos: * & pro níhilo habuérunt terram desiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in desérto.

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis, * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit; * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem usque in sempitérnum.

Altera divisio Ps. 105. Et

IRritavérunt eum ad aquas *contradictiónis; & vexátus est* Móyses propter eos, * quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distinxit in lábiis suis: * non disperdidérunt gentes quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt sculptílibus eórum: * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * & fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocentem, * sánguinem filiórum suórum, & filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium: * & domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum; & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpè liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cùm tribularentur, * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui, * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus :

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israel à sǽculo, & usque in sǽculum : * & dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Ant. Protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. *Eccli.* 2.

℣. Adjútor meus esto, ne derelinquas me ; ℟. Neque despícias me, Deus salutáris meus. *Ps.* 26.

Pater noster.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 4. D. Tua, Pater.

Psalmus 106.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos,

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso ; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes & sitientes : * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabilia ejus fíliis hóminum ;

Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esurientem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum : * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris & umbra mortis, * & víncula eórum disrúpit.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabilia ejus fíliis hóminum ;

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Divisio Psalmi 106.

SUscépit eos [Dóminus] de via iniquitátis eórum; * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominata est ánima eórum, * & appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et sacríficent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

Dixit: & stetit spíritus procellæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt & moti sunt sicut ébrius; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dó*minum, cùm tribula*rentur, * & de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram, * & siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt, quia siluérunt: * & deduxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum:

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Altera divisio Ps. 106.

POsuit [Dóminus] flúmina in desertum, * & éxitus aquárum in sitim;

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esurientes; * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas: * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimis; * & jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * & vexáti sunt à tribulatióne malórum & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre

fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabuntur: * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc, * & intélliget misericórdias Dómini?

Canticum Moysi. Exod. 15.

CAntémus Dómino, gloriósè enim magnificátus est: * equum & ascensórē dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor; Omnípotens nomen ejus: * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Electi príncipes ejus submersi sunt in mari rubro, * abyssi operuérunt eos; descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percussit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos.

Misisti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam; * *& in spíritu furóris tui congregátæ sunt* aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare: * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, & devorávit eos terra: * dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti.

Et portasti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine: *

donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnábit in ætérnum & ultrà.

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare: * & reduxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Psalmus 134.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum;

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dominus: * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo, & in terra, * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis, * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas, * & occídit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum , benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion , * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Tua, Pater, providéntia gubernat; ostendens quóniam potens es. *Sap.* 14.

Capitulum. Philipp. 4

NIhil sollíciti sitis; sed in omni oratióne & obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotescant apud Deū.

Hymnus.

NOn cæca sors mundum regit,
Nec versat humánas vices:
Has lege certâ pónderat
Intentus è cœlo Deus.

Hic dat mori, dat vívere;
Hic sceptra regum dívidit,
Pacísque solus árbiter,
Aut bella sedat, aut movet.

Hic, ímpios ultrò sinit
Caput superbum tóllere:
Sed imminentem vértici
Cladem scelesto præparat.

Hic, paúperi tendens manum,
Humi jacentem súblevat;
Tactus potenti dézterâ,
Dum dives ex alto ruit.

Seu te secunda sors beat,
Adversa seu te déprimit:
Dispensat adversam Deus,
Idémque mittit prósperam.

Tibi, Pater, cum Filio,
Almo simul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis, ℟. A generatióne in generatiónem. *Ps.* 89.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. a. Oculi Dómini super timentes eum; protector poténtiæ, firmamentum virtútis, & adjutórium casûs; dans sanitátem & vitam & benedictiónem. *Eccli.* 34.

Cætera ut in Feriâ II. & sic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Quid est homo.

Psalmus 9.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te, * psallam nómini tuo, Altíssime;

In convertendo inimícum meum retrorsùm: * infirmabuntur & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum & causam meam: * sedisti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpasti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delesti in æternum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * & civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu, * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte; judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium paúperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

Quóniam requírens sánguinem, eórum recordátus est; * non est oblítus clamórem paúperum.

Divisio Psalmi 9.

MIserére meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens; * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deū.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis: * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine; non confortétur homo; * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos, * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Altera divisio Psalmi 9.

UT quid, Dómine, recessísti longè; * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine & dolo; * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in paúperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fùerit paúperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua; * ne oblivíscáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper, * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

*Dóminus regnábit in ætérnum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.*

Desidérium paúperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupillo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Quid est homo, quia magníficas eum, ô custos hóminum? *Job.* 7.

Cætera ut in Feriâ II. & sic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Pater.

Psalmus 19.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo: * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exaúdiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis; * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt; * nos autem ſurréximus, & erecti ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem, * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguaſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Pſalmus 53.

DEus, in nómine tu[o] ſalvum me fac, * [&] in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratióne[m] meam, * áuribus pércip[e] verba oris mei.

Quóniam aliéni inſurr[e]xérunt adversùm me, [&] fortes quæſiérunt ánima[m] meam, * & non prop[o]ſuérunt Deum ante co[n]ſpectum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuva[t] me, * & Dóminus ſuſc[e]ptor eſt ánimæ meæ.

Averte mala inimíc[is] meis, * & in veritáte tu[a] diſperde illos.

Voluntáriè ſacrificábo t[i]bi; * & confitébor nómi[ni] tuo, Dómine, quónia[m] bonum eſt.

Quóniam ex omni trib[u]latióne eripuiſti me, * [&] ſuper inimícos meos de[s]pexit óculus meus.

Ant. Pater, panem n[o]ſtrum quotidiánum da n[o]bis hódie. *Luc.* 11.

Capitulum. Oſee 11.

EGo quaſi nutrítius E[phraïm], portábam eo[s] in bráchiis meis. In fun[i]culis Adam traham eos, i[n] vínculis caritátis.

℟. *breve.* Dóminus reg[it] me, * Et nihil mihi déeri[t]. ℣. In loco páſcuæ, ibi m[e] collocávit. * Et nihil mi[hi] déerit. Glória. ℟. Dóm[i]nus regit me. Pſ. 22.

℣. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; ℟. Et tu das eſcam illórum in témpore opportúno. *Pſ.* 144.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD SEXTAM.

Ant. 4. c. Quómodò.

Pſalmus 56.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam & veritátem ſuam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & ſagittæ, * & lingua eórum glădius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & pſalmum dicam.

Exurge, glória mea; exurge, pſaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Pſalmus. 93.

DEus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſuperbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur & loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupillos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipientes in

pópulo ; * & ſtulti , aliquando ſápite.

Qui plantávit aurem , non aúdiet ? * aut qui finxit óculum , non consíderat ?

Qui córripit gentes, non árguet ? * qui docet hóminem ſciéntiam ?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum , * quóniam vanæ ſunt.

Diviſio Pſalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine , * & de lege tua docúeris eum ;

Ut mítiges ei à diébus malis , * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelinquet.

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium : * & qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſurget mihi advérsùs malignantes ?* aut quis ſtabit mecum adversùs operantes iniquitátem ?

Niſi quia Dóminus adjúvit me : * paulò minùs habitaſſet in inferno ánima mea.

Si dicébam , Motus eſt pes meus ; * miſericórdia tua , Dómine , adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo , * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis , * qui fingis labórem in præcepto ?

Captábunt in ánimam juſti , * & ſánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium , * & Deus meus in adjutórium ſpei meæ ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum , & in malítia eórum diſperdet eos : * diſperdet illos Dóminus Deus noſter.

Ant. Quómodò poſſet aliquid permanére , niſi tu voluiſſes ? aut quod à te vocátum non eſſet, conſervarétur ? *Sap.* 11.

Capitulum. Job. 12.

IN manu Dei ánima omnis viventis : apud ipſum eſt ſapiéntia & fortitúdo ; ipſe habet consílium & intelligéntiam.

℟. *breve.* Sperent in te , * Qui novérunt nomen tuum. ℣. Quóniam non dereliquiſti quærentes te , Dómine. * Qui novérunt nomen tuum. Glória. ℟. Sperent in te. *Pſ.* 9.

℣. Mihi adhærére Deo bonum eſt , ℟. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72.

Cætera ut in Feriâ II. & *ſic in aliis Feriis.*

NONAM.
7. b. Non est.
[P]salmus 43.
:, aúribus nostris
ívimus, * patres
nnuntiavérunt no-

quod operátus es
is eórum, * & in
ntíquis.
s tua gentes dispér-
: plantasti eos: *
pópulos, & expu-

nim in gládio suo
ant terram, * &
n eórum non sal-
s.
xtera tua, & brá-
um, & illuminátio
i; * quóniam com-
in eis.
ipse Rex meus &
us, * qui mandas
acob.
inimícos nostros
imus cornu, * &
ne tuo spernémus
tes in nobis.
nim in arcu meo
* & gládius meus
ábit me.
ti enim nos de af-
us nos, * & odien-
onfudisti.
[divi]sio Psalmi 43.
laudábimur totâ
& in nómine tuo
imur in sǽculum.
autem repulisti &
nos; * & non

egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros: * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escárum, * & in géntibus dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec obliti sumus te, * & iniquè non égimus in testamento tuo.

Et non recessit retrò cor nostrum, * & declinasti sémitas nostras à via tua.

Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera divisio Psalmi 43.

SI obliti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad Deum aliénum:

Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge ; quare obdormis, Dómine ? * exurge, & ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis ; * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Non est sapiéntia, non est prudéntia, non est consílium contra Dóminum. *Prov.* 21.

Capitulum. 1. *Petri* 5.

HUmiliámini sub potenti manu Dei, omnem sollicitúdinem vestram projicientes in eum ; quóniam ipsi cura est de vobis.

℟. *breve.* Bonum est confídere in Dómino, * Quàm confídere in hómine. ℣. Bonum est speráre in Dómino. * Quàm confídere in hómine. Glória. ℟. Bonum. *Ps.* 117.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Cætera ut in Feriâ II. & sic in aliis Feriis.

AD VESPERAS.

Pater, Ave.

Deus, in adjutórium.

Ant. 3. b. Quærite.

Psalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolósam ?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi ! quia incolátus meus prolongátus est ; habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dórmitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque

neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia Dóminus erat in nobis:

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum *in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.*

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc, & úsque in séculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, fílii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórũ.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis;

Hic jussa dat mortálibus.
Huic terra, pontus, sídera
Cultu perenni sérviunt.
An sola gens mortálium
Cultum rebellis ábnuat?
Præsta, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Deus excelsus.

Psalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréscent, * & quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam; & judícium tuum tanquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciénte injustítias.

*Desine ab ira, & derelinque furórem: * noli æmulári ut malignéris.*

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur: * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor: * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum suum;

Ut dejíciant paúperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur: * confírmat autem justos Dóminus.

Divisio Psalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundentur in témpore malo, & in diébus famis saturabuntur, * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficientes, quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur & tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei dispeíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui, * & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat, * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum: * & inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos; * in ætérnum conservabuntur.

Injusti punientur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

Altera divisio Psalmi 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus, * & non supplantabuntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus: * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expecta Dóminum, & custódi viam ejus, & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat: * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem dispeíbunt simul, * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino, * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos: * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Deus excelſus, & nullus ei ſímilis in legiſlatóribus. *Job.* 36.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Inclináte.

Pſalmus 77.

ATténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſrael.

Quanta mandávit pátribus noſtris, nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognoſcat generátio áltera;

Fílii qui naſcentur & exurgent, * & narrábunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non oblivíſcantur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans;

*Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt* créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Fílii Ephrem intendentes & mittentes arcum, * converſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtamentum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſtendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Diviſio Pſalmi 77.

INterrúpit [Dominus] mare, & perduxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi: * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et eduxit aquam de petra: * & deduxit tanquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo: * dixérunt; Numquid póterit Deus paráre menſam in deſerto?

Quóniam percuſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torrentes inundavérunt.

Numquid & panem pó-

terit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò audívit Dóminus, & distulit: * & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária misit eis in abundántia.

Altera divisio Psalmi 77.

TRánstulit [Dñus] Austrũ de cœlo, * & induxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis, & desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórũ, * & electos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in *mirabílibus ejus.*

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * & Deus excelsus redemptor eórum est:

Et dilexérunt eum in ore suo, * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non disperdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam, * & non accendit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, & non rédiens.

Ant. Inclináte aurem vestram in verba oris mei.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d, Lucerna.

Ex Psalmo 77.

QUóties exacerbavérunt eum in deserto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et conversi sunt, & tentavérunt Deum, * & Sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, & comédit eos: * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ: * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ: non pepercit à morte animábus eórum: * & juménta eórum in morte conclúsit.

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Divisio Psalmi 77.

ABstulit [Dóminus] sicut oves pópulum suũ, * & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, & non timuérunt, * & inimícos eórum opéruit mare.

*Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.*

Et ejécit à fácie eórum gentes, * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excelsum; * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & sprevit; * & ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulcritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis: * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabantur.

Altera divisio Psal. 77. Et

EXcitátus est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra, * oppróbriũ sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sécula.

Et elégit David servum suum, & sústulit eum de grégibus óvium : * de post fœtantes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum, * & Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * & in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Lucerna pédibus meis verbum tuum, & lumen sémitis meis. *Ps.* 118.

℣. Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas;

℟. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. *Ps.* 18.

Pater noster.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Custodíte.

Psalmus 67.

EXurgat, Deus & dissipentur inimíci ejus, * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui ascéndit super occásum : Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspectu ejus : * turbabuntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo,

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto :

Terra mota est, étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, * à fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ : * & infirmáta est, tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum, dilecti dilecti : * & speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargentátæ ; * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid suspicámini montes coagulátos ?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : * Dóminus in eis, in Sina, in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitátem : * accepisti dona in homínibus.

Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminũ Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi, * & Dómini Dómini éxitus mortis.

*Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli* perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convertam ; * convertam in profundum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine ; * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus ; * ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

Altera divisio Psalmi 67.

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum, * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis : congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt : vénient legáti ex Ægypto ; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit

ſuper cœlum cœli * ad Orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis: date glóriam Deo ſuper Iſrael; * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ; * benedictus Deus.

Cant. Baruch. 4.

OMnes qui tenent legem, pervénient ad vitam; * qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

Convértere, Jacob, * & apprehende eam.

Ambula per viam ad ſplendórem ejus * contra lumen ejus.

Ne tradas álteri glóriam tuam, * & dignitátem tuam genti aliénæ.

Beáti ſumus, Iſrael; * quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.

Pſalmus 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum; * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe frumenti sátiat te.

Qui emittit elóquium ſuum terræ, * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emittet verbum ſuum, & lique fáciet ea: * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Cuſtodíte leges meas atque judícia: ego Dóminus. *Lev.* 18.

Capitulum. 2. *Eſdr.* 9.

AD montem Sinaï deſcendiſti, Dómine, & locútus es cum pátribus noſtris de cœlo, & dediſti eis judícia recta, & legem veritátis, & præcepta bona.

Hymnus.

QUæ juſſa ſaxo crédidit
Divína, cælans déxterâ;
Æterna dudùm Véritas
In corde noſtro ſcúlpſerat.

O ſancta Lex, certam poli
Pandis viam mortálibus.
In méntibus præfers facem,
Greſſúſque noſtros dírigis.

Erroris expers ámbulat,
Quicumque te velit ducem,
A calle dévius perit,
Te quiſquis amens ábdicat.
Vitam dabis fidélibus;

Necem mináris ímpiis.
Si pœna terret ímminens,
Accendat ingens præmium.
PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Non fecit táliter omni natióni; ℞. Et judícia sua non manifestávit eis. *Ps.* 147.

Ad Benedíctus *Ant.* 5. a. Finis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ & fide non fictâ. *I. Tim.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Homo sensátus.

Psalmus 5.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórũ expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * aúdiant mansuéti, & lætentur

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus

nomen ejus in idipsum.
Exquisivi Dóminum, & exaudívit me;* & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.
Accédite ad eum, & illuminámini,* & fácies vestræ non confundentur.
Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum; * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.
Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.
Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.
Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.
Dívites eguérunt & esuriérunt; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

Divisio Psalmi 33.

VEníte, fílii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.
Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?
Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquantur dolum.
Diverte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.
Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.
Vultus autem Dómini super facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.
Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.
Juxtà est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.
Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.
Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; * unum ex his non conterétur.
Mors peccatórum péssima, * & qui odérunt justum, delinquent.
Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * & non delinquent omnes qui sperant in eo.
Ant. Homo sensátus credit legi Dei; & lex illi fidélis. *Eccli.* 33.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Mélior est.

Psalmus 28.

AFferte Dómino, fílii Dei, * afferte Dómino fílios aríetum.
Afferte Dómino glóriam & honórem, afferte Dómino glóriã nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.
Vox Dómini super aquas: Deus majestátis intónuit, * Dóminus super aquas multas.
Vox Dómini in virtúte, *

vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani; * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis: * vox Dómini concutientis desértum; & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos; & revelábit condensa: * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est, * & vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet: * Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardescet, * & in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desúrsum, * & terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Divisio Psalmi 49.

AUdi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te; * holocausta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulcritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi; * meus est enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum; * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis, * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras justítias meas, & assúmis

téstamentum meum per os tuum ?

Tu verò odísti disciplínam, * & projecísti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo ; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, & adversùs fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti iníquè quòd ero tuî símilis : * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum : * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me ; * & illìc iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Mélior est obediéntia quàm víctimæ. *I. Reg.* 15.

Capitulum. Proverb. 4.

NE recédant elóquia Dómini ab óculis tuis; custódi ea in médio cordis tui : vita enim sunt inveniéntibus ea, & univérsæ carni sánitas.

℟. *breve.* Beáti * Immaculáti in via. ℣. Qui ámbulant in lege Dómini. * Immaculáti in via. Glória. ℟. Beáti.

℣. Pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine ; ℟. Et non est illis scándalum. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Nihil dúlcius.

Psalmus 48.

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem ;

Quique terrígenæ, & fílii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum : cùm víderit sapientes morientes : * simul insípiens & stultus períbunt.

Et relinquent aliénis di

vítias ſuas, * & ſepulcra eórum domus illórum in æternum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intellexit: * comparátus eſt jumentis inſipiéntibus, & ſimilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſteà in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inferno póſiti ſunt; * mors depaſcet eos.

Et dominabuntur eórum juſti in matutíno; * & auxílium eórum veteraſcet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Diviſio Pſalmi 48.

NE timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non ſumet ómnia, * neque deſcendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipſíus benedicétur: * confitébitur tibi, cùm benefécerís ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum, * & uſque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intellexit: * comparátus eſt jumentis inſipiéntibus, & ſímilis factus eſt illis.

Pſalmus 52.

DIxit inſípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrupti ſunt, & abominábiles facti ſunt in iniquitátibus; * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpexit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illîc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent; * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

Ant. Nihil dúlcius quàm reſpícere in mandátis Dómini. *Eccli.* 23.

Capitulum. 1. *Joann.* 5.

HÆc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus : & mandáta ejus grávia non sunt.

℟. *breve.* Quàm dúlcia faúcibus meis * Elóquia tua, Dómine ! ℣. Super mel ori meo. * Elóquia tua, Dómine. Glória. ℟. Quàm. *Ps.* 118.

℣. Justítiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificantes corda. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Ant. 8. d. Confortámini.

Psalmus 72.

QUàm bonus Israel Deus, * his qui recto sunt corde !

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respectus morti eórum, * & firmamentum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabuntur.

Ideò ténuit eos supérbia ; * operti sunt iniquitáte & impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt & locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hìc, * & dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt : Quómodò scit Deus ? * & , Si est sciéntia in Excelso ?

Ecce ipsi peccatóres, & abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocentes manus meas :

Et fui flagellátus totâ die, * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo sic : * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc ; * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuisti eis : * dejecisti eos dum allevarentur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem ! súbitò defecérunt ; * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt : * & ego

ad níhilum redactus sum, & nescívi.

Ut jumentum factus sum apud te, * & ego semper tecum.

Divisio Psalmi 72.

TEnuísti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea & cor meum: * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elongant se à te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Psalmus. 74.

COnfitébimur tibi, Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriente neque ab occidente, neque à desertis móntibus; * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, & hunc exaltat; * quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non est exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * & exaltabuntur córnua justi.

Ant. Confortámini, & viríliter ágite in lege, quia in ipsa glorióſi éritis. *I. Mach.* 2.

Capitulum. Hebr. 12.

ACcessístis ad Sion montem, & testamenti novi mediatórem Jesum; vidéte ne recusétis loquentem.

℟. *breve.* Utinam * Dirigantur viæ meæ, ℣. Ad custodiendas justificatiónes tuas! * Dirigantur viæ meæ. Glória. ℟. Utinam.

℣. Lætábor ego super elóquia tua, ℟. Sicut qui invénit spólia multa. Psal. 118.

AD VESPERAS.

Ant. 5. a. Díliges Dóminum.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundáns * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui ſicut novellæ olivárum * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſrael.

Psalmus 130.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum; * neque eláti ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſrael in Dómino * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Psalmus 144.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miſéricors Dóminus, * pátiens & multùm miſéricors.

Suávis Dóminus univerſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Diviſio Pſalmi 144.

COnfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, *

& glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum, * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Alter. divisio Psalmi 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet; * & deprecatiónem eórum exaúdiet, & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * & omnes peccatóres disperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. **Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde** tuo, & próximum tuum sicut teipsum. *Matth.* 22.

Capitulum. Eccli. 15.

DEus ab inítio constítuit hóminem, & relíquit illum in manu consílii sui: adjécit mandáta & præcepta sua. Si volúeris mandáta serváre, conservábunt te.

Hymnus.

DUm pronæ legi nos, Deus,
Vovére corda díscimur,
Da mente scire quod doces,
Et spontè quod jubes sequi.

Te príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi:
Tibi secundum prótinùs
Jubes amári próximum.

Tu, pacis autor, mútuos
Astringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gaúdiis,
Da condolére flétibus.

Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens simus.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ℟. Ut non confundar. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Non auditóres legis justi sunt apud Deum; sed factóres legis justificabuntur. *Rom.* 2.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. E. Conserva me.

Psalmus 13.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super filios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eórum: linguis suis dolósè agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum est, * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinē.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátē, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illîc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est: * consílium ínopis confudistis, quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

Psalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Psalmus 15.

COnserva me, Dómine, quóniam sperávi in te; * dixi Dómino: Deus

meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum, * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper; * quóniam à dextris est mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro meà requiescet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo; * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Conserva me, Dómine, quóniam sperávi in te.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum omnis grátiæ, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 5.

Hymnus.

FUNESTA peccáti lues
Fœdávit humánum genus.
Homo tenébris óbsitus,
Proclívis in malum ruit.

ADES, salúbris grátia,
Tanto medéla vúlneri:
Tu lumen addis méntibus,
Robúrque præstas péctori.

NI luce nostros prævià
Gressus benigna dírigas;
Cæci vagámur, ímpares
Sedes meréri pátrias.

TU mórbidas septémplici
Mentes lavácro próluis:
Per hos canáles prófluunt
Nostræ salútis rívuli.

MOVENTIS impulsum Dei,
Mens fida, semper éxcipe;
Nec dura vel levíssimos
Nisus repellas grátiæ.

SIT laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet grátiæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. b. O quàm bonus.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scri-

bæ * velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tua & pulcritúdine tua intende, * prósperè procéde & regna, *

Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Divisio Psalmi 44.

AStitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & obliviscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et *concupiscet rex decórem tuum*: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs; * in fímbriis aúreis circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in ætenum, * & in séculum séculi.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætificat civitátem Dei: * san-

ctificávit tabernáculũ ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur:* adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram: * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus:* exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Ant. O quàm bonus & ſuávis eſt, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! *Sap.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. A. Miſeréris.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter; * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: * multiplicaſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis: paraſti cibum illórum; * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ, * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pingueſcent ſpecióſa deſerti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento:

mento: * clamábunt; étenim hymnum dicent.

Psalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi; mánibus meis nocte contra eum: * & non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum: & exercitátus sum, & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

Divisio Psalmi 76.

*MEmor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.*

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; * redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus; vidérunt te aquæ, * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Et enim sagittæ tuæ tránseunt, * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis: * & vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aaron.

Ant. Miseréris ómnium, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam. *Sap.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Parcis ómnibus.

Psalmus 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam; * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ; * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam, * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster; * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis; * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtámen prope timentes eum salutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax ósculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Psalmus 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam: áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi, * & anxiátus est super me spíritus meus; in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Divisio Psalmi 142.

AUdítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in

qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11.

℣. Dic ánimæ meæ, Dómine: ℟. Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

Pater noster.

AD LAUDES.

Ant. 4. f. Deus.

Psalmus 20.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei, * & voluntáte labiórum ejus *non fraudásti eum.*

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei longitúdinem diérum in séculum, * & in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da,* & justítiam tuam fílio regis;

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & paúperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & salvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus; * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare; * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ, * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit paúperem *à potente*, * & paúperem *cui non erat* adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper: * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium: superextollétur super Líbanum fructus ejus; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum: * & replébitur majestáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus; * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum, * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est miseri-

córdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ* ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce pſalmi, * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpectu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu: ſimul montes exultábunt à conſpectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Canticum. Iſ. 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * converſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo;

Quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris, * & dicétis in die illa: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

*Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus; * me*mentóte quóniam excelſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit; * annuntiáte hoc in univerſa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael.

Pſalmus 146.

LAudáte Dóminum; quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jeruſalem Dóminus; * diſperſiónes Iſraélis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne: * psállite Deo noſtro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum.

Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis co

vórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Deus, qui dives est in misericórdia, cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, ut osténderet abundantes divítias grátiæ suæ. *Ephes.* 2.

Capitulum. 2. Tim. 1.

DEus nos liberávit, & vocávit vocatióne suâ sanctâ; non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum suum, & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária.

Hymnus.

TUos canámus, Grátia,
Pio triumphos cántico.
Armis tuos victrícibus
Muníre gestis mílites.

His Orcus armis víncitur;
His claustra panduntur poli.
Quid arma non vincant sacro
Respersa Christi sánguine?

Tu sistis ad Christi pedes,
Dux blanda, fontem féminam.
Saulum furóre pércitum,
Ceu fulmen, exturbas equo.

VERSARE mentes éfficax,
Nutu rebelles állicis.
Duríssimum sese tuo
Cor sponte submittit jugo.

TE præda captantem volens
Amat sequi. Nullus trahit
Necessitátis ímpetus;
Divína sed virtus trahit.

SIT laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet grátiæ.
Amen.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus; ℟. Aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Deus omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. *I. Tim.* 2.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. De plenitúdine ejus.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubescam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univérsi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu

es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſéculo ſunt.

Delicta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm miſericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício, * docébit mites vias ſuas.

Diviſio Pſalmi 24.

UNiverſæ viæ Dómini miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtamentum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtamentum ipsíus ut manifeſtétur illis.

*Oculi mei ſemper ad Dóminum, * quóniam ipſe* evellet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî, * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis meî multiplicátæ ſunt; * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum, * & dimitte univerſa delicta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniã multiplicáti ſunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam & érue me: * non erubeſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocentes & recti adhæſérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Pſalmus 60.

EXaudi, Deus, deprecatiónem meam: * intende oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi; * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltaſti me.

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea; * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſ{e}cula, * prótegar in velamento alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus exaudiſti oratiónem [illegible]

am ; * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus, & grátiam pro grátia. *Joann.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Hauriétis aquas.

Psalmus 41.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

AD meipsum ánima mea conturbáta est; * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî, & quare contristátus incédo, * dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * Quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Psalmus 42.

JUdica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulisti? & quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam; * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris. *Isai.* 12.

Capitulum. Isai. 55.

OMnes sitientes, veníte ad aquas; & qui non habétis argentum, properáte, émite, & comédite.

℟. *br.* Flúminis ímpetus * Lætíficat civitátem Dei. ℣. Deus in médio ejus. * Lætíficat *civitátem Dei. Glória.* ℟. *Flúminis. Ps.* 45.

℣. Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum: ℟. Quóniam ita est præparátio ejus. *Ps.* 64.

AD SEXTAM.

Ant. 8. g. Misericórdiam.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum; * psaltérium jucundum cum cíthara.

Buccináte in neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ.

Quia præceptum in Israel est, * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divertit ab onéribus dorsum ejus; * manus ejus in cóphino serviérunt.

Divisio Psalmi 80.

IN tribulatióne invocasti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te: * Israel, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edux te de t[illegible] Ægypti: * [illegible]

[illegible]

láta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſrael non intendit mihi.

Et dimíſi eos ſecundùm deſidéria cordis eórum; * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audiſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet:

Pro nihilo fórſitan inimícos eórum humiliaſſem, * & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti, * & de petra melle ſaturávit eos.

Pſalmus 83.

QUàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit!

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noſter áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei; * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te!

Ant. Miſericórdiam & veritátem díligit Deus; grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Capitulum. Rom. 8.

SPíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus fílii Dei: ſi autem fílii, & hærédes.

℟. *br.* Beáta gens * Cujus eſt Dóminus Deus ejus.

℣. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. * Cujus est. Glória. ℟. Beáta gens. *Ps.* 32.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ; ℟. Hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Grátia Dei.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixisti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis;* præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum eléctis meis; jurávi David servo meo : * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua , Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino; * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum: * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Divisio Psalmi 88.

DOmine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliasti sicut vulnerátum supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra: orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundasti; * Aquilónem & mare tu creasti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua : * justítia & judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabuntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & Sancti Israel Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne

ne ſanctis tuis, & dixiſti: * Póſui adjutórium in potente, & exaltávi electum de plebe mea.

Invéni David ſervum meum, * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * & filius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & ſuſceptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelſum præ régibus terræ.

In æternum ſervábo illi miſericórdiam meam: * & teſtamentum meum fidéle ipſi.

Et ponam in ſéculum ſéculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, * *& in judíciis* meis non ambuláverint;

Si juſtítias meas profanáverint, * & mandáta mea non cuſtodíerint;

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Miſericórdiam autem meam non diſpergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo teſtamentum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Altera diviſio Pſalmi 88.

SEmel jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit.

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, * & ſicut luna perfecta in æternum; & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti & deſpexiſti, * diſtuliſti Chriſtum tuum.

Evertiſti teſtamentum ſervi tui, * profanaſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxiſti omnes ſepes ejus; * poſuiſti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes tranſeuntes viam; * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis.

Exaltaſti déxteram depriméntium eum; * lætificaſti omnes inimícos ejus.

Avertiſti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus; * perfudisti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem; * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituisti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem; * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine; * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedictus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Grátia Dei, vita æterna in Christo Jesu Dómino nostro. *Rom. 6.*

Capitulum. Apoc. 3.

Ecce sto ad óstium, & pulso, dicit Dóminus: si quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum.

℟. breve. Non privábit bonis eos qui ámbulant * In innocéntia. ℣. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te! * In innocéntia. Glória. ℟. Non privábit. *Ps.* 83.

℣. Oculi Dómini super justos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Ps.* 33.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Exhortámur.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspectu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus, * ego servus tuus, & fílius ancillæ tuæ.

Dirupisti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ, * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra; * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Psalmus 125.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gaúdio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum; * facti sumus lætantes.

Convertc, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * *mittentes sémina sua.*

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos súos.

Psalmus 131.

MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei;

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam, * & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem Christi tui.

Divisio Psalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum; * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filii tui

testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos.

Et fílii eórum, usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi : * hìc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * paúperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David; * parávi lucernam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. 2. *Cor.* 6.

Capitulum. Eccli. 15.

APpósuit tibi Deus aquam & ignem : ad quod volúeris, pórrige manum tuam. Ante hóminem vita & mors, bonum & malum : quod placúerit ei, dábitur illi.

Hymnus.

SUPERBA gens mortálium,
Fastu *profáno quid tumes?*
Quodcumque rectum pérficis,
Dei faventis munu
NIL viribus debe
Ni, fons salútis, G
Tuos labóres próveh
Nil, vana virtus, ét

DAT velle, dat ré
sequi,
Dat ipse quod jubet, D
Dum nos corónat, & su
Simul corónat múnera

POSCAMUS ergo súpp
ces
Cœleste donum grátiæ;
Nec, sponte quod præb
Deus,
Rebelle pectus réspuat.

SIT laus Patri, laus Fílio
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet Grátiæ.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abscondisti timéntibus te! *Ps.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. b. Qui persevéraverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Exaudi.

Psalmus 31.

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea

dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte gravàta est super me manus tua : * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi : Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino; * & tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me : * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in via hac qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

*Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.*

Psalmus 3[...]

DIxi : Custódi[...] meas, * ut [...] linquam in lingu[...]

Pósui ori meo [...] diam, * cùm co[...] peccátor adversùm[...]

Obmútui, & hu[...] sum, & sílui à bo[...] dolor meus renov[...]

Concáluit cor m[...] tra me; * & in me[...] ne mea exardescet[...]

Locútus sum in [...] mea : * Notum fa[...] Dómine, finem m[...]

Et númerum dié[...] rum, quis est; * [...] quid desit mihi.

Ecce mensurábi[...] fuisti dies meos : * [...] stántia mea tanqu[...] lum ante te.

Verúmtamen u[...] vánitas, * omni[...] vivens.

Verúmtamen in [...] pertransit homo : [...] frustrà conturbátu[...]

Thesaurízat, * [...] rat cui congregábi[...]

Et nunc quæ e[...] ctátio mea ? nonn[...] nus ? * & substán[...] apud te est.

Divisio Psalm[...]

AB ómnibus ini[...] bus meis érue [...] oppróbrium insipi[...] disti me.

Obmútui, & no[...] os meum, quóni[...]

cisti : * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus:* propter iniquitátem corripuisti hóminem.

Et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine,& deprecatiónem meam : * aúribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrígerer priusquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum qui passus est pro nobis,*Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2.

Hymnus.

O Mira Patris cáritas !
Sic ille dilexit suos,
Ut sponte natum tráderet:
Servi fit obses Fílius.

Splendoris ímmemor
sui,
Nostræ salútis fit memor:
Ut nos in altum próvehat,
Ad ima descendit Deus.

Per mille fusum vúlnera
Totum dat orbi sánguinem;
Hoc fonte nascens grátia,
Terras inundans éxpiat.

Dum cæsa tortóris manu
Procumbit insons víctima;
Hanc ímmolat cœlo Pater,
Hanc mactat in terris
amor.

Qui nos creávit, laus
Patri,
Qui nos redémit Filio;
Fovens redemptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. b. Deus.

Psalmus 51.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte ?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem; * evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt; & super eum ridébunt, & dicent : * Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum,

& præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum quia fecisti, * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

Psalmus 54.

EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * & volábo, & requiescam.

Ecce elongávi fúgiens, * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit * à pusillanimitáte spíritûs & tempestáte.

*Præcípita, Dómine, dí*vide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas, * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique.

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

Tu verò homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos * & descendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi, * & Dóminus salvábit me.

Divisio Psalmi 54.

VEspere & mane & merídie narrábo, & annuntiábo; * & exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi, * quóniam inter multos erant mecum.

ıdiet Deus, & hu-
it illos, * qui est an-
la.
ı enim est illis com-
o, & non timuérunt
: * extendit manum
n retribuendo.
aminavérunt testa-
m ejus, divisi sunt
vultûs ejus; * &
pinquávit cor illius.
líti sunt sermónes
per óleum, * & ipsi
ıcula.
super Dóminum cu-
am, & ipse te enú-
* non dabit in ætер-
uctuatiónem justo.
verò, Deus, dedú-
; * in púteum inté-

sánguinum & do-
n dimidiábunt dies
* ego autem sperábo
Dómine.
. Deus erat in Chri-
undum reconcílians
. Cor. 5.
I. NOCTURNO.
. 2. D. Tráditus est.
Psalmus 58.
pe me de inimícis
is, Deus meus; *
insurgéntibus in me
me.
: me de operántibus
tátem, * & de viris
inum salva me;
ia ecce cepérunt áni-
neam, * irruérunt in
tes.
ıe iníquitas mea,

neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucurri & dirеxi.

Exurge in occursum meum, & vide; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: * non miseréáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Divisio Psalmi 58.

FOrtitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos: ne occídas eos; * nequandò obliviscántur pópuli mei.

Disperge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum; * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in consummatióne: * in

consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Convertentur ad véspe-ram, & famem patientur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum; * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultábo manè misericórdiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

Psalmus 63.

EXaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor; * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexisti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas; * intendérunt arcum rem amáram, ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, *& non timébunt;* * firma-*vérunt sibi sermónem* nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos; * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes; * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum, * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum, * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: * & laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Tráditus est Christus propter delicta nostra. *Rom. 4.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Ipse est.

Psalmus 68.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profundi, * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempestas demersit me.

Laborávi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei

dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * & delícta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me, qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus filiis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam, * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meum cilícium, * & factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur, qui sedébant in porta, * & in me psallébant, qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus beneplácITI, *Deus.*

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto ut non infigar, * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

Divisio Psalmi 68.

EXaudi me, Dómine; quóniam benigna est misericórdia tua: * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel, * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & i

retributiónes, & in scándalum.

Obscurentur óculi eórum, ne vídeant, * & dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta, * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt, * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum, * & non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium, * & cum justis non scribantur.

Ego sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Altera divisio Psalmi 68.

LAudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

Vídeant paúperes, & lætentur: * quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli & *terra, * mare, & ómnia reptília in eis.*

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Ipse est propitiátio pro peccátis nostris: non pro nostris tantùm, sed étiam pro totíus mundi. 1. *Joann.* 2.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemísti. *Ps.* 70.

Pater noster.

AD LAUDES.

Ant. 7. ç. Justus perit.

Psalmus 69.

DEus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, & revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsum, * & erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur in te, omnes qui quærunt te; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Psalmus 70.

IN te, Dómine, sperávi, non confundar in ætérnum : * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te [illegible]átio mea semper : * [illegible]quam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis : * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia *dixérunt inimíci mei mihi, * & qui custo*diébant ánimam meam, consílium fecérunt in unu,

Dicentes : Deus derelíquit eum ; * persequímini & comprehéndite eum, quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me : * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur & defíciant detrahéntes ánimæ meæ : * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Divisio Psalmi 70.

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte mea ; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam & sénium : * Deus, ne derelínquas me ;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est ;

Poténtiam tuam & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fecísti, magnália ; * Deus, quis símilis tibi ?

Quantas ostendísti mihi

tribulatiónes, multas & malas! & conversus vivificasti me, * & de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificéntiam tuam, * & conversus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus, psallam tibi in cíthara, Sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemisti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Canticum Habacuc, 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum; * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab austro véniet; * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus; * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit; * córnua in mánibus ejus.

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus; * stetit, & mensus est terram.

Aspexit, & dissolvit gentes: * & contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine; * aut in flumínibus furor tuus, vel in mari indignátio tua?

Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum, * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam; * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo; * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

Percussisti

ti caput de do-
'denudasti fun-
ejus usque ad

sti sceptris ejus,
atórum ejus, *
s ut turbo ad di-
n me.
o eórum * sicut
vorat páuperem
ito.
ti in mari equis
luto aquárum

& conturbátus
meus: * à voce
runt lábia mea.
tur putrédo in
s, * & subter
;
scam in die tri-
* ut ascendam
um accinctum

n non florébit,
erit germen in

ur opus olívæ,
on áfferent ci-

ur de ovíli pe-
on erit armen-
sépibus.
em in Dómi-
o, * & exul-
o Jesu meo.
minus, fortitú-
& ponet pedes
cervórum.
excelsa mea de-
*ctor * in psal-*
m.
nalis.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * psallam Deo meo quámdiù fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum & víduam suscípiet, * & vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula; * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Ant. Justus perit, & non est qui recógitet in corde suo. *Isai.* 57.

Capitulum. Hebr. 12.

ASpicientes in auctórem fidei, & consum-

matórem Jesum, qui, propósito sibi gaúdio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ, recogitáte eum, ut ne fatigémini ánimis vestris deficientes.

Hymnus.

QUICUMQUE defixam cruci
Dei vides imáginem,
Simulque diro cónspicis
Mucróne confossum latus;

AGNOSCE, quanto vúlnere
Natúra læsa décidit.
Divínus en tanti cruor
Medéla sola vúlneris.

NOS ergo Christus ínnocens
Livóre sanávit suo;
Nostrosque languóres tulit
Ut lánguidis foret salus.

QUI tanta passus es, Deus,
Fac, írritus non sit labor;
Nec sánguinis fructum tui
Sinas nocentes pérdere.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio:
Fovens redemptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum; ℟. Quia factus es spes mea, Deus. *Ps.* 60.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. *Commendat* caritátem suã *Deus in nobis*; quóniam, cum peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. *Rom.* 5.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Recogitáte.

Psalmus 34.

JUdica, Dómine, nocentes me; * expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum, * & exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui persequuntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur & revereantur, * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & confundantur, * cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * & ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum, * & ángelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui; * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat, & cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent:* Dómine, quis símilis tibi!

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperem à diripiéntibus eum.

Divisio Psalmi 34.

SUrgentes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt; * congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti: tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies; * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna; * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * in iracúndia terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt: Euge, euge; vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

Altera divisio Psalmi 34.

EXurge, & intende judício meo; * Deus meus, & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubescant & revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne & reveréntiâ, * qui magna loquuntur super me.

Exultent & lætentur qui volunt justítiam meam; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Recogitáte eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetípsum contradictiónem. *Hebr.* 12.

AD TERTIAM.

Ant. 4. D. Recordáre.

Psalmus 25.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum, * & in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem univérsa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ; * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, *Deus*, ánimam meam, * *& cum viris sánguinum vitam meam:*

In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.

Pes meus stetit in dirécto; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 39.

EXpectans expectávi Dóminum, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas, * & eduxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt, * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, * & non respexit in vanitátes & insánias falsas!

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluisti, * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro pec-

cáto non postulasti ;* tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Divisio Psalmi 39.

ANnuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna : * ecce lábia mea non prohibébo ; Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo ; * veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me : * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei, * & cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me ; * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur & revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exultent & lætentur super te, omnes quærentes te ; * & dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum & pauper : * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Recordáre paupertátis, absínthii & fellis. *Thren.* 3.

Capitulum. 1. *Petr.* 4.

CHristo passo in carne, & vos eádem cogitatióne armámini ; quia qui passus est in carne, désiit à peccátis.

℟. *breve.* Protector noster, * Aspice, Deus. ℣. Et réspice in fáciem Christi tui. * Aspice, Deus. Glória. Protector. *Ps.* 83.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli ; ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61.

AD SEXTAM.

Ant. 8. g. Hæc récolens.

Psalmus 21.

DEus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquisti ? * longè à s[alute]

lúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies : * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, & liberasti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt : * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo ; * oppróbrium hóminum & abjéctio plebis.

Omnes videntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre ; * spes mea ab ubéribus matris meæ, in te projectus sum ex útero.

Divisio Psalmi 21.

De ventre matris meæ, Deus meus es tu ; * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est, * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi ; * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faúcibus meis ; * & in púlverem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me ; * divisérunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuũ à me ; * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam ; * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis ; * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Timeat eum omne semen Israel, * quóniam non sprevit neque despexit deprecatiónem páuperis:

Nec avertit fáciem suam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Altera divisio Psalmi 21.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabúntur, & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscentur & convertentur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet, * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Hæc récolens in corde meo, ídeò sperábo. *Thren.* 3.

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

Unus mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus.

℟. *br.* Deus meus es tu, * Ne discésseris à me. ℣. Quóniam non est qui ádjuvet. * Ne discésseris à me. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 21.

℣. Alièni insurrexérunt adversùm me; ℟. Dóminus susceptor est ánimæ meæ. *Ps.* 53.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Mihi absit.

Psalmus 30.

In te, Dómine, sperávi; non confúndar in ætérnum; * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii: * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes * supervácuè.

Ego autem in Dómino sperávi: * exultábo, & lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam; * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci; * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Divisio Psalmi 30.

Miserére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me: * oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde.

Factus sum tanquam vas pérditum; * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul adversùm me; * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine: * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

Illustra fáciem tuam super servum tuum; salvum me fac in misericórdia tua; * Dómine, non confundar, quóniam invocávi te.

Erubescant ímpii, & deducantur in infernum; * muta fiant lábia dolósa,

Quæ loquuntur adversùs justum iniquitátem, * in supérbia, & in abusióne.

Altera divisio Psalmi 30.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Diligite Dóminum, omnes sancti ejus, * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retribuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

Capitulum. 1. *Petr.* 2.

CArissimi, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequámini vestigia ejus.

℟. *br.* Ego, Dómine, * In flagella parátus sum. ℣. Et dolor meus in conspectu meo semper. * In flagella parátus sum. Glória. ℟. Ego, Dómine. *Ps.* 37.

℣. In Deo salutáre meum & glória mea; ℟. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. *Ps.* 61.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Próprio Fílio suo.

Psalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israel:

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundantur & convertantur retrorsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit, * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Psalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos, * abscondérunt superbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum, * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Divisio Psalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitûs eórum: * *labor labiórum ipsórum opériet eos.*

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Psalmus 141.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiendo ex me spíritum meum; * & tu cognovisti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam; * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine; * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequén-

tibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me expectant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Próprio Fílio suo non pepercit Deus; sed pro nobis ómnibus trádidit illum. *Rom. 8.*

Capitulum. 2. Cor. 5.

CAritas Christi urget nos, æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt. Et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est.

Hymnus.

SPERATE, Mortáles, gravi
Peccáta quos premunt jugo:
Qui sanguis in terras fluit,
Vestræ salútis pignus est.

DIVINA mundi Víctima,
Amando non servas modum.
Cur totus it venis cruor?
Guttam dedisse súfficit.

IMMENSUS hoc Amor jubet,
Suasque dat leges tibi.
Hic solus impónit crucem,
Et crux amanti fit levis.

SIC ergo, Christe, nos amas?
Salváre sic mundum juvat?
O ter beátum! *cui licet*
Tecum pati, tecum mori.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio:
Fovens redemptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deo subjecta esto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipso patiéntia mea. *Ps. 61.*

Ad Magníficat, *Ant.* 1. d. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anáthema. *I. Cor. 16.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. 2. Dómine.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua córripias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum, * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem; * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * &

non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis, * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Divisio Psalmi 37.

COr meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & steterúnt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non aúdiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando *supergaúdeant mihi inimíci mei;* * & dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum, * & dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus; * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 55.

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur; * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcondent, * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * poſuiſti lácrymas meas in conſpectu tuo,

Sicut & in promiſſióne tua: * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te, * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónem: * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua quæ reddam, * laudatiónes tibi.

Quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Dómine, ante te omne deſidérium meum; & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

SABBATO

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum reddentem juſtis mercédem labórum ſuórum, * Veníte, adorémus. *Sap. 10.*

Hymnus.

HOMO creátur; hunc Deus
Cœleſtis oris hálitu
Succendit, & vivam ſuî
Spiráre dat imáginem.

HEU! cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo ſuperbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

HINC pœna peccáti, labor
Cùm patre natos óbruit.
Hinc terra cultóris manu
Verſanda ſpinas prótulit.

OMNES dolóris filii;
Omnes labóri náſcimur.
Inter labóres vívimus,
Labóre vitam claúdimus.

AT non caret fructu labor;
Factus medéla críminis:
Corpus domat, cor érigit,
Et munit ad cœlum viam.

QUI nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio:
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Ego.

Pſalmus 16.

EXaudi, Dómine, juſtítiam meam; * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat; * óculi tui vídeant æquitátes.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & non est inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Divisio Psalmi 16.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projicientes me, nunc circumdedérunt me; * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

*Exurge, Dómine, præveni eum, & supplanta eum: * éripe ánimam* meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis, * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo; * satiábor cùm apparúerit glória tua.

Psalmus 23.

Dómini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Ant. Ego in juſtítia apparébo conſpéctui tuo, Dómine; ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Apud te.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo ?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo ?

Dum appropíant ſuper me nocentes, * ut edant carnes meas;

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt & cecidérunt.

Si conſiſtant adversùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ;

*Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.*

Quóniam abſcondit me in tabernáculo ſuo; * in die malórum protexit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te; * miſerére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me, * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me; * Dóminus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age, * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Psalmus 35.

DIxit injustus ut delinquat in semetipso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conspectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo; * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua; * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei, * judícia tua abyssus multa.

Hómines & jumenta salvábis, Dómine : * quemádmodum multiplicasti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est *fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.*

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem, * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Apud te, Dómine, est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Glorióſa.

Psalmus 46.

OMnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excelsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascendit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite sapienter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham ; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturientis ; * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons *Sion*, & *exultent fíliæ Judæ*, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam ; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætenum, & in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 86.

FUndamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióśa dicta sunt de te ; * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum : * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo & homo natus est in ea ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio est in te.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum. ℟. Propter retributiónem. Ps. 118.

Pater noster.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Non ſunt.

Pſalmus 57.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concinnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecundùm ſimilitúdinem ſerpentis, * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas;

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis ſapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decurrens: * intendit arcum ſuum, donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priuſquàm intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.

Lætábitur juſtus, cùm víderit vindictam: * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útiquè eſt Deus júdicans eos in terra.

Pſalmus 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus: * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur & exultent gentes, * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter; benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

Pſalmus 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Iſrael magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis; * turbáti ſunt omnes inſipientes corde.

Dormiérunt ſomnum

ſuum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es; & quis reſiſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium: * terra trémuit, & quiévit:

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera;

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Cantic. Moyſi, Deut. 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor; * aúdiat terra verba oris mei.

Concreſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum.

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * *Dei perfecta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.*

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, * juſtus & rectus.

Peccavérunt ei, & non fílii ejus in sórdibus, * generátio prava atque perverſa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule ſtulte & insípiens?

Numquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſsédit te, & fecit & creávit te?

Meménto diérum antiquórum; * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat fílios Adam;

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Iſrael.

Pars autem Dómini pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra deſerta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis.

Circumduxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupillam óculi ſui.

Sicut áquila provocans ad volandum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit, * & non erat cum eo Deus aliénus.

Constítuit eum ſuper excelſam terram, * ut comé-deret fructus agrórum :

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de ſaxo duríſſimo;

Bútyrum de armento, & lac de óvibus; * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan :

Et hircos cum medulla trítici, * & ſánguinem uvæ bíberet meracíſſimum.

Incraſsátus eſt dilectus, & recalcitrávit : * incraſsátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & receſſit à Deo ſalutári ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo, * diis quos ignorábant.

Novi recenteſque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquiſti; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; * quia provocavérunt eum fílii ſui, & fíliæ.

Et ait : Abſcondam fáciem meam ab eis, * & conſiderábo noviſſima eórum.

Generátio enim perverſa eſt, * & infidéles fílii.

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus; * & irritavérunt in vanitátibus ſuis.

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccenſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſque ad inferni noviſſima.

Devorabitque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundamenta combúret.

Congregábo ſuper eos mala, * & ſagittas meas complébo in eis.

Conſumentur fame; * & devorábunt eos aves morſu amaríſſimo.

Dentes beſtiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intùs pavor; * júvenem ſimul ac vírginem, lactentem cum hómine ſene.

Dixi : Ubinam ſunt? * ceſsáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum díſtuli, * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent : Manus noſtra excelſa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia : * útinam sáperent & intelligerent

rent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia.

Nonne ídeò quia Deus suus véndidit eos, * & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de subúrbanis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesáuris meis?

Mea est últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis, * & adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum; * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus; * & clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant *ádipes, * & bibébant vinum libáminum?*

Surgant, & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * & non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo; * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea;

Reddam ultiónem hóstibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam.

Inebriábo sagittas meas sánguine, * & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum; * & de captivitáte nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur.

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Non sunt condignæ passiónes hujus témporis a

futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8.

Capitulum. 1. *Cor.* 9.

NEscítis quòd ii qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis.

Hymnus.

PUGNATE, Chriſti mílites;
Fortes fide resíſtite.
Immenſa promíſit Deus
Pio labóri præmia.

NON ille fluxas ac leves
Palmas dabit vincéntibus;
Sed lucis æternæ decus,
Et pura ſemper gaúdia.

MENTES beátas éxcipit
Formóſa cœlitum domus.
Hìc turba cœlis áltior
Subjecta calcat sídera.

CADUCA vobis præmia
Offert levis mundi favor.
Vultus ad aſtra tóllite;
En ipſe ſit merces Deus.

HUC certa nos ſpes évocat:
Huc vota tendant ómnia;
Nec térreat brevis labor,
Æterna quos merces manet.

QUI nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio!
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. *Dómine, quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

℟. *Qui ingréditur ſine mácula, & operátur juſtítiam.* *Pſ.* 14.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Vitam illam expectámus quam Deus datúrus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2.

AD PRIMAM.

Ant. 7. *d.* Conténdite.

Pſalmus 40.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra; * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus: * univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî: * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foras, * & loquebátur in idipſum.

Adversùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei, * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt adversùm me, *

l qui dormit, non
ut resurgat ?
n homo pacis meæ
perávi, * qui edé-
es meos, magnifi-
per me supplanta-

ntem, Dómine,
: meî, & resúscita
& retríbuam eis.
cognóvi quóniam
me,*quóniam non
t inimícus meus su-

item propter inno-
suscepisti, * &
asti me in conspe-
in æternum.
ctus Dóminus Deus
século, & usque in
: * Fiat, fiat.
Psalmus 98.
inus regnávit, ira-
ntur pópuli: * qui
per Chérubim, mo-
erra.
inus in Sion ma-
* & excelsus super
pópulos.
teantur nómini tuo
, quóniam terríbile
um est; * & honor
lícium díligit.
rasti directiónes: *
n & justítiam in Ja-
fecisti.
te Dóminum Deum
, & adoráte sca-
pedum ejus, * quó-
nctum est.
es & Aaron in sa-
s ejus, * & Sá-

muel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Psalmus 107.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & psallam in glória mea.

Exurge, glória mea; exurge, psaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ut liberentur dilecti tui: * salvum fac déxtera tua, & exaudi me.

Deus locútus est in san

cto suo: * exultábo, & dívidam Síchimam; & convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manasses: * & Ephraim suscéptio cápitis mei.

Júda rex meus, * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos; * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Conténdite intráre per angustam portam. *Luc.* 13.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Vincenti dabo.

Psalmus 87.

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea, * & vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormientes in sepulchris, quorum non es memor ámpliùs, * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Divisio Psalmi 87.

CLamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi;

clamávi; * & mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam; * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego,& in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum & próximum; * & notos meos à miséria.

Psalmus 149.

Cantáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo qui fecit eum, * & fílii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & psaltério psallant ei.

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória, * lætabuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum:

Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * *increpatiónes in pópulis:*

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod est in paradíso Dei mei. *Apoc.* 2.

Capitulum. Apoc. 2.

Vincenti dabo manna abscónditum, & dabo illi cálculum cándidum; & in cálculo nomen novum scriptum quod nemo scit, nisi qui áccipit.

℟. *br.* Justi * Hæreditábunt terram. ℣. Et inhabitábunt in séculum séculi super eam.* Hæreditábunt terram. Glória. ℟. Justi. *Ps.* 36.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum. ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

AD SEXTAM.

Ant. 1. g. Unusquisque.

Psalmus 100.

Misericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, & intélligam in via immaculáta: * quando vénies ad me?

Perambulábam in innocéntia cordis mei * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem inju-

ſtam ; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum ; * declinántem à me malignum non cognoſcébam.

Detrahentem ſecrétò próximo ſuo , * hunc perſequébar.

Superbo óculo, & inſatiábili corde , * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ , ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta , hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ qui facit ſupérbiam : * qui lóquitur iníqua , non diréxit in conſpectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ , * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Pſalmus 108.

DEus, laudem meam ne tacúeris , * quia os peccatóris , & os dolóſi ſuper me apertum eſt.

Locúti ſunt adversùm me linguâ dolósâ ; * & ſermónibus ódii circumdedérunt me , & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent , detrahébant mihi ; * ego autem orábam.

*Et poſuérunt adversùm me mala pro bonis , * & ódium pro dilectióne mea.*

Conſtítue ſuper eum peccatórem ; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur , éxeat condemnátus ; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci , * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani , * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferántur fílii ejus , & mendícent ; * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus , * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor , * nec ſit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum ; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpectu Dómini ; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper : & diſpéreat de terra memória eórum ; * pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam.

Et perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum , * & compunctum corde , mortificáre.

Et diléxit maledictiónem , & véniet ei : * & nóluit

benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operítur; * & sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum; * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Divisio Psalmi 108.

ET tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum, * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego sum, * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus sum, * & excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio, * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * & tu, Dómine, fecisti eam.

Maledicent illi, & tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre: * & operiantur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Ant. Unusquisque própriam mercédem accípiet secundùm suum labórem. *I. Cor.* 3.

Capitulum. 2. *Cor.* 4.

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

℟. *br.* Expecta Dóminum, * Custódi viam ejus. ℣. Ut hæreditáte cápias terram. * Custódi viam ejus. Glória. ℟. Expecta. *Ps.* 36.

℣. Judícia Dómini vera; ℟. In custodiendis illis retribútio multa. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Qui ámbulat.

Psalmus 59.

DEus, repulísti nos, & destruxísti nos: * irátus es, & misértus es nobis

Commovisti terram, & conturbasti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura ; * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs,

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, & partíbor Síchimam, & convallem tabernaculórũ metíbor.

Meus est Gálaad ; & meus est Manasses ; * & Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum ; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

*In Deo faciémus virtútem ; * & ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.*

Psalmus 78.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, pollüérunt templum sanctum tuum, * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem ; * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris ; * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem ? * accendétur velut ignis zelus tuus ?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum; citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia paúperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster ; * & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Et propítius esto peccátis nostris * propter nomen tuum.

forte dicant in gén-
: * Ubi est Deus eó-
?
innotescat in natióni-
oram óculis nostris *
sánguinis servórum
m, qui effúsus est.
róceat in conspectu
gémitus compeditó-

undùm magnitúdi-
bráchii tui * póssíde
mortificatórum.
redde vicínis nostris
plum in sinu eórum, *
périum ipsórũ quod
bravérunt tibi, Dó-

autem pópulus tuus,
es páscuæ tuæ,* confi-
ur tibi in séculum.
generatiónem & ge-
ónem * annuntiábi-
audem tuam.

Psalmus 82.

Eus, quis símilis erit
ibi? * ne táceas, ne-
ompescáris, Deus.
uóniam ecce inimíci
nuérunt; * & qui odé-
e, extulérunt caput.
er pópulum tuum ma-
vérunt consílium, *
ogitavérunt adversùs
os tuos.
érunt: Veníte, &
dámus eos de gen-
& non memorétur
n Israel ultrà.
*óniam cogitavérunt
niter: * simul adver-
testamentum dispo-*
suérunt tabernácula Idu-
mæórum & Ismaelítæ.

Moab, & Agaréni, Ge-
bal, & Ammon, & Ama-
lec, * aliení genæ cum ha-
bitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum
illis: * facti sunt in adjutó-
rium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian &
Sísaræ., * sicut Jabin in tor-
rente Cisson.

Disperiérunt in Endor;
* facti sunt ut stercus ter-
ræ.

Pone príncipes eórum si-
cut Oreb & Zeb, * & Zé-
bee & Sálmana:

Omnes príncipes eórum,
* qui dixérunt: Hæreditáte
possideámus sanctuárium
Dei.

Deus meus, pone illos
ut rotam, * & sicut stípu-
lam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit
silvam, * & sicut flamma
combúrens montes;

Ita persequéris illos in
tempestáte tua, * & in ira
tua turbábis eos.

Imple fácies eórum igno-
míniâ, * & quærent no-
men tuum, Dómine.

Erubescant & contur-
bentur in séculum séculi,
* & confundantur, & pér-
eant.

Et cognoscant quia no-
men tibi Dóminus: * tu
solus Altíssimus in omn
terra.

Ant. Qui ámbulat in justítiis, iste in excelsis habitábit; Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. *Isai.* 33.

Capitulum. Galat. 6.

BOnum faciéntes non deficiámus; témpore enim suo metémus non deficientes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum.

℟. *br.* Quærite Dóminum, * Et confirmámini. ℣. Quærite fáciem ejus semper. * Et confirmámini. Glória. ℟. Quærite. *Ps.* 104.

℣. Beáti qui custódiunt judícium, ℟. Et fáciunt justítiam in omni témpore. *Ps.* 105.

AD VESPERAS

QUÆ SUNT PRIMÆ DE DOMINICA.

Duplex.

In Sabbatis per annum

Ant. 4. D. Convértere.

Psalmus 114.

DIlexi; quóniam exaúdiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem *invéni*, * & nomen *Dómini invocávi.*

O Dómine, líbera ánimam meam, * miséricors Dóminus & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 2. Lætátus sum.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, *

& abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Dómini íbimus.

Ant. 7. c. Illîc.

Psalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite * quod descendit in barbam, barbam Aaron;

Quod descendit in oram vestimenti ejus, * sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion;

Quóniam illîc mandávit Dóminus benedictiónem * & vitam usque in séculum.

Ant. Illîc mandávit Dóminus benedictiónem, & vitam usque in séculum.

Ant. 2. D. Si oblítus fúero.

Psalmus 136.

SUper flúmina Babylónis, illîc sédimus, & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus * suspéndimus órgana nostra.

Quia illîc interrogavérunt nos, *qui captívos duxérunt nos*, * *verba cantiónum*; *Et qui abduxérunt nos*: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * si non memínero tuî;

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom * in die Jerúsalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylónis mísera, * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuisti nobis.

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea.

Ant. 6. F. Ad te.

Psalmus 140.

DOmine, clamávi ad te, exaudi me: * inténde voci meæ cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusandas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * & non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum; * aúdient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram, * dissipáta sunt ossa nostra secùs inférnum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te sperávi; non aúferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. Ad te, Dómine, *Dómine*, óculi mei; in te *sperávi.*

Capitulum. Hebr. 4.

Relínquitur sabbatísmus pópulo Dei. Qui enim ingressus est in réquiem ejus, étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem.

Hymnus.

Quæ sex labórans per dies,
Terras polumque cóndidit,
Die quiescens séptimâ,
Divína cessávit manus.

Æternus orbis Cónditor
Hanc ipse sacrávit diem;
Judæa quam, legis tenax,
Piis colébat rítibus.

Fœdus novum, ritus novos
Christus dedit: Christo duce,
Adoptiónis fílios
Jam sánctior manet quies.

Fugavit umbram véritas,
Antíqua cessant Sábbata.
Jam lex amóris córdibus
Inscripta mortáles regit.

Non victimárum sánguinis
Inánis ascendit vapor;
Cruóre sed litans suo
Fit nostra Christus víctima.

Æterne tu Verbi Pater,
Æternae Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Deduc me, Dómine.

in viá tua, ℟. Et glorificábo nomen tuum in ætemum. *Ps.* 85.

Ad Magnif. *Antiphona habetur in Proprio. Oratio Dominicæ sequentis.*

Posteà si qua Commemoratio occurrit, fit hoc loco.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. g. Miserére meî.

Psalmus 50.

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor: * *lavábis me, & super nivem dealbábor.*

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum sanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique: * holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me, * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum: * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudiſti me.

Non eſt ſímilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecundùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, vénient & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília, * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi 85.

DEduc me, Dómine, *in via tua*, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruiſti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miséricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax,

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me.

Ant. Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die.

Hymnus, Capitulum ℟. *breve, &c. habentur infrà, ad calcem Pſalterii, pag.* 163.

IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES.

Sequentes Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur flexis genibus post Antiphonam ad Benedictus, *& in Vesperis post Antiphonam ad* Magnificat.

Kyrie, eléison. *Chorus.* Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine: úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam; ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Orémus pro summo Pontífice nostro *N.* ℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis sui. *Ps.* 77.

℣. Orémus pro Antístite nostro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. *Orémus pro* Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in æternum. *Ps.* 27.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: ℟. Fiat pax in virtúte tua & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Orémus pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Pro infirmis, afflictis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro ómnibus fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mic.* 7.

Deinde dicitur Psal. De profundis. *pag.* 129, *& in fine* Glória Patri.

[*In Vesperis ejus loco dicitur Psal.* 50. Miserére meî, Deus, *pag.* 153 *cum* Glória Patri.]

Finito Psalmo dicitur ℣. Dómine Deus virt

tum, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio, si propria non assignatur, dicitur de Dominicâ præcedenti.

Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis, fit hoc loco statim post Orationem diei.

Deinde in Feriis & Festis simplicibus fiunt Suffragia ut sequitur.

De Patrono Ecclesiæ cujuslibet Comm. fit suo loco.

[*Commemoratio sequens dicitur in Officio Feriali tantùm.*

De S. Cruce.

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mortui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in æternum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Orémus.

PErpétuâ nos, quæsumus, Dñe, pace, custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es, Salvátor mundi, Qui vivis & regnas.]

De B. Maria Virgine.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Orémus.

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem Christum.

De S. Eligio.

Ant. Est servus Christi Jesu semper sollícitus pro nobis in oratiónibus, ut stemus perfécti & pleni in omni voluntáte Dei. *Coloss.* 4.

℣. Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum; ℟. Líbera nos, ferque præsídium *Josu.* 10.

Orémus.

ANnue, quæsumus, Dómine; ut mérita tibi plácita sancti Pontíficis Elígii, grégibus quos fidéli ministério gubernávit, pietátem tuam semper exórent; Per Christum Dóminum.

Pro Pace.

Ant. Deus det nobis ju-

cunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit; ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

Orémus.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si aliud non sequitur Officium, secretò dicitur Fidélium ánimæ, &c. *Et* Pater noster.

Deindè Antiphona de Beata, &c. *Denique* Divínum auxílium &c. *ut ad Laudes Dominica. pag.* 15.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. Credo. *secretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Præsens benigno lúmine
Nostros ut actus dírigat.

NIL lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet.
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Christe, sis custos vigil.
Da mente scire, quod doces;
Da corde, quod jubes, sequi.

TU spes salútis; áctuum
Tu finis & primórdium.
Te, prosequámur, aúspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Feriali Officio Antiphona dicitur secundùm Feriam, eaque singulis diebus assignata est.

In Feriali Officio,

Capitulum. Is. 33.

DOmine, miserére nostrî, te enim expectávimus: esto bráchium nostrum in mane, & salus nostra in témpore tribulatiónis. ℟. Deo grátias.

In Festivali Officio dicitur sequens

Capitulum. 1. *ad Tim.* 1.

REgi seculórum immortáli, invisíbili, soli Deo, honor & glória in sécula seculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes ad dépteram Patris. [Hic ℣. semp

dicitur in Feriis, quandò alius non assignatus est in Proprio Temporis.]* Miserére nobis. Glória. ℟. Christe. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

PRECES.

Quandò ad Laudes dictæ sunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.

In Semid. verò & suprà, & intra Octavas, omittuntur.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum *secretò usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. *Cor mundum crea in me, Deus;* ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne aúferas à me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

Quandò Preces non dicuntur flexis genibus, hîc fit Confessio: quando verò genua flectuntur, adduntur versus sequentes ante Confessionem.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra mihi; ℟. Et sémitas tuas édoce me. *Ps.* 24.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris; ℟. Secundùm misericórdiam tuam,

memento mei tu. *Ps.* 24.

Hîc Hebdomadarius facit Confessionem.

CONfiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaëli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres,) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, [*ad sequentia verba ter percutitur pectus*] meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaëlem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MIsereátur tuî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confessionem; & ubi dictum est vobis, fratres, & vos, fratres, *dicit,* tibi, Pater, *&* te, Pater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIsereátur vestrî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit* Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, addendo particulam* [&] *ante has voces* ómnibus Sanctis, *&* omnes Sanctos; *deinde* Misereátur *semel, dicendo* nostrî, nostris, *&* nos.]

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen. *& prosequitur:*

℣. Dignáre, Dómine, die isto; ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostrî, Dómine; ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam

justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

In Choro legitur Martyrologium, in cujus fine respondetur Deo grátias: *& statim Hebdomadarius dicit altâ voce:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Et absolutè sine Dóminus vobíscum, *& sine* Orémus.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Posteà dicitur, ℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. *Deus*, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto; sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Tùm secretò* Pater noster.

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

℣. Glória. ℟. Sicut.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum, ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Lector versus ad Celebrantem petit benedictionem, dicens: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Bonitátem, & discíplinam, & sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Ps.* 118. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui quâlibet die varius legitur, & habetur in Proprio, in cujus fine dicitur Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Absoluto Canone, Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Deinde dicit Benedícite. ℟. Deus.

Hebdom. ℣. Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem: fáciens in nobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sǽcula sæculórum. *Hebr.* 13. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *secretò.*

Deus, in adjutórium.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus!
O dulce lumen méntium,
Sacras refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Filium,
Et nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

PRECES.

Quandò ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam & Nonam, hæ dicuntur flexis genibus.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *secretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

Jam solis áureum jubar
Pleno coruscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refulge sénsibus.

O dux salútis & viæ;
O vita, quos doces, rege

Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perennis gaúdia.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Preces, flexis genibus, si dicantur, ut suprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave. *secretò.*

Deus, in adjutórium.

Hymnus.

Recídit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supernam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

Da, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui:
Fac, lucis usúræ brevi,
Æterna succédat dies.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Preces, si dicenda sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Preces, si dicenda sint, habentur suprà ad Laudes, pag. 155. in quibus loco Ps. De profundis, *dicitur Ps.* Miserére, *pag.* 153.

Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis, fit hoc loco statim post Orationem diei.

Deinde in Feriis & Festis simplicibus, fiunt Suffragia ut sequitur.

De Patrono Ecclesiæ cujuslibet Commemoratio fit suo loco.

[*Commemoratio sequens fit tantùm in Officio Feriali.*

De S. Cruce.

Ant. Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Galat.* 6.

℣. In Deo salutáre meum;
℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

Orémus.

Perpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas.]

De B. Maria Virgine.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

℣. Vultum tuum deprecabuntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Orémus.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Per eumdem Christum.

De S. Eligio.

Ant. Hic est fratrum amátor & pópuli Israel: hic est qui multùm orat pro pópulo, & universa civitáte. 2. *Mach.* 15.

℣. Cadat orátio nostra in conspectu tuo; ℟. Ora pro nobis ad Dóminum Deum. *Jerem.* 42.

Orémus.

Deus, qui beatum Elígium páuperum patrem, & eximium amatórem tuum nobis Pastórem misericórditer providisti; concéde propítius, ut quod ille nos dócuit verbis & exemplis, te super ómnia diligentes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis; Per Christum.

Pro Pace.

Ant. Deus meminerit testamenti sui, & fáciat pacem; nec nos déserat in témpore malo. 2. *Mach.* 1.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem, ℟. In plebem suam. *Ps.* 84.

Orémus.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si Completorium non sequitur, secretò dicitur Fidélium ánimæ, &c. *&* Pater-noster.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

Converte nos.

In Feriali Officio.

Hymnus.

Te lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Hâc nocte nos custódias.

Fac, vana custos Angelus
Pellat procul phantásmata;
Et dormiente córpore,
Fac mens vigil te cógitet.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Festivali Officio.

Hymnus.

Deus Creátor ómnium,
Grates peracto jam die,
Et noctis exortæ preces
Proni tibi persólvimus.

Quod longa peccávit dies,
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per sopórem nos suus
Hostis pétere fraúdibus.

Invens tuus usque circuit;

Quærens leo quem dévoret ;
Umbrántibus tuos, Pater,
Natos sub alis prótege.

O quando lucescet tuus
Qui nescit occásum dies !
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus !

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Officio de Beata, Hymnus Virgo Dei génitrix, *in Officio de B. M. V. in Sabbato.*

In Feriali Officio,

Capitulum. 1. Petr. 5.

SObrii estóte, & vigiláte, quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide.

In Festivali Officio,

Capitulum. 1. Thess. 5.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diéi. Non sumus noctis neque tenebrárum : ígitur non dormiámus sicut & céteri ; sed vigilémus & sóbrii simus.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum ; ℣. Redemísti me, Dómine Deus veritátis. * Commendo spíritum meum. Glória. ℟. *In manus. Ps. 30.*

℣. *Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi ;* ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps. 16.*

Ad Nunc dimittis, *nisi alia in Proprio assignata sit,*

Ant. 3. c. Salva nos.

Canticum Simeon. Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dñe, * secundùm verbum tuum in pace ;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum :

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilantes, custódi nos dormientes, ut vigilémus cum Christo, & requiescámus in pace.

PRECES.

In Simplicibus & Feriis dicuntur ; flexis autem genibus, quando Preces dictæ sunt in Vesperis.

In Semiduplicibus verò & suprà non dicuntur, nec intra Octavas ; sed dictâ Antiphonâ, statim dicitur Dóminus vobiscum, *& Oratio* Vísita, *ut infrà.*

KYrie, eléison. Christe, eléison, Kyrie, eléison.

Pater *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum *secretò usque ad* ℣. Carnis resurr-

rectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Benedíctus es in firmamento cœli, ℟. Et laudábilis, & gloriósus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster; ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

Tunc Hebdomadarius facit Confessionem.

Confíteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres,) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, [*ad sequentia verba ter percutitur pectus*] meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, *omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad* Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confessionem; & ubi dictum est vobis, fratres, *&* vos fratres, *dicit* tibi, Pater, *&* te, Pater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

Misereátur vestrî omnípotens Deus; & dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit* Confíteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi; addendo particulam* (&) *ante has voces* ómnibus Sanctis, *&* omnes Sanctos; *deinde* Misereátur *semel, dicendo* nostrî, nostris, *&* nos.]

Indulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Posteà dicitur ℣. Dignáre, Dómine, nocte istâ, ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣ Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde submissiori voce dicitur: Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cáritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus nobis. 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Posteà dicitur sequens Antiphona.

ANTIPH. DE BEATA.

SAlve, Regína, Mater misericórdiæ: vita, dulcédo, & spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxules fílii Evæ: ad te suspirámus, gementes & flentes in hac lacrymárum valle: eia ergo, Advocáta nostra, illos tuos misericordes óculos ad nos converte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui nobis post hoc exílium ostende, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María!

℣. Vultum tuum deprecabuntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Orémus.

OMnípotens sempiterne Deus, qui gloriósæ Vírginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Filii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperante præparasti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercessióne ab instántibus malis & à morte perpétua liberémur; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divínum auxílium máneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Deinde dicitur secretò Pater. Ave. Credo.



ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

Dicendæ ad Matutinum ante Lectiones.

IN DOMINICA

Et in Officiis ix. Lectionum quæ non sunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO

ET PRO II. ET V. FERIA.

Absolutio. 2. Mach. 1.

DEus det nobis cor ómnibus ut colámus eum: adapériat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis.

℟. Amen.

¶ [*Sic respondetur ad singulas Absolutiones & Benedictiones.*]

Benedictiones.

1. Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Eph.* 1. ℟. Amen.

2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joann.* 5.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joann.* 16.

IN II. NOCTURNO

ET PRO III. ET VI. FERIA.

Absolutio. 3. Reg. 8.

DEus noster inclinet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Eph.* 1.

5. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.

6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joann.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio. 2. Mach. 1.

DEus meminerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras.

℟. Amen.

Benedictiones.

7. Evangélium, virtus Dei, sit in salútem omni credenti. *Rom* 1.

8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.* 4.

¶ 9. Deus spei répleat nos omni gáudio & pace in credendo ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illumináti Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

Eadem Benedictio dicitur in omni Feria, quando pro tertia Lectione legendum erit Evangelium cum Homilia.

Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit: Ipse Deus pacis sanctíficet nos per ómnia. 1. *Thessal.* 5.

Quandò DD. Episcopus L

ctionem lecturus est, vel in Choro, vel privatim cum uno aut pluribus, postquàm ipse præmisit de more, Jube, Domne, benedícere, *dignior post ipsum dicit illi:* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem DD. Episcopus respondet:* Oro ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia & in omni sensu. *Philipp. 1. Chorus resp.* Amen. *Idem observatur, etiam in Choro, ubi unicus est Presbyter.*

FERIA IV. ET SABBATO.

Absolutio. 2. Mach. 1.

DEus meminerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes. 3.*
2. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph. 4.*
3. Deus spei répleat nos omni gaúdio & pace in credendo, ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs Sancti. *Rom. 15.*

IN FESTIS B. MARIÆ VIRG. & Sanctorum

Quæ sunt ix. Lectionum.

In I. & III. Nocturno, Absolutiones & Benedictiones dicuntur ut suprà in Dominica.

In II. Nocturno, ut sequitur.

Absolutio. 3. Reg. 8.

DEus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

℟. Amen.

Pro Festis Beatæ M
Sabbato
Benedictioni
4. Exultet spíritus
Deo, quia respe
tátem ancillæ su
5. Nobiscum sit D
ancilla sua adim
ricórdiam suam,
mísit dómui Isr
13.
6. Invocet Dómin
quátur Regi pro
líberet nos de mo
15.
¶ *Notandum has B*
non dici in Festi
simul de Domin
Maria Virgine; q
Annuntiatio, P
& Visitatio: in
Festis Benediction
tur è II. Noct. I

PRO FESTIS SAN

Benedictione
4. Deus det nobis i
óculos cordis, u
quæ sit spes voca
in Sanctis. *Ephes.*
5. Dignos nos fáciat
fortis Sanctórum
puit nos de pote
brárum. *Coloss. 1.*
6. Aperiantur óculi
convertámur à t
lucem, & accipi
tem inter Sanctos.

IN FESTIS SANC

Quæ sunt iij. le
Absolutio est secu
riam;
Benedictiones veri
proximè superiores.
pro tertia Lectione le
Evangelium, tunc,
dictio erit Fulgeat.

PROPRIUM

DE TEMPORE.

FERIA QUARTA,
Intra Hebdomadam XI. post Pentecosten.

Incipit liber Esther.

Lectio j. Cap. 1.

IN diébus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam, super centum viginti septem províncias, quando sedit in sólio regni sui: Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, & púeris suis, fortíssimis Persárum, & Medórum ínclytis, & præfectis provinciárum coram se: ut osténderet divítias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem atque jactántiam poténtiæ suæ, multo témpore, centum vidélicet & octoginta diébus.

℟. Instábat dies, quo Esther debéret intráre ad regem; quæ * Non quæsívit muliebrem cultum, habuítque grátiam coram rege, & pósuit rex diadéma in cápite ejus. ℣. Abscónditus cordis homo in incorruptibilitáte quiéti & modésti spíritûs, est in conspectu Dei lócuples. Sic sanctæ mulíeres ornábant se. * Non quæsivit. *Esth. 2. I. Petr. 3.*

Lectio ij.

VAsthi quoque regína fecit convívium feminárum, in palátio ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cùm rex esset hilárior &, post nímiam potatiónem, incaluísset mero, præcépit..., septem eunúchis qui in conspectu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis & princípibus pulchritúdinem illíus: erat enim pulchra valdè. Quæ rénuit, & ad regis impérium quod per eunúchos mandáverat, veníre contempsit.

℟. Homo quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, & accípere régium diadéma. * Dixit Aman rex: Festína; fac, ut

locútus es, Mardochæo. ℣. Dispérsit Dóminus supérbos mente cordis sui, & exaltávit húmiles. * Dixit Aman. *Esth.* 6. *Luc.* 1.

Lectio iij. Cap. 2.

ERat vir Judæus in Susan civitáte, vocábulo Mardochæus, fílius Jaïr, fílii Séméi, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edissæ, quæ áltero nómine vocabátur Esther, & utrumque paréntem amíserat; pulchra nimis, & decóra fácie: mortuísque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. Cúmque percrebruísset regis impérium, & juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, & Egéo traderéntur eunúcho; Esther quoque inter céteras puéllas ei trádita est, ut servarétur in número feminárum. Quæ plácuit ei, & invénit grátiam in conspéctu illíus.

℟. Israel clamávit ad Dóminum; & * Salvum fecit Dóminus pópulum suum, liberavítque nos ab ómnibus malis. ℣. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ. * Salvum. Glória. * Salvum. *Esth.* 10. *Luc.* 1.

C A N O N.

Ex Concílio Aquensi. *Ann.* 1585. *tit. de Parochis.*

PArochi perpétuò Ecclésiæ suæ assistant, & gregi invígilent: sint zelantes in salúte fidélium procurandâ. Sit vígilans eórum cura erga infirmos: sit accuráta instántia in Festórum diérum cultu observando: sit díligens eórum cura in scholis doctrínæ Christiánæ: sint eórum mónita salutária: sit magna vigilántia in réliquis parochiális múneris pártibus.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 2.

EVolúto témpore per órdinem, instábat dies quo Esther fília Abíhaïl fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad Regem. Quæ non quæsívit mulíebrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valdè, & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbátur..... Et adamávit eam rex plus quàm omnes mu-

meres.... & pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi. Et jussit convívium præparári permagníficum cunctis princípibus & servis suis, pro conjunctióne & núptiis Esther. Et dedit réquiem univérsis provínciis, ac dona largitus est juxta magnificéntiam principálem.

℟. Instábat dies, p. 169.

Lectio ij. Cap. 3.

POst hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amádathi, qui erat de stirpe Agag: & pósuit sólium ejus super omnes príncipes quos habébat: cunctíque servi regis qui in fóribus palátii versabantur, flectébant génua & adorábant Aman: sic enim præcéperat eis imperátor. Solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis qui ad fores palátii præsidébant: Cur, præter céteros, non obsérvas mandátum regis? Cúmque hoc crébrius dícerent, & ille nollet audíre; nuntiavérunt Aman, scire cupientes utrùm perseveráret in senténtia: dixerat enim eis se esse Judæum. Quod cùm audísset Aman, & experiménto probásset quòd Mardochæus non flécteret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valdè, & pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas: audíerat enim quòd esset gentis Judææ: magísque vóluit omnem Judæórum qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem.

℟. Homo, pag. 169.

Lectio iij. Cap. 4.

QUæ cùm audísset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indútus est sacco, spargens cínerem cápiti: & in platéa médiæ civitátis voce magnâ clamábat, ostendens amaritúdinem ánimi sui, & hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens.... Ingressæ autem sunt puellæ Esther, & eunúchi, nuntiaverúntque ei. Quod áudiens consternáta est.... egressúsque Athach ivit ad Mardochæum stantem in platéa civitátis, ante óstium palátii: qui indicávit ei ómnia quæ accíderant.... Regressus Athach, nuntiávit Esther ómnia quæ Mardochæus díxerat. Quæ respondit ei, &....hæc Mardochæo verba mandávit: Vade, & cóngrega omnes Judæos quos in Susan repéreris, & oráte pro me. Non comedátis, & non bibátis tribus diébus & tribus nóctibus: & ego cum ancillis meis simíliter je-

junábo, & tunc ingrédiar ad regem, contra legem fáciens, non vocáta, tradénsque me morti & perículo. Ivit ítaque Mardochæus, & fecit ómnia quæ ei Esther præcéperat.

℟. Israel, *pag.* 170.

C A N O N.

Ex Concílio Burdigalensi. *Ann.* 1583. *tit. de Parochis.*

INquírant Párochi studiósè de paupéribus suæ paróchiæ, præsertìm de víduis, órphanis, pupillis, ægrótis, sénio conféctis, aliísque persónis temporáli vel spirituáli misericórdiâ indigéntibus, quibus & ipsi pro víribus opitulári, & álios, suo exemplo atque hortátu, ad id offícium incitáre stúdeant.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 5.

DIe tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, & stetit in átrio domûs régiæ quod erat intérius, contra basílicam regis: at ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domûs. Cúmque vidísset Esther regínam stantém, plácuit óculis ejus, & exténdit contra eam virgam áuream quam tenébat manu. *Quæ accédens* osculáta est *summitátem* virgæ ejus. *Dixítque* ad eam rex: Quid vis, Esther regína? quæ est petítio tua? etiamsi dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respóndit: Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódie, & Aman tecum, ad convívium quod parávi. Statímque rex: Vocáte, inquit, citò Aman, ut Esther obédiat voluntáti.

℟. Instábat dies, *p.* 169.

Lectio ij. Cap. 6.

NOctem duxit rex insomnem, jussítque sibi afferri histórias & annáles priórum témporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quómodò nuntiásset Mardochæus insídias Bágathan & Thares eunuchórum, regem Assuérum juguláre cupiéntium. Quod cùm audísset rex, ait: Quid pro hac fide honóris ac præmii Mardochæus consecútus est? Dixérunt ei servi illíus ac minístri: Nihil omnínò mercédis accépit. Statímque rex: Quis est, inquit, in átrio? Aman quippe intérius átrium domûs régiæ intráverat, ut suggéreret regi, & jubéret Mardochæum affígi patíbulo, quod ei fúerat præparátum. Respondérunt púeri: Aman stat in átrio. Dixítque rex: Ingrediátur. Cúmque esset ingressus, ait

illi : Quid debet fieri viro quem rex honoráre desíderat ? Cógitans autem in corde suo Aman, & réputans quòd nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respondit : Homo quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, & impóni super equum qui de sella regis est, & accípere régium diadéma super caput suum ; & primus de régiis princípibus ac tyrannis téneat equum ejus, & per platéam civitátis incédens, clamet, & dicat : Sic honorábitur, quemcumque volúerit rex honoráre. Dixítque ei rex : Festína, & sumptâ stolâ & equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palátii : cave ne quidquam de his quæ locútus es, prætermíttas.

℟. Homo, pag. 169.

Lectio iij.

TUlit ítaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæum in platéa civitátis, & impósitum equo præcedébat atque clamábat : Hoc honóre condignus est, quemcumque rex volúerit honoráre. Reversúsque est Mardochæus ad jánuam palátii : & Aman festinávit ire in domum suam lugens, & operto cápite ; narravítque Zaræ uxóri suæ & amícis ómnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapientes quos habébat in consílio, & uxor ejus : Si de sémine Judæórum est Mardochæus ante quem cádere cœpisti, non póteris ei resístere, sed cades in conspectu ejus. Adhuc illis loquéntibus, venérunt eunúchi regis, & citò eum ad convívium quod regína paráverat, pérgere compulérunt.

℟. Israel, pag. 170.

C A N O N.

Ex Concílio Narbonensi.

Ann. 1609. Cap. 32.

de Parochis.

INvígilent Párochi super gregem ; & paráti semper sint, ne, per illórum negligéntiam, aut párvuli sine Baptismo, aut adulti sine sacramentis Pœniténtiæ, Communiónis & Extrémæ Unctiónis, moriantur : infirmos sæpiùs vísitent & consolentur, ac de salúte ánimæ móneant.

SABBATO.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 7.

INtrávit rex & Aman, ut biberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secundâ die, postquàm vino incalúerat: Quæ est petítio tua, Esther, ut detur tibi ? & quid vis fieri ? etiamsi dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad

quem illa respondit : Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, & pópulum meum pro quo óbsecro. Tráditi enim sumus ego & pópulus meus, ut conterámur, juguléмur & pereámus. Atque útinam in servos & fámulas venderémur! esset tolerábile malum, & gemens tacérem : nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redundat in regem. Respondénsque rex Assuérus, ait : Quis est iste, & cujus poténtiæ, ut hæc áudeat fácere? Dixítque Esther : Hostis & inimícus noster péssimus iste est Aman. Quod ille áudiens, íllicò obstúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non sústinens.

[*Si fiat de Sabbato, ℟℟. sumuntur ex Feria IV. præced.*]

Lectio ij. Cap. 7. & 8.

DIxítque Harbóna, unus de eunúchis qui stabant in ministério regis : En lignum quod paráverat Mardochæo qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquaginta cúbitos. Cui dixit rex : Appéndite eum in eo. Suspensus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo; & regis ira quiévit. Die illo dedit rex Assuérus Esther regínæ domum Aman adversárii Judæórum, & Mardochæus ingressus est ante fáciem regis : confessa est enim ei Esther, quòd esset pátruus suus. Tulítque rex ánnulum quem ab Aman récipi jússerat, & trádidit Mardochæo. Esther autem constítuit Mardochæum super domum suam.

Lectio iij. Cap. 9.

IGitur duodécimi mensis, tertiadécimâ die, quando cunctis Judæis interféctio parabátur, & hostes eórum inhiábant sánguini, versâ vice Judæi superióres esse cœpérunt, & se de adversáriis vindicáre. Congregatíque sunt per síngulas civitátes, óppida & loca, ut exténderent manum contra inimícos & persecutóres suos. Nullúsque ausus est resístere, eò quòd omnes pópulos magnitúdinis eórum formído penetráverat..... Dies autem tertiusdécimus mensis Adar, primus apud omnes interfectiónis fuit, & quartadécimâ die cædere desiérunt. Quem constituérunt esse solemnem, ut in eo omni témpore deinceps vacárent épulis, gáudio atque convíviis..... Scripserúntque Esther regína fília Abihaïl, & Mardochæus Judæus, étiam secundam epi-

ſtolam, ut omni ſtúdio dies iſta ſolemnis ſancirétur in póſterum: & misérunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti ſeptem provínciis regis Aſſuéri verſabantur, ut habérent pacem & ſuſcíperent veritátem.

CANON.

Ex Concílio Remenſi.

Ann. 1583. *tit. de Extremâ Unctione, num.* 4.

NOn putet ſuo ſatisfáctum officio Sacerdos, ſi ſemel tantùm ægrótum inviſerit, dum Unctio fuit adhibenda: ſed quàm diutiſſimè póterit, eum conſolétur; & inculcet quæ ſpectant ad ſalútem, eíque quoúſque è vivis excéſſerit, aſſiſtat, & óperam impendat. Qui autem in ea re ſe negligentem præſtíterit, à Decáno vel Archidiácono ad Epíſcopum deferátur increpandus gráviter, & incúriæ ſuæ pœnas arbitrárias luitúrus.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Orante Eſdrâ & flente, & jacente ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſrael cœtus grandis, & flevit pópulus fletu multo. *I. Eſdr.* 10.

Oratio infrà ad Laudes.

AD COMPL. *Pſ. & Ant. de Sabb. Hymn. Capit. &c. ut in Dominicis.*

Et ſic in omnibus Sabbatis.

DOMINICA XII. poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

[*Officium ut in Pſalterio, additis quæ ſequuntur: & ſic in ſequentibus Dominicis*].

Incipit liber primus Eſdræ.

Lectio j. Cap. 1.

IN anno primo Cyri regis Perſárum, ut complerétur verbum Dómini ex ore Jeremíæ, ſuſcitávit Dóminus ſpíritum Cyri regis Perſárum; & traduxit vocem in omni regno ſuo, étiam per ſcriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Perſárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipſe præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúſalem quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipſo. Aſcendat in Jerúſalem quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Dómini Dei Iſrael; ipſe eſt Deus qui eſt in Jerúſalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicumque hábitant, ádjuvent eum viri de loco ſuo, argento, & auro, & ſubſtántiâ, & pecóribus, excepto quod voluntáriè ófferunt templo Dei quod eſt in Jerúſalem.

℟. Eſdras ſcriba velox in lege Móyſi, venit in Jerúſalem, juxta manum Dei

ſui bonam ſuper ſe : * Parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini, & fáceret & docéret in Iſrael. ℣. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. * Parávit. *I. Eſdr. 7. Matth. 5.*

Lectio ij.

ET ſurrexérunt príncipes patrum de Juda & Bénjamin, & ſacerdótes & levítæ, & omnis cujus Deus ſuſcitávit ſpíritum, ut aſcénderent ad ædificandum templum Dómini quod erat in Jerúſalem. Universíque qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vaſis argénteis & áureis, in ſubſtántia & jumentis, in ſupelléctili, exceptis his quæ ſpontè obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vaſa templi Dómini quæ túlerat Nabuchodónoſor de Jerúſalem, & poſúerat ea in templo Dei ſui.

℟. Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes qui quærunt eum in bonitáte : & * Impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor ſuper omnes qui derelinquunt eum. ℣. Reddet iis, qui ſecundùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætęrnam : iis autem *qui non acquieſcunt veritáti, ira & indignátio.* * Impérium. *I. Eſdr. 8. Rom. 2.*

Lectio iij. Cap. 3.

JAmque vénerat menſis ſéptimus, & erant filii Iſrael in civitátibus ſuis : congregátus eſt ergo pópulus quaſi vir unus in Jerúſalem. Et ſurrexit Jóſue filius Jóſedec, & fratres ejus ſacerdótes, & Zoróbabel filius Saláthiel & fratres ejus ; & ædificavérunt altáre Dei Iſrael, ut offerrent in eo holocautómata, ſicut ſcriptum eſt in lege Móyſi viri Dei. Collocavérunt autem altáre Dei ſuper baſes ſuas, deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum ; & obtulérunt ſuper illud holocauſtum Dómino manè & véſperè : fecerúntque ſolemnitátem tabernaculórum, ſicut ſcriptum eſt ; & holocauſtum diébus ſíngulis per órdinem ſecundùm præceptum, opus diéi in die ſuo. Et poſt hæc holocauſtum juge, tam in Calendis, quàm in univerſis ſolemnitátibus Dómini quæ erant conſecrátæ & in ómnibus in quibus ultrò offerebátur munus Dómino.

℟. Vos tranſgreſſi eſtis, ut adderétis ſuper delictum Iſrael ; & nunc * Date confeſſiónem Deo patrum veſtrórum, & fácite plácitum ejus. ℣. Reformámini in novitáte ſensûs veſtri, ut probétis quæ ſit volun-

tas Dei bona, & benéplacens & perfecta. * Date. Glória. * Date. *I. Esdr.* 10. *Rom.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Enarrat. in Ps. 64. §. 1.

Lectio iv.

CAptivátus pópulus Israel, ex civitáte Jerúsalem ductus est in servitútem Babylóniæ. Prophetávit autem Jeremías sanctus, post septuaginta annos reditúrum pópulum de captivitáte, & instauratúrum civitátem ipsam Jerúsalem quam devictam ab hóstibus plánxerat. Illo autem témpore fuérunt Prophétæ in illa captivitáte pópuli constitúti in Babylónia, inter quos erat & Ezéchiel prophéta. Expectábat autem ille pópulus donec implerentur témpora septuaginta annórum, secundùm prophetíam Jeremíæ. Factum est, complétis septuaginta annis, restitútum est templum quod dejectum erat; & regressa est de captivitáte magna pars illíus pópuli. Sed quóniam dicit Apóstolus: Hæc in figúra contingébant in illis, scripta sunt autem propter nos in *quos finis sæculórum obvénit; debémus & nos nosse priùs captivitátem* nostram, deindè liberatiónem nostram: debémus nosse Babylóniam in qua captívi sumus, & Jerúsalem ad cujus réditum suspirámus.

℟. Congregátus est omnis pópulus, & dixérunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis: & legit in eo apertè, * Et aures omnis pópuli erant erectæ ad librum. ℣. Intendébant turbæ his quæ dicebantur, unanímiter audientes. * Et aures. *II. Esdr.* 8. *Act.* 8.

Lectio v.

IStæ quippe duæ civitátes, secundùm lítteram revérà duæ civitátes. Et illa quidem Jerúsalem modò à Judæis non incólitur. Post crucifixum enim Dóminum vindicátum est in illos flagello magno; & eradicáti ab eo loco, ubi ímpiâ libertáte furiósi adversùs Médicum insaníerant, dispersi sunt per omnes gentes, & data est illa terra Christiánis: impletúmque est quod eis díxerat Dóminus: Proptéreà auferétur à vobis regnum, & dábitur genti facienti justítiam. Cùm autem vidérent tunc multas turbas ire post Dóminum prædicantem regnum cœlórum, & mirabília faciéntem, dixérunt príncipes illíus civitátis: Si dimiserímus eum

omnes ibunt post illum, & vénient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Ne locum pérderent, Dóminum occidérunt; & ídeò perdidérunt, quia occidérunt.

℟. Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro, * Nolíte lugére, & nolíte flere: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra. ℣. Gaudéte in Dómino semper; iterùm dico, gaudéte. * Nolíte. *II. Esdr.* 8. *Philipp.* 4.

Lectio v. §. 1. & 2.

CIvitas ergo quædam illa terréna, cujusdam civitátis ætérnæ in cœlis umbram gerébat: at ubi cœpit illa quæ significabátur, evidéntiùs prædicári, umbra quâ significabátur, dejécta est: proptérea ibi modò templum non est, quod fabricátum fúerat in imáginem futúri Córporis Dómini. Tenémus lucem, umbra transívit: tamen adhuc in quadam captivitáte sumus: Quámdiù sumus, inquit, in córpore, peregrinámur a Dómino. Et vidéte nómina duárum istárum civitátum Babylónis & Jerúsalem; Bábylon confúsio interpretátur; Jerúsalem visio pacis. Inténdite nunc civitátem confusiónis, ut intelligátis visiónem pacis: istam tolerétis; ad illam suspirétis.

℟. Meménto meî, Deus meus; & * Ne déleas miseratiónes meas quas feci in domo Dei mei, & in ceremóniis ejus: † Parce mihi secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum. ℣. Scriptum est: Zelus domûs tuæ comédit me. * Ne déleas. Glória. † Parce mihi. *II. Esdr.* 13. *Joann.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Convérsus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis: Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Libr. 1. de Doctr. Christ. Cap. 26. & 27.

FInis præcepti est diléctio, & ea gémina, id est, Dei & próximi.... Ille autem justè & sanctè vivit, qui rerum ínteger æstimátor est: ipse est autem qui ordinátam dilectiónem habet; ne, aut díligat quod non est diligéndum, aut non díligat quod est diligéndum, aut ámpliùs

diligat quod minùs est diligendum, aut æquè díligat quod vel minùs vel ámpliùs diligendum est, aut minùs vel ámpliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccátor, in quantum peccátor est, non est diligéndus; & omnis homo, in quantum homo est, diligéndus est propter Deum; Deus verò propter seipsum.

℟. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: * Et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. ℣. Dedit se, ut liberáret pópulum suum. * Et nos. *I. Joann.* 3. *I. Mach.* 6.

Lectio viij. Cap. 28. & 29.

OMnes æquè diligendi sunt: sed, cùm ómnibus prodesse non possis, his potíssimùm consulendum est, qui pro locorum & témporum, vel quarúmlibet rerum opportunitátibus, constríctiùs tibi quasi quâdam sorte junguntur.... Velle tamen debémus, ut omnes nobíscum díligant Deum; & totum quod vel eos adjuvámus, vel adjuvámur ab eis, ad unum illum finem referendum est..... Hinc efficitur ut inimícos étiam nostros diligámus: non enim eos timémus, quia nobis quod díligimus auferre non possunt; sed misereámur pótiùs, quia quantò magis nos odérunt, tantò ab illo quem díligimus, separáti sunt. Ad quem si conversi fúerint, & illum tanquam beatíficum bonum, & nos tanquam sócios tanti boni necesse est ut díligant.

℟. Nos debémus altérutrum diligere: * Si diligámus invicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta est. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Si diligámus. Glória. * Si diligámus. *I. Joann.* 4. *Ps.* 132.

Lectio ix. Cap. 30.

NAm quòd nullum hóminum excéperit, qui præcépit ut próximum diligámus, & ipse in Evangélio Dóminus ostédit. Namque ille cui duo ipsa præcepta protúlerat, atque in eis pendére totam legem Prophetásque díxerat, cùm interrogáret eum, dicens: Et quis est meus próximus? hóminem quemdam propósuit descendentem ab Jerúsalem in Jéricho incidisse in latrónes, & ab eis gráviter vulnerátum, sáucium & semivivum esse derelictum: cui próximum esse non dócuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum miséricors exstitit; ita ut hoc qui in

terrogáverat, interrogátus ipse faterétur. Cui Dóminus ait: Vade, & tu fac símiliter; ut vidélicet eum esse próximum intelligámus, cui vel exhibendum est offícium misericórdiæ, si índiget, vel exhibendum esset, si indigéret.... Nullum autem exceptum esse, cui misericórdiæ denegétur officium, quis non vídeat? quando usque ad inimícos étiam porrectum est, eódem Dómino dicente: Dilígite inimícos vestros, benefácite iis qui odérunt vos.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, & incidit in latrónes qui étiam despoliavérunt eum, &, plagis impósitis, abiérunt, semivívo relícto. *Luc.* 10.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis digne & laudabíliter serviátur; tríbue, quæsumus, nobis ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus; Per.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

Ann. 1576. *part.* 3. *tit.* 7.

*SI ab increpatióne reticuéritis, quia contra vos ódia insúrgere reformidá*tis, non jam Dei lucra, sed vestra quæritis. Si igitur peccátur; ne in increpatiónibus verba vestra blandiéntia sint, sed, ut à Spíritu sancto scriptum est, stímuli sint, & quasi clavi in altum defixi.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Quis vidétur tibi próximus fuisse illi qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac símiliter. *Luc.* 10.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Esdræ.

Lectio j. Cap. 3.

A Primo die mensis séptimi cœpérunt offérre holocaustum Dómino: porrò templum Dei nondum fundátum erat. Dedérunt autem pecúnias látomis & cæmentáriis; cibum quoque & potum, & óleum, Sidóniis Tyriísque, ut deferrent ligna cédrina de Líbano ad mare Joppe, juxta quod præcéperat Cyrus rex Persárum eis. Anno autem secundo adventûs eórum ad templum Dei in Jerúsalem, mense secundo, cœpérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jósue fílius Jósedec, & réliqui de frátribus eórum sacerdótes & levítæ, & omnes qui venerant de captivitáte in Jerúsalem, & constituérunt

levítas, à vigínti annis & suprà, ut urgérent opus Dómini.

℟. Esdras, *pag.* 175.

Lectio ij.

Fundáto ígitur à cæmentáriis templo Dómini, stetérunt sacerdótes in ornátu suo cum tubis: & levítæ fílii Asaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Israel. Et concinébant in hymnis & confessióne Dómino: Quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia ejus super Israel. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno in laudando Dóminum; eò quòd fundátum esset templum Dómini. Plúrimi étiam de sacerdótibus & levítis, & príncipes patrum, & senióres, qui víderant templum priùs cùm fundátum esset, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: & multi vociferantes in lætítia elevábant vocem. Nec póterat quisquam agnóscere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli: commixtìm enim pópulus vociferabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. Manus, *p.* 176.

Lectio iij. Cap. 4.

Audiérunt autem hostes Judæ & Bénjamin, quia fílii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Israel: & accedentes ad Zoróbabel & ad príncipes patrum dixérunt eis: Ædificémus vobíscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel & Jósue, & réliqui príncipes patrum Israel: Non est vobis & nobis ut ædificémus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificábimus Dómino Deo nostro, sicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum est ígitur, ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificando. Conduxérunt autem adversùs eos consiliatóres, ut destrúerent consílium eórum ómnibus diébus Cyri regis Persárum, & usque ad regnum Daríi regis Persárum.

℟. Vos transgressi, *p.* 176.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. *p.* 6. *c.* 8.

Ad evangelizandum missi sunt Párochi: væ ergo illis si non evangelizáverint. Si quis autem eórum índiget sapiéntiâ, scrutétur Scriptúras, & póstulet à Deo qui dat ómnibus

affluenter, & non impróperat; & dábitur ei.

FERIA TERTIA.

De libro primo Esdræ.

Lectio j. Cap. 5.

PRophetavéruntAggæus prophéta, & Zacharías fílius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerúsalem, in nómine Dei Israel. Tunc surrexérunt Zoróbabel fílius Salá-thiel, & Jósue fílius Jósedech; & cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúsalem, & cum eis prophétæ Dei adjuvantes eos. In ipso autem témpore venit ad eos Thathánai, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzánai, & consiliárii eórum: sicque dixérunt eis: Quis dedit vobis consílium ut domum hanc ædificarétis, & muros ejus instaurarétis? Ad quod respóndimus eis, quæ essent nómina hóminum auctórum ædificatiónis illíus. Oculus autem Dei eórum factus est super senes Judæórum, & non potuérunt inhibére eos. Placuítque ut res ad Daríum referrétur, & tunc satisfácerent advérsùs accusatiónem illam.

℟. Congregátus, *p.* 177.

Lectio ij. Cap. 6.

TUnc Daríus rex præcépit: & recensuérunt in bibliothéca librórum qui erant repósiti in Babylóne, & inventum est in Ecbátanis, quod est castrum in Médéna província, volúmen unum; talísque scriptum erat in eo commentárius. Anno primo Cyri regis Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur quæ est in Jerúsalem, in loco ubi ímmolent hóstias, & ut ponant fundamenta supportántia altitúdinem cubitórum sexaginta, & latitúdinem cubitórum sexaginta. Ordines de lapídibus impolítis tres, & sic órdines de lignis novis sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed & vasa templi Dei áurea & argéntea, quæ Nabuchodónosor túlerat de templo Jerúsalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddantur, & referántur in templum in Jerúsalem in locum suum quæ & pósita sunt in templo Dei.

℟. Dies, *pag.* 178.

Lectio iij.

NUnc ergo Thathánai dux regiónis quæ est trans flumen, Stharbuzánai, & consiliárii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recédite ab illis; & dimíttite fieri templum Dei illud à duce Judæórum, & à senióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco suo. Sed & à me præceptum

opórteat fieri à pres-
is Judæórum illis, ut
:étur domus Dei; scí-
ut de arca regis, id
le tribúuis quæ dan-
e regióne trans flu-
studiósè sumptus den-
iris illis, ne impediá-
pus. Quòd si necesse
, & vítulos, & agnos,
:dos in holocaustum
cœli, frumentum, sal,
n & óleum; secun-
ritum sacerdótum
int in Jerúsalem, de-
s per síngulos dies,
in áliquo querimó-
:t ófferant oblatiónes
cœli, oréntque pro
egis & filiórum ejus
Memento, *pag.* 178.

CANON.

Concílio Burdiga-
lensi.

1583. *tit. de Parochis.*
Bservent Párochi sui
gregis vitia, commú-
:l própria, & cujusque
ta; nsque corrigen-
ım omni mansuetú-
& caritáte, cùm pû-
mnes, tùm privátìm
los admonendo dili-
ım adhibeant. Si qui
ntióne discordes fue-
el ódia in se vicissìm
erint, aut simultátes
ıerint, curent eos
primùm ad pacem &
nam concórdiam re-

FERIA QUARTA.

De libro primo Esdræ.

Lectio j. Cap. 9.

POstquàm hæc compléta sunt, accessérunt ad me (Esdram) príncipes, dicentes: Non est separatus pópulus Israel, sacerdótes & levítæ, à pópulis terrárum & abominatiónibus eórum, ... & commiscuérunt semen sanctum cum pópulis terrárum: manus étiam príncipum & magistrátuum fuit in transgressióne hac prima. Cúmque audíssem sermónem istum, scidi pállium meum & túnicam, & evelli capillos cápitis mei & barbæ, & sedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Israel, pro transgressióne eórum qui de captivitáte vénerant, & ego sedébam tristis usque ad sacrifícium vespertínum: & in sacrifício vespertíno surrexi de afflictióne mea, &, scisso pállio & túnicâ, curvávi génua mea, & expandi manus meas ad Dóminum Deum meum, & dixi: Deus meus, confúndor & erubésco leváre fáciem meam ad te: quóniam iniquitátes nostræ multiplicátæ sunt super caput nostrum, & delícta nostra crevérunt usque ad cœlum.

℟. Esdras, *pag.* 175.

Lectio ij. Cap. 10.

SIc ergo, orante Esdrâ, & implorante eo & flente, & jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virórum, & mulíerum & puerórum; & flevit pópulus fletu multo. Et respondit Sechénias filius Jéhiel de fíliis Ælam, & dixit Esdræ: Nos prævaricáti sumus in Deum nostrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: & nunc, si est pœniténtia in Israel super hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo nostro, ut projiciámus universas uxóres, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præceptum Dómini Dei nostri: secundùm legem fiat. Surge; tuum est decérnere, nósque érimus tecum: confortáre, & fac.

℟. Manus, *pag.* 176.

Lectio iij.

ET surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos transgressi estis, & duxistis uxóres alienígenas, ut adderétis super delictum Israel. Et nunc date confessiónem Dómino Deo patrum vestrórum, & fácite plácitum ejus; & separámini à pópulis terræ, & ab uxóribus alienígenis. Et respondit universa multitúdo, dixítque voce magnâ: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.

℟. Vos transgressi, *pag.* 176.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 5. *de Reform. cap.* 2.

QUicumque Parochiáles, vel álias curam animárum habentes Ecclésias quocumque modo óbtinent, per se vel álios idóneos, si legítimè impedíti fúerint, diébus saltem Domínicis & Festis solémnibus, plebes sibi commissas pro sua & eárum capacitáte pascant salutáribus verbis; docendo quæ scire ómnibus necessárium est ad salútem, annuntiandóque eis cum brevitáte & facilitáte sermónis, vítia quæ eos declináre, & virtútes quas sectári opórteat.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Nehemíæ, qui & Esdræ secundus dícitur.

Lectio j. Cap. 1.

VErba Nehemíæ filii Helchíæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigésimo: & ego eram in Susis castro; & venit Hánani unus de frátribus meis, ipse & viri ex Juda: & interrogávi eos de Judæis qui remánserant, & superérant de captivitáte, & Jerúsalem. Et dixérunt

: Qui remansérunt,
ióti sunt de captivitá-
in provincia, in affli-
e magna sunt & in
obrio: & murus Je-
em dissipátus est, &
: ejus combustæ sunt
Cùmque audissem ver-
ujusmodi, sedi, &
, & luxi diébus mul-
jejunábam, & orábam
faciem Dei cœli.
Congregátus, p. 177.
ctio ij. Cap. 1. & 2.
io eram pincerna re-
is. Factum est autem
ense Nisan, anno vi-
o Artaxerxis regis:
num erat ante eum,
ávi vinum, & dedi
& eram quasi lán-
us ante fáciem ejus.
que mihi rex: Quare
s tuus tristis est, cùm
grótum non vídeam?
est hoc frustrà, sed
m néscio quod in cor-
o est. Et tímui valdè
imis, & dixi regi:
, in æternum vive:
: non mœreat vultus
; quia cívitas domûs
crorum patris mei
ta est, & portæ ejus
ustæ sunt igni? Et ait
rex: Pro qua re pó-
s? Et orávi Deum cœ-
: dixi ad regem: Si
ur regi bonum, & si
t servus tuus ante fá-
tuam, ut mittas me in
m, ad civitátem se-
púlcri patris mei, & ædi-
ficábo eam. Dixítque mihi
rex, & regína quæ sedébat
juxta eum: Usque ad quod
tempus erit iter tuum; &
quando revertéris? Et plá-
cuit ante vultum regis, &
misit me: & constítui ei
tempus.

℟. Dies, *pag.* 178.

Lectio iij.

ET veni Jerúsalem, & eram ibi tribus diébus, & surrexi nocte ego & viri pauci mecum, ... & considerábam murum Jerúsalem dissipátum, & portas ejus consumptas igni; ... & rédii. Magistrátus autem nesciébant quò abiissem, aut quid ego fácerem: sed & Judæis & sacerdótibus, & optimátibus & magistrátibus, & réliquis qui faciébant opus, usque ad id loci nihil indicáveram. Et dixi eis: Vos nostis afflictiónem in qua sumus; quia Jerúsalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igni: veníte, & ædificémus muros Jerúsalem; & non simus ultrà oppróbrium. Et indicávi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis quæ locútus esset mihi, & áio: Surgámus, & ædificémus. Et confortátæ sunt manus eórum in bono.

℟. Memento, *pag.* 178.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 26.

ILle cui dispensátio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen pérditè viventes argúere aut erubescat, aut métuat, cum ómnibus qui, eo tacente, períerint, perit. Et quid ei próderit non puníri suo, qui puniendus est aliéno peccáto?

FERIA SEXTA.

De libro Nehemíæ.

Lectio j. Cap. 4.

FActum est autem, cùm audísset Sanabállat quòd ædificarémus murum, irátus est valdè: & motus nimìs subsannávit Judæos. Et dixit coram frátribus suis, & frequéntiâ Samaritanórum: Quid Judæi fáciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificábunt, & complébunt in una die? Numquid ædificáre póterunt lápides de acervis púlveris qui combusti sunt? Sed & Tobías Ammanítes próximus ejus ait: Ædíficent: si ascénderit vulpes, transíliet murum eórum lapídeum. Audi, Deus noster, quia facti sumus despéctui: convérte oppróbrium super caput eórum, & da eos in despectiónem in terra captivitátis.... Itaque ædificávimus murum, & conjúnximus totum usque ad partem dimídiam: & provocátum est cor pópuli ad operandum.

℟. Esdras, *pag.* 175.

Lectio ij.

FActum est autem, cùm audísset Sanabállat & Tobías, & Arabes, & Ammanítæ, & Azótii, quòd obducta esset cicátrix muri Jerúsalem, & quòd cœpissent interrupta conclúdi, iráti sunt nimìs. Et congregáti sunt omnes páriter, ut venírent, & pugnárent contra Jerúsalem, & molirentur insídias. Et orávimus Deum nostrum; & posúimus custódes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas: Debilitáta est fortitúdo portantis, & humus nímia est, & nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hostes nostri: Nésciant & ignórent, donec veniámus in médium eórũ, & interficiámus eos, & cessáre faciámus opus.

℟. Manus, *pag.* 176.

Lectio iij.

ET perspexi atque surrexi. Et áio ad optimátes & magistrátus, & ad réliquam partem vulgi: Nolíte timére à fácie eórum. Dómini magni & terríbilis mementóte, & pugnáte pro frátribus vestris, filiis ve-

ftris, & filiábus vestris, & uxóribus vestris, & dómibus vestris. Factum est autem, cùm audissent inimíci nostri nuntiátum esse nobis, dissipávit Deus consílium eórum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. Et factum est: à die illa média pars júvenum eórum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum; & lánceæ, & scuta, & arcus, & lorícæ, & príncipes post eos in omni domo Juda: ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntium; unâ manu suâ faciébat opus, & álterâ tenébat gládium: ædificántium enim unusquisque gládio erat accinctus renes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me.

℟. Vos, *pag.* 356.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 94.

NOn confundant ópera sermónem tuum, ne cùm in Ecclésia lóqueris, tácitus quílibet respóndeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicátus magister est qui pleno ventre de jejúniis dísputat: accusáre avarítiam & latro potest? *Sacerdótis Christi os, mens manúsque concordent.* ....

SABBATO.

De libro Nehemíæ.

Lectio j. Cap. 5.

FActus est clamor pópuli & uxórum ejus magnus advérsùs fratres suós Judæos: & erant qui dícerent: Fílii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiámus pro prétio eórum frumentum, & comedámus & vivámus.... Dixíque ad eos: Non est bona res quam fácitis: quare non in timóre Dei nostri ambulátis, ne exprobrétur nobis à géntibus inimícis nostris? Et ego, & fratres mei, & púeri mei commendávimus plúrimis pecúniam & frumentum: non repetámus in commúne istud; æs aliénum concedámus quod debétur nobis. Réddite eis hódie agros suos, & víneas suas, & olivéta sua, & domos suas: quin pótiùs & centésimam pecúniæ, frumenti, vini & ólei, quam exígere solétis ab eis, date pro illis. Et dixérunt: Reddémus, & ab eis nihil quærémus: sicque faciémus ut lóqueris.

[*Si fiat de Sabb.* ℟℟. *sumuntur è II. Noct. Dom. præc. & sic in aliis Sabb.*]

Lectio ij. Cap. 8.

ET vénerat mensis séptimus: fílii autem Israel erant in civitátibus suis. Congregatúsque est omnis

pópulus quasi vir unus ad platéam quæ est ante portam Aquárum, & dixérunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Móysi quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apertè in platéa quæ erat ante portam Aquárum, de manè usque ad médiam diem, in conspectu virórum & mulíerum & sapiéntium: & aures omnis pópuli erant erectæ ad librum..... Et benedixit Esdras Dómino Deo magno: & respondit omnis pópulus: Amen, amen; élevans manus suas. Et incurváti sunt, & adoravérunt Deum proni in terram.

Lectio iij. Cap. 13.

IN diébus illis, vidi Judæos ducentes uxóres Azótidas, Ammonítidas, & Moabítidas. Et fílii eórum ex média parte loquebantur Azóticè, & nesciébant loqui Judáicè, & loquebantur juxta linguam pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledixi..... dicens: Numquid non in hujuscémodi re peccávit Sálomon rex Israel? & certè in géntibus multis non erat rex símilis ei: & diléctus Deo suo erat, & pósuit eum Deus regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. Numquid & nos inobedientes faciémus omne malum grande hoc? ut prævaricémur in Deo nostro, & ducámus uxóres peregrínas? De fíliis autem Joíada fílii Elíasib sacerdótis magni, gener erat Sanaballat Horonítes quem fugávi à me. Recordáre, Dómine Deus meus, adversùm eos qui pólluunt sacerdótium jusque sacerdotále & levíticum. Igitur mundávi eos ab ómnibus alienígenis, & constítui órdines sacerdótum, & levitárum, unumquemque in ministério suo: & in oblatióne lignórum in tempóribus constitútis, & in primitívis: meménto meî, Deus meus, in bonum: amen.

CANON.

Ex Concílio Aquensi. *Ann.* 1585. *tit. de Parochis.*

DOmínicis diébus Paróchus non solùm Festos dies pópulo denúntiet, sed étiam illum sæpè dóceat, quæ officia tùm in illis, tùm in eórum Vigíliis colendis, ab eo religiósè præstári opórteat: eumdem dóceat, christiánum hóminem non decére opus ali-

quod antè suscípere aggredive, quàm Dei auxílium religiósis précibus implóret; dicit enim Dóminus: Sine me nihil potestis fácere.

Ad Magníf. *Ant.* 6. *C.* Antíochus jussit coinquinári Sancta, & sanctum pópulum Israel: & multi de pópulo Isráel noluérunt infríngere legem Dei sanctam, & trucidáti sunt. *I. Mach.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XIII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt libri Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. *Cap.* 1.

ET factum est, postquàm percussit Alexander Philippi Mácedo, qui primus regnávit in Græcia, egressus de terra Cethim, Daríum regem Persárum & Medórum; constítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ, & pertránsiit usque ad fines terræ, & accépit spólia multitúdinis géntium: & síluit terra in conspectu ejus. Et congregávit virtútem & exércitum fortem nimis; & exaltátum est, & eleváturn cor ejus: & obtínuit regiónes géntium, & tyrannos; & facti sunt illi in tribútum.

℟. Postquàm percussit Alexander Daríum regem, * Pertránsiit usque ad fines terræ: síluit terra in conspectu ejus: & post hæc décidit in lectum, & cognóvit quia moreretúr. ℣. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? * Pertránsiit. *I. Mach.* 1. *Matth.* 16.

Lectio ij.

ET post hæc décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles qui secum erant nutríti à juventúte; & divísit illis regnum suum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexander annis duódecim, & mórtuus est. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquisque in loco suo: & imposuérunt omnes sibi diadémata post mortem ejus, & fílii eórum post eos annis multis, & multiplicáta sunt mala in terra.

℟. Cóntigit septem fratres cum matre compelli à rege Antiocho édere contra fas carnes pórcinas, flagris & táureis cruciátos. Primus sic ait: * Paráti sumus mori, magis quam pátrias Dei leges prævaricári. ℣. Neque mors, neque vita, neque principátus, neque instántia, neque creatúra ália póterit nos separáre à cari

táte Dei. * Paráti sumus. *II. Machab. 7. Rom. 8.*

Lectio iij.

ET éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus Illustris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obses: & regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Græcórum. In diébus illis exiérunt ex Israel filii iníqui, & suasérunt multis dicentes: Eámus & disponámus testamentum cum géntibus quæ circa nos sunt; quia ex quo recéssimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in óculis eórum: & destinavérunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad regem: & dedit illis potestátem ut fácerent justítiam géntium. Et ædificavérunt gymnásium in Jerosólymis secundùm leges natiónum: & fecérunt sibi præpútia, & recessérunt à testamento sancto & juncti sunt natiónibus, & venúmdati sunt ut fácerent malum.

℟. In sartágine cùm primus diù cruciarétur, cèteri fratres unà cum matre ínvicem se hortabantur mori fórtiter, dicentes: * Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. ℣. *Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen.* * Dóminus. Glória. * Dóminus. *II. Mach. 7. Hebr. 12.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv. Orat. 22.

QUinam Machabæi fúerint, quâque primùm ex institutióne atque doctrínâ in tantam virtútis frugem gloriámque pervénerint, perspícuè liber ille declárat, qui ratiónem ánimi perturbatiónibus imperáre docet, in ejúsque arbítrio esse, ut in utramvis partem, hoc est, vel ad virtútem, vel ad vítium propendeámus. Nam libri illíus auctor, cùm pléraque ália testimónia, tum horum quoque dimicatiónes in hujus argumenti confirmatiónem áttulit. Mihi verò hæc tantùm commemoráre sufficiet. Eleázarus primítiæ eórum qui ante Christum passi sunt, quemádmodùm post Christum Stéphanus, sacerdos & senex, canus capillis, canus & prudéntiâ, priùs quidem pro pópulo sacrificábat & orábat. Tandem autem & semetipsum hóstiam óbtulit Deo perfectíssimam, ac totíus pópuli expiatrícem, faustum certáminis inítium, ad quod loquens páriter ac tacens cohortabátur. Obtulit autem & fílios septem, suæ

; disciplínæ, hóstiam
:em, sanctam, Deo
item, omni legáli
cio splendidiórem &
em: quæ sunt enim
m, ad patrem re-
æquíssimum ac justís-
i est.

Supra modum mater
ilis síngulos hortabá-
oce pátriâ: * Mundi
or & spíritum vobis
a cum misericórdia
: & vitam, sicut nunc
etipsos despícitis pro-
eges ejus. ℣. Nolíte
e eos qui occídunt
s, ánimam autem non
nt occídere. * Mundi.
Mach. 7. *Matth.* 10.

Lectio v.

fortes & magnánimi
i, generósæ matris ge-
a sóboles, gloriósi ve-
; propugnatóres, An-
i tempóribus excelsió-
veri Mosáicæ legis di-
.i, paternórum rítuum
vantíssimi; númerus
Hebræos laudábilis,
opter septenáriæ quié-
ystérium venerábilis,
i spirábant, unum se-
ntur, unum illud ad
i iter agnoscébant,
ortem Dei causâ suscí-
t. Non minùs ánimis
s, quàm corpóribus,
se mútuæ mortis æmu-
rem admirándam!
ota quasi thesauros
entes, pro magistra

lege perícula subeuntes, illáta non magìs formidábant, quàm quæ supérerant requirébant; unum illud veriti ne tyrannus à pœnis desísteret, ne quis ipsórum sine corónæ præmio discéderet, ne invíti fratres álii ab álio sejungerentur, & ne in eo discrímine, cruciátibus erepti, malâ victóriâ superárent.

℟. Fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: * Tu judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exolves; in me verò & in frátribus meis désinet Omnipoténtis ira. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ æternum glóriæ pondus operátur in nobis. * Tu judício Dei. *II. Mach.* 7. *II. Cor.* 4.

Lectio vj.

Erat ibi fortis & generósa mater, puerórum simul ac Dei amans, cujus materna víscera supra natúræ consuetúdinem dilaniabantur. Non enim filiórum qui in tormentis erant, miserebátur, sed timóre angebátur, ne non ea suscíperent; neque magìs eos qui è vita migráverant desiderábat, quàm precabátur ut réliqui cum illis conjungerentur; de quibus fíliis, magìs quàm de mórtuis erat sollícita. Horum enim

dúbium erat certámen, at illórum secúrus vitæ éxitus. Atque illos quidem jam Deo adjúnxerat; de his verò quómodò Deus eos suscíperet, laborábat. O virílem ánimum in córpore muliebri! ô admirábile magni ánimi incrementum!

℟. Rex accensus irâ in adolescentiórem super omnes crudéliùs desævit, indignè sciens se derísum. * Novíssimè autem post filios & mater consumpta est. ℣. Distenti sunt, non suscipientes redemptióne͂, ut meliórem invenírent resurrectiónem. * Novíssimè. Glória. * Novíssimè. *II. Mach.* 7. *Hebr.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 17.

IN illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam & Galilæam: & cùm ingrederétur quoddam castellum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 27. *de Divers.*

NOnne decem mundáti sunt? & novem ubi sunt? Meministis, credo, verba Salvatóris hæc esse, novem illórum ingratitúdinem arguentis. Benè síquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui levavérunt vocem dicentes: Jesu, fili David, miserére nobis. Sed défuit eis quarta quam adjécit Apóstolus, gratiárum áctio; quóniam non rediérunt, nec egérunt grátias Deo. Multos quoque vidémus usque hódie satis importúnè petentes, quod sibi deesse cognóverint; sed paucos ádmodùm nóvimus, qui dignas super acceptis beneficiis gratias ágere videantur. Nec reprehensíbile est quod instanter pétimus; sed planè petitióni negat effectum, quòd invenímur ingráti. Et fortè hoc étiam cleméntiæ esse vidétur, ingrátis negáre quod póstulant: ne contingat nobis, ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis benefíciis ingráti probábimur extitisse.

℟. Dum irent leprósi, mundáti sunt: * Unus autem regressus est, cum magna voce magníficans Deum, & cécidit in fáciem ante pedes Jesu grátias agens; & hic erat Samaritánus. ℣. Obliti sunt benefactórum Dei, & mirabílium ejus. * Unus autem. *Luc.* 17. *Ps.* 77.

Lectio

ectio viij. §. 8.
ix Samaritánus ille,
i cognóvit se nihil
e quod non accepis-
idcircò servávit de-
m, & cum gratiá-
ctióne ad Dóminum
versus. Felix, qui ad
a dona grátiæ redit
n in quo est pleni-
ómnium gratiárum;
lum nos pro acceptis
ingrátos exhibémus,
t in nobis fácimus
e, ut majóra ad...
ere mereámur. Om-
enim sola nos à pro-
conversatiónis ím-
ingratitúdo nostra,
quodámmodò amis-
réputans dator quod
ius accépit, cavet
e cétero, ne tantò
amítteret, quantò
conferret ingráto.
proindè, qui se alie-
am réputans, étiam
ínimis quibusque be-
is non mínimas re-
rates, gratúitum esse
úbitans, neque difsí-
is, quod aliéno im-
tur & ignóto.
Omne quodcumque
s in verbo aut in ópe-
Omnia in nómine
ni Jesu Christi, grá-
gentes Deo & Patri
ipsum. ℣. Benedicen-
Dóminum, exaltáte
quantùm potestis.
ia. Glória. * Om-
Autumnalis.
nia. *Coloss.* 3. *Eccli.* 43.

Lectio ix. Post pauca.

OBsecro ítaque, fratres mei, humiliémur magìs ac magìs sub potenti manu Dei, & ab hoc tam máximo, tam nequíssimo vítio ingratitúdinis longè fíeri studeámus; ut totâ devotióne in gratiárum actióne versantes, conciliémus nobis grátiam Dei nostri quæ sola potest salváre ánimas nostras. Nec verbo tantùm, vel linguâ, sed ópere & veritáte exhibeámus nos gratos; quia gratiárum actiónem magis quàm dictiónem à nobis éxigit dator gratiárum Dóminus Deus noster, qui est benedictus in sécula.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Jesus dixit: Nonne decem mundáti sunt? & novem ubi sunt? Non est inventus qui redíret & daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. *Luc.* 17.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis fidei, spei & caritátis augmentum; &, ut mereámur ássequi quod promittis, fac nos amáre quod præcipis; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Turonensi.
Ann. 1583. *tit.* 11.

CUm juxta divi Pauli præceptum, qui Chr...

sti sunt, sobrietátem semper sectári débeant; diébus Domínicis præsertìm & áliis Festis, commessatiónes, convívia pública, tripúdia, saltatiónes, strépitus, & choréas fieri; venátu & aucupátu tempus térere; in hospítiis seu caupónis, áliis quàm peregrínis cibária & vinum ministrári; ludos palmários & álios, máximè dum Sacra conficiuntur, laudésque Deo decantantur aperíri; comœdias, ludos scénicos, vel theatráles, & ália ejus géneris irreligiósa spectácula agi, sub anathématis pœna próhibet hæc Synodus.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Ait Samaritáno Jesus: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit. *Luc.* 17.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.
Lectio j. Libr. 2. *Cap.* 3.

CUm sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè custodirentur, propter Oníæ Pontíficis pietátem, & ánimos ódio habentes mala, fiébat ut & ipsi reges & príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, & templum máximis munéribus illustrárent: ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinentes. Simon autem de tribu Bénjamin, præpósitus templi constitútus, contendébat, obsistente sibi príncipe sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri,

℟. Postquàm, *p.* 189.

Lectio ij.

SEd cùm víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesyriæ & Phœnícis; & nuntiávit ei pecúniis innumerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, & communes cópias immensas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum: esse autem possíbile sub potestáte regis cádere universa. Cúmque retulisset ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis ut prædictam pecúniam transportáret. Statímque Heliodórus iter est aggressus, spécie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnícem civitátes esset peragratúrus, revérà autem regis propósitum perfectúrus.

℟. Cóntigit septem fratres, pag. 189.

Lectio iij.

SEd, cùm venisset Jerosólymam, & benignè à summo sacerdóte in civitáte esset exceptus, narrávit de dato indício pecuniárum; & cujus rei grátiâ adesset, apéruit: interrogábat autem, si verè hæc ita essent. Tunc summus sacerdos ostendit depósita esse hæc, & victuália viduárum & pupillórum: quædam verò esse Hircáni Tobíæ, viri valdè eminentis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta: décipi verò eos qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honorátur pro suî veneratióne & sanctitáte, omnínò impossíbile esse. At ille pro his quæ habébat in mandátis à rege, dicébat omni génere regi ea esse deferenda.

℟. In sartágine cùm primus, *pag.* 190.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi,

Ann. 816 *libr.* 1. *cap.* 9.

SAcerdótis sermo debet esse purus, simplex & apertus, plenus gravitáte & honestáte, plenus suavitáte & grátiâ, *tractans de mystério legis, de doctrína fidei, de virtúte con*tinéntiæ, de disciplína justítiæ; unumquemque diversâ ádmonens exhortatióne, juxta professiónem morúmque qualitátem, vidélicet ut pernoscat quid, cui, quandò vel quómodò próferat.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. *Cap.* 3.

HEliodórus quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed Spíritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam, ita ut omnes qui ausi fúerant parére ei, ruentes Dei virtúte, in dissolutiónem & formídinem converterentur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessórem, óptimis operimentis adornátus: ísque cum ímpetu * Heliodóro prióres calces elísit: qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, speciosíque amíctu: qui circumsteterunt eum, & ex utráque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberantes.

℟. Supra modum, *pag.* 191.

Lectio ij.

SUbitò autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multâ calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is qui cum multis cursóribus & satellítibus prædictum ingressus est ærárium, portabátur, nullo sibi auxílium ferente, manifestâ Dei cógnitâ virtúte: & ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni spe & salúte privátus. Hi autem Dóminum benedicébant, quia magnificábat locum suum: & templum quod paulò antè timóre ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Dómino, gáudio & lætítiâ implétum est. Tunc verò ex amícis Heliodóri quidam rogábant conféstim Oníam, ut invocáret Altíssimum, ut vitam donáret ei qui in suprémo spíritu erat constitútus.

℟. Fratres mei, *p.* 191.

Lectio iij.

COnsíderâs autem summus sacerdos, ne fortè rex suspicarétur malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. *Cúmque summus sacerdos exoráret, iidem júvenes eisdem véstibus amicti,* astantes Heliodóro runt: Oníæ sacerdó tias age: nam propt Dóminus tibi vitam vit: tu autem à D gellátus, núntia ó magnália Dei & p tem: & his dictis comparuérunt. Heli autem, hóstiâ Deo tâ, & votis magni missis ei qui víverei cessit, & Oníæ grá gens, recepto exérci pedábat ad regem. bátur autem ómnil quæ sub óculis suis ópera magni Dei. C tem rex interrogass liodórum, quis esse adhuc semel Jerosól mitti, ait: Si quem hostem, aut regni t diatórem, mitte ill flagellátum eum re si tamen eváserit: e in loco sit verè De dam virtus. Nam i habet in cœlis hab nem, visitátor & adj loci illius, & venie malefaciendum pér perdit.

℟. Rex accensus,

CANON

Ex Statútis Synod Diœcésis Noviom *Ann.* 1673. *sub Fran Claromonte.*

QUóniam Epi rum est præd míttere, Párochi

sacram ad pópulum oratiónem habére permittent némini, nisi licéntiam à nobis scripto testátam exhíbeat. Prædicatóres autem audiéntium cáptui sic se accommodábunt, ut veritátes Evangélicas rúdibus líquidè expónant, vitiórum ódium inspírent, & amórem Christianárum virtútum, non inutílibus doctrínæ curiósæ quæstiónibus, sed sólidæ pietátis affectu. Docébunt pópulos fídei mystéria, Dei mandáta, necessitátem dignos pœniténtiæ fructus faciendi, quátuor hóminis novíssima, offícia & peccáta eórum conditiónis, dignitátem Sacramentórum, rationémque Deum sanctè precandi.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. Cap. 1.

PArátum est regnum in conspectu Antíochi, & cœpit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus & elephantis, & equítibus, & copiósâ návium multitúdine: & constítuit bellum adversùs Ptolemæum regem Ægypti; & véritus est Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehendit civitátes munítas in terra Ægypti: & accépit spólia terræ Ægypti: & convertit Antíochus, postquàm percussit Ægyptum in centésimo & quadragésimo tértio anno: & ascendit ad Israel, & ascendit Jerosólymam in multitúdine gravi.

℟. Postquàm, *p.* 189.

Lectio ij.

ET intrávit in Sanctificatiónem cum supérbia, & accépit altáre áureum, & candelábrum lúminis & universa vasa ejus, & mensam propositiónis & libatória, & phíalas & mortaríola áurea, & velum, & corónas, & ornamentum áureum quod in fácie templi erat: & comminuit ómnia. Et accépit argentum & aurum, & vasa concupiscibília: & accépit thesáuros occultos quos invénit; & sublátis ómnibus, ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locútus est in supérbia magna: & factus est planctus magnus in Israel, & in omni loco eórum.... Et commóta est terra super habitantes in ea, & univérsa domus Jacob índuit confusiónem.

℟. Cóntigit, *pag.* 189.

Lectio iij.

MIsit rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem, & in omnes civ-

tátes Juda, ut sequerentur leges géntium terræ; & prohibérent holocausta, & sacrifícia, & placatiónes fieri in templo Dei; & prohibérent celebrári Sábbatum & dies solemnes. Et jussit coinquinári sancta & sanctum pópulum Israel: & jussit ædificári aras, & templa, & idóla, & immolári carnes suillas & pécora commúnia, & relínquere fílios suos incircumcísos, & coinquinári ánimas eórum in ómnibus immundis & abominatiónibus, ita ut oblivisceréntur legem, & immutárent omnes justificatiónes Dei: & quicumque non fecissent secundùm verbum regis Antíochi, moreréntur. Secundùm ómnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præpósuit príncipes pópulo qui hæc fíeri cógerent. Et jussérunt civitátibus Juda sacrificáre.

℟. In sartágine, *p.* 190.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 106.

Sive profíciant, sive non profíciant auditóres, tacére eis non debent Sacerdótes: nec ídeò rei *sunt, si fortè* eórum ver*ba pópuli* non áudiunt, *vel audíta* contemnunt; *sed si ab eis corrigendis ab*sistunt: quia si nec exemplo vitæ præpositórum suórum, nec verbo doctrínæ pópuli contumáces emendáti profíciunt, ipsi sibi causa suæ perditiónis existunt.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. *Cap.* 6.

Eleázarus unus de primóribus scribárum, vir ætáte provectus & vultu decórus, aperto ore hians compellebátur carnem pórcinam manducáre: at ille gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compleetens, voluntáriè præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodùm oportéret accédere, patienter sústinens destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníquâ miseratióne commóti propter antíquam viri amicítiam, tollentes eum secrétò rogábant afferri carnes quibus vesci ei licébat; ut simularétur manducasse sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus; ut, hoc facto, à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Supra modum, pag. 191.

Lectio ij.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secundùm sanctæ & à Deo cónditæ legis constitúta, respondit citò dicens: Præmitti se velle in infernum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescéntium arbitrantes Eleázarum nonaginta annórum transisse ad vitam alienigenárum, & ipsi propter meam simulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc máculam atque execratiónem meæ senectúti conquíram. Nam etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effúgiam. Quamobrem fórtiter vitâ excedendo, senectúte quidem dignus apparébo: adolescéntibus autem exemplum forte relinquam, si prompto ánimo, ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. His dictis, confestìm ad supplícium trahebátur.

℟. *Fratres mei, pag. 191.*

Lectio iij.

HI autem qui eum ducébant, & pauló antè fúerant mitióres, in iram conversi sunt propter sermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabantur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit & dixit: Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres: secundùm ánimam verò propter timórem tuum libenter hæc pátior. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit, non solùm juvénibus, sed & universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelinquens.

℟. Rex accensus, *p.* 192.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. *part.* 6. *c.* 13.

INter concionandum à scómmatis, maledictis, ac convíciis omninò abstinendum est. Prædicétur purè ac sincérè Dei verbum, juxta Ecclesiásticam traditiónem, & Patrum ab Ecclésia cathólica approbatórum interpretatiónem. Erit quoque Párochus in reprehendendis crimínibus vehemens atque acer: constitútus est enim, ut annúntiet

pópulo scélera eórum ; sic tamen, ut in suggesto vítia tantùm reprehendat, non persónas nominátìm perstringat.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. Cap. 7.

Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos, compelli à rege édere contra fas carnes pórcinas, flagris & táureis cruciátos. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait : Quid quæris ? & quid vis díscere à nobis ? paráti sumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex jussit sartágines & ollas æneas succendi : quibus statìm succensis, jussit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam : & cute cápitis abstractâ, summas quoque manus & pedes ei præscindi, céteris ejus frátribus & matre inspiciéntibus. Et cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, & adhuc spirantem torréri in sartágine, in qua cùm diù cruciarétur, céteri unà cum matre ínvicem se hortabantur mori fórtiter dicentes : Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis, quemádmodùm in protestatióne cántici declarávit Móyses : Et in servis suis consolábitur. Mórtuo ítaque illo primo hoc modo, sequentem deducébant ad illudendum : &, cute cápitis ejus cum capillis abstractâ, interrogábant si manducáret priùs quàm toto córpore per membra síngula punirétur. At ille respondens, pátriâ voce dixit : Non fáciam. Propter quod & iste sequenti loco primi tormenta suscépit : & in último spíritu constitútus sic ait : Tu quidem scelestíssime, in præsenti vita nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit.

℟. Postquàm percussit, *pag.* 189.

Lectio ij.

Post hunc tértius illúditur, & linguam postulátus citò prótulit, & manus constanter extendit, & cum fidúcia ait : E cœlo ista possídeo ; sed, propter Dei leges, nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero : ita ut rex & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis ánimum, quòd tanquàm níhilum dúceret cruciátus. Et hoc ita defuncto, quartum vexábant simíliter torquentes. Et cùm jam esset ad mortem, sic ait : Pótius

est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos : tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovissent quintum, vexábant eum. At ille respíciens in eum dixit : Potestátem inter hómines habens, cùm sis corruptíbilis, facis quod vis : noli autem putáre genus nostrum à Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & vidébis magnam potestátem ipsius, quáliter te & semen tuum torquébit. Post hunc ducébant sextum, & is mori incípiens sic ait : Noli frustrà erráre ; nos enim propter nosmetipsos hæc pátimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratióne facta sunt in nobis : tu autem ne exístimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℟. Cóntigit, *pag.* 189.

Lectio iij.

SUpra modum autem mater mirábilis, & bonórum memóriâ digna, quæ pereuntes septem fílios sub unius diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat ; síngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta sapiéntiâ, & femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens dixit ad eos : Néscio quáliter in útero meo apparuistis : neque enim ego spíritum & ánimam donávi vobis & vitam, & singulórum membra non ego ipsa compégi : sed enim mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, & spíritum vobis íterùm cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus.

℟. In sartágine, *p.* 190.

CANON.

Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Noviomensis.

Ann. 1673. *sub Francisco de Claromonte.*

DIvíni verbi prædicátio tam própria Pastórum est, ut, quemádmodùm monet Apóstolus, non tam glóriæ sit evangelizáre, quàm dedécori non evangelizáre : ídeò juxta mentem Ecclésiæ testátam in Capituláribus Cároli Magni, & Concíliis Matisconensi, Aquisgranensi, Tridentino & Remensi último, præcípimus ómnibus Curátis & Vicáriis, ut, síngulis Domínicis, inter Missæ solémnia, piam exhortatiónem ad pópulum saltem per médiam horam hábeant, & catechésim int

Vésperas & Completórium; alióquin esto in eos Promotóris nostri áctio.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. Cap. 7.

ANtíochus autem contemni se arbitrátus, simul & exprobrantis voce despectâ, cùm adhuc adolescéntior superesset, non solùm verbis hortabátur, sed & cum juramento affirmábat se dívitem & beátum factúrum, & translátum à pátriis légibus amícum habitúrum, & res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cùm adolescens nequáquàm inclinarétur, vocávit rex matrem, & suadébat ei ut adolescenti fieret in salútem. Cùm autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se fílio suo.

Lectio ij.

ITaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyrannum, ait pátriâ voce: Fili mi, miserére meî, quæ te in útero novem ménsibus portávi, & lac triénnio dedi, & álui, & in ætátem istam perduxi. Peto, nate, ut aspícias ad cælum & terram, & ad ómnia quæ in eis sunt; & intélligas quia ex níhilo fecit illa Deus & hóminum genus: ità fiet ut non tímeas carníficem istum, sed dignus frátribus tuis effectus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam.

Lectio iij.

CUm hæc illa adhuc díceret, ait adolescens: Quem sustinétis? non obédio præcepto regis, sed præcepto legis quæ data est nobis per Móysen. Tu verò, qui inventor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur. Et si nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noster módicum irátus est: sed íterùm reconciliábitur servis suis. Tu autem, ô sceleste, & ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustrà extolli vanis spebus in servos ejus inflammátus. Nondum enim omnipoténtis Dei, & ómnia inspicientis, judícium effugisti. Nam, fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt: tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exolves. Ego autem, sicut & fratres mei ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus: invocans Deum matúriùs genti no-

propítium fíeri, té-
um tormentis & ver-
is confitéri quòd ipse
eus solus. In me ve-
& in frátribus meis
et Omnipotentis ira,
uper omne genus no-
. justè superducta est.
rex accensus irâ, in
super omnes crudé-
lesævit, indignè fe-
e derísum. Et hic íta-
mundus óbiit, per
a in Dómino confi-
Novíssimè autem
filios & mater con-
ta est.

C A N O N.

Concílio Mexicáno.

. 1585. *de Doctrina
isti, Libr.* 1. *Sess.* 5.

Gráti procúrent ut
cholæ instituantur,
ieri légere & scríbere
nt; Christiánæ doctrí-
ocumenta accípiant;
nim máximè convé-
est ad Christiánam
rílem eórum institu-
m.

l Magníf. *Ant.* 8. g.
n Mathathíæ fílius,
itres ejus dedérunt se
ulo, & restitérunt ad-
riis gentis suæ; ut sta-
ancta ipsórum & lex:
óriâ magnâ glorifi-
unt gentem suam. *I.
ab.* 14.

io infrà ad Laudes.

DOMINICA XIV.
post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Ex libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. *Cap.* 2.

In diébus illis surrexit Mathathías fílius Joannis, fílii Simeónis, sacerdos ex fíliis Jóarib ab Jerúsalem, & consédit in monte Modin: & habébat fílios quinque; Joannem qui cognominabátur Gaddis, & Simónem qui cognominabátur Thasi, & Judam qui vocabátur Machabæus, & Eleázarum qui cognominabátur Abáron, & Jónathan qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala quæ fiébant in pópulo Juda, & in Jerúsalem: & dixit Mathathías: Væ mihi! Ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, & contritiónem civitátis sanctæ, & sedére illîc, cùm datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt: templum ejus sicut homo ignóbilis..... Quò ergo nobis adhuc vívere?

℟. Intrávit rex Antíochus in Sanctificatiónem cum supérbia; accépit altáre áureum, & univérsa vasa, & commínuit, & fecit cædem hóminum; * Et factus est planctus magnus in Israel. ℣. Datum est ill

bellum fácere cum sanctis, & vincere eos. * Et factus est. *I. Mach.* 1. *Apoc.* 13.

Lectio ij.

ET scidit vestimenta sua Mathathías, & filii ejus, & operuérunt se cilíciis, & planxérunt valdè. Et venérunt illuc qui missi erant à rege Antíocho, ut cógerent eos qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre & accéndere thura, & à lege Dei discédere. Et multi de pópulo Israel consentientes accessérunt ad eos: sed Mathathías & filii ejus constanter stetérunt. Et respondentes qui missi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ: Princeps, & claríssimus & magnus es in hac civitáte, & ornátus fíliis & frátribus. Ergo accéde prior, & fac jussum regis, sicut fecérunt omnes gentes & viri Juda, & qui remansérunt in Jerúsalem: & eris tu, & filii tui inter amícos regis, & amplificátus auro & argento & munéribus multis.

℟. Cœpit Antíochus ex gravi supérbia deductus ad agnitiónem suî veníre, & ita ait: Justum est súbditum esse Deo, & mortálem non pária Deo sentíre. * Orábat hic scelestus Dóminum à quo non esset misericórdiam consecutúrus; supervénerat enim in eum justum Dei judícium. ℣. Revelátur ira Dei super omnem impietátem & injustítiam. * Orábat. *II. Mach.* 9. *Rom.* 1.

Lectio iij.

ET respondit Mathathías, & dixit magnâ voce: Etsi omnes gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquisque à servitúte legis patrum suórum, & conséntiat mandátis ejus; ego & filii mei, & fratres mei obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei: non audiémus verba regis Antíochi, nec sacrificábimus, transgredientes legis nostræ mandáta, ut eámus álterâ viâ. Et, ut cessávit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secundùm jussum regis: & vidit Mathathías, & dóluit, & contremuérunt renes ejus, & accensus est furor ejus, secundùm judícium legis, & insiliens trucidávit eum super aram: sed & virum quem rex Antíochus míserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore, & aram destruxit.

℟. Surrexit Machabæus, & adjuvábant eum omnes

fratres ejus: & * Præliabantur prælium Israel cum lætítia; & repulsi sunt inimíci ejus, & directa est salus in manu ejus. ℣. Operáti sunt justítiam; fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum. * Præliabantur. Glória. * Præliabantur. *I. Mach.* 3. *Hebr.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Lectio iv. in Ps. 43. §. 1.

CUm invasisset Judæam Antíochus qui dictus est Epíphanes, & ómnia devastasset, & multos qui tunc erant, à pátriis institútis resilíre coëgisset, Machabæi ab his tentatiónibus permansérunt illæsi. Et, quóniam grave bellum ingruébat, nec quidquam póterant fácere quod prodesset, se abscondébant; nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper in média irruébant perícula; sed nonnunquàm fugientes & latentes cedébant. Postquàm autem parum respiravérunt, tanquàm generósi quidam leúnculi ex antris exilientes, & è látebris emergentes, statuérunt se non ampliùs solos serváre, sed álios quoscumque possent: *civitatémque & omnem regiónem obeuntes, collegérunt* quotquot invenérunt adhuc sanos & íntegros: & multos étiam qui laborábant, & corrupti erant, in statum prístinum redegérunt, eis persuadentes redíre ad legem pátriam.

℟. Dixit Judas: Ecce contríti sunt inimíci nostri: * Ascendámus nunc mundáre sancta & renováre. Et mundavérunt sancta, & fecérunt dedicatiónem altáris; & facta est lætítia in pópulo magna valdè. ℣. Foris homicídæ & idólis serviéntes, & omnis qui amat & facit mendácium. * Ascendámus. *I. Mach.* 4. *Apoc.* 22.

Lectio v.

DEum enim dicébant esse benignum & cleméntem, nec unquàm adímere salútem quæ profiscitur à pœniténtia. Hæc autem dicentes habuérunt deléctum virórum fórtium: non enim pro uxóribus, líberis & ancillis, patriæque eversióne & captivitáte, sed pro lege & pátria república pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & suas prodígerent ánimas, fundébant adversários, non armis fidentes, sed pro omni armatúra pugnæ causam sufficere ducentes. Ad bellum autem euntes, non

tragœdias excitábant, non pæána canébant, ficut nonnulli fáciunt : non afciscébant tibícines, ut fit in áliis caftris ; fed Dei supernè auxílium invocábant, ut adeffet, opem ferret, & manum præbéret is propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. Flevérunt Judam omnis pópulus Ifrael, & dixérunt : Quómodò cécidit potens qui falvum faciébat pópulum Ifrael! Et dixit ad fuos Jónathas : * Surgámus & pugnémus contra inimícos noftros. ℣. Simus fidentes in Deo, qui de tantis perículis nos erípuit ; in quem sperámus quóniam & adhuc erípiet. * Surgámus. *I. Machab. 9. II. Cor. 1.*

Lectio vj.

VIdeámus ergò quid hæc caftra Dei loquantur, quæ funt fpirituáli muníta auxílio, cùm funt hoftes aggrefsúra. Deus, áuribus noftris audívimus : quia enim nonnulli eórum qui cum ipfis ftabant in ácie, Antíochi multitúdinem, inftructam áciem, & victóriam videntes, eúmque ómnia primo ímpetu cepiffe ; própriam imbecillitátem & paucitátem confiderantes, mollióres erant & *imbecillióres.* Prophéta *qui hunc pfalmum non in fua, fed in* Machabæórum persóna dicit, eórum ánimos fpiritúfque éxcitans, & oftendens in Dei ductu ómnia effe pófita, & fine exércitu, fi is opem ferat ; poffe parári victóriam, inftar precatiónis compófitam fuafiónem & exhortatiónem effert ad commilitónes, & Deum álloquens, eos promptióres reddit & alacrióres. Qui tanquam hæc eis deeffent quæ jure afferre poffent, nec fidúciam ex fuis factis habérent, ad ea quæ Deus majóribus illórum fécerat, confúgiunt. Eos enim qui fidúciæ caufam non habent, hæc fácere non eft mirum, cùm eos ipfos trahat ad hoc necéffitas. Cùm autem illi qui quóniam rectè fecérunt, magnífice loqui poffunt, nolunt ex iis fervári, fed ex Dei benignitáte quâ in patres ufus eft ; hoc eft magnum argumentum eórum humilitátis : prompti autem & álacris ánimi fui non parvam hinc quoque caufam ftátuunt.

℟. Adhortans pópulum dixit Simon : Periérunt fratres mei omnes propter Ifrael. * Non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. † Vindicábo gentem meam & Sancta. ℣. Tribulatiónes me manent, fed nihil horum véreor.

nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me. * Non. Glória. † Vindicábo. *I. Mach.* 13. *Act.* 20.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget; aut unum sustinébit, & álterum contemnet. Non potestis Deo servíre & mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 113. *aliàs* 35. *de verbis Domini. cap.* 4.

MAmmóna iniquitátis divítiæ sunt séculi omnes, undecumque sint... Quid est, divítiæ sunt iniquitátis? pecúnia est, quam nómine divitiárum appellat iníquitas. Si enim veras divítias quæris, áliæ sunt. Tálibus Job nudus abundábat, quandò in Deum cor plenum habébat, & laudes Deo, pérditis ómnibus rebus, tanquàm gemmas pretiosíssimas proferébat. Ipsæ sunt veræ divítiæ: istæ autem ab iniquitáte vocantur divítiæ. Habes illas, non reprehendo. *Hæréditas venit, pater tuus dives fuit,* & dimísit tibi: honestè acquisísti: de justis labóribus plenam domum habes; non reprehendo. Tamen étiam sic noli illas dícere divítias: nam si dicis illas divítias, amábis illas; & si amáveris illas, períbis cum illis. Perde, ne péreas: dona, ut acquíras; sémina ut metas.

℟. Respícite volatília cœli: non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea; & Pater vester cœlestis pascit illa. * Nonne vos magìs pluris estis illis? ℣. Dat jumentis escam ipsórum, & pullis corvórum invocántibus eum. * Nonne. *Matth.* 6. *Ps.* 146.

Lectio viij. Cap. 5.

HAs divítias noli appelláre, quia veræ non sunt. Paupertáte plenæ sunt, & semper obnóxiæ cásibus. Quales divítiæ? Propter quas latrónem times, propter quas servum tuum times, ne, te occíso, áuferat, & fúgiat. Si veræ divítiæ essent, securitátem tibi darent. Ergo veræ divítiæ sunt illæ quas, cùm habuérimus, pérdere non póssumus. Et ne fortè propter illas furem tímeas, ibi erunt, ubi nullus áuferat. Audi Dóminum tuum: Thesaurizáte vobis thesauros in cœlo, quò fur non accédat. Tunc erunt divítiæ, quandò eas

migráveris : quándiù in terra sunt, divítiæ non sunt.

℟. Nolíte sollíciti esse, dicentes : Quid manducábimus? aut quo operiémur? * Hæc ómnia gentes inquírunt ; † Scit Pater vester quia his indigétis ℣. Peccatóri dedit Deus curam supérfluam, ut addat & cóngreget ; & hoc vánitas est & cassa sollicitúdo. * Hæc. Glória. † Scit Pater. *Matth. 6. Eccles. 2.*

Lectio ix. Cap. 5. & 6.

BEátum dixérunt pópulum cui hæc sunt : sed qui dixérunt? quorum os locútum est vanitátem; & déxtera eórum déxtera iniquitátis. Ego dico : Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus. Aliquandò transímus viam, & vidémus amœníssimos & úberes fundos, & dícimus : Cujus est fundus? asséritur : Illíus ; & nos dícimus, Beátus homo! vanitátem lóquimur. Beátus cujus est illa domus! beátus cujus est ille fundus! beátus cujus est illa pecúnia! Tolle vanitátem, si vis audíre veritátem : Beátus cujus Dóminus Deus ejus! Dicis quia beátum te fecit fundus tuus, quia indè vivis : attende undè vivas. Ille est undè vivis, cui dicis : Apud te est fons vitæ. O Dómine Deus noster, ut veniámus ad te, fac nos beátos de te. Nólumus de auro, neque de argento, nec de fundis : nólumus de terrénis istis, & vaníssimis & cadúcæ vitæ transitóriis. Non loquátur os nostrum vanitátem : fac nos beátos de te, quia non perdémus te. Cùm tenuérimus te, nec te perdémus, nec nos períbimus.

Ad Bened. Ant. 3. a. Nemo potest duóbus dóminis servíre : non potestis Deo servíre & mammónæ. *Matth. 6.*

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, quærere, primùm & antè ómnia, regnum tuum & justítiam ejus ; ut ea quibus indigére nos pérspicis, benignus adjícias ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tolosáno, *Ann.* 1229. *Cap.* 21.

STatúimus ut Parochiáni, Dóminus & Dómina cujúslibet domûs Domínicis & Festívis diébus, in quibus ab opéribus est cessandum, teneantur ad Ecclésiam veníre, auditúri ibídem ex íntegro prædicatiónem & divínum Offícium ; nec indè recessúri donec Missa compleátur omninò. Quòd si aliter fe-

sórum absens fúerit extra villam, vel ália de causa rationábili præpedítus, alter saltem teneátur veníre.

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Quærite primùm regnum Dei & justítiam ejus, & hæc ómnia adjicientur vobis. *Matth.* 6.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. *Cap.* 2.

EXclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte dicens: Omnis qui zelum habet legis, státuens testamentum éxeat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, & reliquérunt quæcumque habébant in civitáte.... Et renuntiátum est viris regis, & exercítui qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessissent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in lóca occulta in deserto, & abiissent post illos multi. Et statìm perrexérunt ad eos, & constituérunt adversùs eos prælium in die Sabbatórum, & dixérunt ad eos: Resístitis & nunc adhuc? exíte, & fácite secundùm verbum regis Antíochi, & vivétis. Et dixérunt: Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem Sabbatórum. Et concitavérunt adversùs eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occulta, dicentes: Moriámur omnes in simplicitáte nostra: & testes erunt super nos cœlum & terra, quòd injustè pérditis nos. Et intulérunt illis bellum Sábbatis: & mórtui sunt ipsi, & uxóres eórum, & filii eórum, & pécora eórum, usque ad mille ánimas hóminum.

℟. Intrávit, *pag.* 203.

Lectio ij.

ET cognóvit Mathathías, & amíci ejus, & luctum habuérunt super eos valdè. Et dixit vir próximo suo: Si omnes fecérimus sicut fratres nostri fecérunt, & non pugnavérimus adversùs gentes pro animábus nostris, & justificatiónibus nostris; nunc citiùs disperdent nos à terra. Et cogitavérunt in die illa dicentes: Omnis homo quicumque vénerit ad nos in bello die Sabbatórum, pugnémus adversùs eum: & non moriémur omnes, sicut mórtui sunt fratres nostri in occultis. Tunc congregáta est ad eos synagóga Assidæórum fortis víribus ex Israel, omnis voluntárius in lege: & omnes qui fugiébant à malis, additi sunt ad eos

& facti sunt illis ad firmamentum. Et collegérunt exércitum, & percussérunt peccatóres in ira sua, & viros iníquos in indignatióne sua: & céteri fugérunt ad natiónes, ut eváderent. Et circuívit Mathathías & amíci ejus, & destruxérunt aras: & circumcidérunt púeros incircumcísos, quotquot invenérunt in fínibus Israel, & in fortitúdine. Et persecúti sunt fílios supérbiæ, & prosperátum est opus in mánibus eórum.

℟. Cœpit, *pag.* 204.

Lectio iij.

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriendi, & dixit fíliis suis: Nunc confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergò, ô fílii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum, & mementóte óperum patrum quæ fecérunt in generatiónibus suis; & accipiétis glóriam magnam & nomen æternum... Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consílii est: ipsum audíte semper, & ipse erit vobis pater: & Judas Machabæus fortis víribus à juventúte sua, sit *vobis princeps* milítiæ, & *ipse agit* bellum pópuli. Et *adducétis* ad vos omnes factóres legis; & vindicáte vindíctam pópuli vestri: retribúite retributiónem géntibus, & inténdite in præceptum legis. Et benedixit eos, & appósitus est ad patres suos. Et defunctus est anno centésimo & quadragésimo sexto; & sepultus est à fíliis suis in sepulcris patrum suórum in Modin. Et planxérunt eum omnis Israel planctu magno.

℟. Surrexit, *pag.* 204.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi tértio Œcuménico.

Ann. 1179. *Cap.* 8.

NUlla Ecclesiástica ministéria, seu étiam Benefícia vel Ecclésiæ, alícui tribuantur seu promittantur, ántequàm vacent; ne desideráre quis mortem próximi videátur, in cujus locum & Beneficium se credíderit successúrum.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. *Cap.* 3.

SUrrexit Judas qui vocabátur Machabæus, fílius Mathathíæ, pro eo: & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérsi qui se conjúnxerant patri ejus, & præliabantur prælium Israel cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo suo, & induit se lorícam sicut gigas, & succínxit se arma

béllica sua in prǽliis, & protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, & sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: & qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis: & repulsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt: & directa est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus suis; & in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Judæ, & pérdidit ímpios ex eis, & avertit iram ab Israel: & nominátus est usque ad novíssimum terræ, & congregávit pereuntes. Et congregávit Apollónius gentes, & à Samaría virtútem multam & magnam ad bellandum contra Israel. Et cognóvit Judas, & éxiit óbviam illi: & percússit & occídit illum: & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt. Et accépit spólia eórum, & gládium Apollónii ábstulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Dixit, *pag.* 205.

Lectio ij.

ET cécidit *timor Judæ ac fratrum ejus, & formído super omnes gentes* in circúitu eórum. Et pervénit ad regem nomen ejus, & de prǽliis Judæ narrábant omnes gentes. Ut audívit autem rex Antíochus sermónes istos, irátus est ánimo: & misit, & congregávit exércitum univérsi regni sui, castra fórtia valdè.... Et vidit Judas & fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala: & exércitus applicábant ad fines eórum, & cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum & consummatiónem: & dixérunt unusquisque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, & pugnémus pro pópulo nostro & sanctis nostris.

℟. Flevérunt, *p.* 206.

Lectio iij.

ET post hæc constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, & centurióines, & pentacontarchos, & decuriónes. Et dixit his qui ædificábant domos, & sponsábant uxóres, & plantábant víneas, & formidolósis, ut redírent unusquisque in domum suam, secundùm legem. Et movérunt castra, & collocavérunt ad Austrum Emmaüm; & ait Judas: Accingímini, & estóte filii potentes, & estóte paráti in manè, ut pugnétis advérsùs natiónes has, quæ

convenérunt adversùs nos, dispérdere nos & sancta nostra: quóniam méliùs est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ & sanctórum. Sicut autem fúerit voluntas in cœlo, sic fiat.

℟. Adhortans, *p.* 206.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi secundo Œcuménico.

Ann. 1139. *Can.* 16.

INdubitátum est quóniàm honóres Ecclesiástici, sánguinis non sunt, sed mériti: & Ecclésia Dei non hæreditário jure áliquem, neque secundùm carnem, succesśórem expectat; sed ad sua regímina & officiórum suórum dispensatiónes, honestas, sapientes & religiósas persónas exposcit.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 1. *Cap.* 4.

COmmisérunt prælium (Judas cum decem míllibus viris,) & cecidérunt de exércitu Lysiæ quinque míllia virórum. Videns autem Lysias fugam suórum, & Judæórum audáciam, & quòd paráti sunt aut vívere aut mori fórtiter, ábiit Antiochíam; *& elégit mílites*, ut multi*plicáti* rursùs venírent in *Judæam.* Dixit autem Judas & fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri: ascendámus nunc mundáre sancta & renováre. Et congregátus est omnis exércitus, & ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt Sanctificatiónem desertam, & altáre profanátum, & portas exustas, & in átriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in móntibus, & pastophória díruta: & scidérunt vestimenta sua, & planxérunt planctu magno, & imposuérunt cínerem super caput suum. Et cecidérunt in fáciem super terram, & exclamavérunt tubis signórum, & clamavérunt in cœlum.

℟. Intrávit, *pag.* 203.

Lectio ij.

TUnc ordinávit Judas viros, ut pugnárent adversùs eos qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habentes in lege Dei; & mundavérunt sancta, & tulérunt lápides contaminatiónis in locum immundum: & cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et íncidit illis consílium bonum, ut destrúcrent illud: ne fortè illis esset in oppróbrium, quia contaminavérunt illud gentes, & demolíti sunt

illud. Et reposuérunt lápides in monte domûs in loco apto, quoadusque veníret prophéta, & respondéret de eis. Et accepérunt lápides íntegros secundùm legem; & ædificavérunt altáre novum, secundùm illud quod fuit priùs: & ædificavérunt Sancta, & quæ intra domum erant intrínsecùs: & ædem, & átria sanctificavérunt.

℟. Cœpit, pag. 204.

Lectio iij.

ET obtulérunt sacrifícium secundùm legem, super altáre holocaustórum novum quod fecérunt. Secundùm tempus & secundùm diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, & cítharis, & cínyris & in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt, & benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, & obtulérunt holocausta cum lætítia, & sacrificium salutáris & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & scútulis, & dedicavérunt portas, & pastophória, & imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valdè, & *aversum est oppróbrium géntium. Et státuit Judas & fratres* ejus, & universa ecclésia Israel, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigésima die mensis Casleu, cum lætítia & gáudio.

℟. Surréxit, *pag.* 204.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 1.

SAncta Synodus omnes & síngulos qui ad promotiónem præficiẽdórum, quodcunque jus habent, aut alióquin óperam suam præstant, hortátur & monet, ut imprímis memínerint nihil se ad Dei glóriam & populórum salútem utílius posse fácere, quàm si bonos Pastóres, & Ecclésiæ gubernandæ idóneos promovéri stúdeant; eósque aliénis peccátis communicantes mortáliter peccáre, nisi quos digniores & Ecclésiæ magìs útiles ipsi judicáverint, non quidem précibus, vel humáno affectu, aut ambiéntium suggestiónibus, sed eórum exigéntibus méritis, præfici diligenter curáverint.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. Cap. 9.

EOdem témpore Antíochus inhonestè revertebátur de Pérside. Intra

verat enim in eam quæ dícitur Persépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: sed, multitúdine ad arma concurrente, in fugam versi sunt; & ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cùm venisset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum gesta sunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére. Ideóque jussit agitári currum suum: sine intermissióne agens iter, cœlesti eum judício perurgente, eo quòd ita supèrbè locútus est se ventúrum Jerosólymam, & congériem sepulchri Judæórum eam factúrum. Sed, qui univérsa cónspicit, Dóminus Deus Israel percussit eum insanábili & invisíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehendit eum dolor dirus víscerum, & amára internórum tormenta: & quidem satis justè; quippè qui multis & novis cruciátibus aliórum tórserat víscera, licèt ille nullo modo à sua malítia, cessáret.

℟. Dixit, *pag.* 205.

Lectio ij.

SUper hoc autem supérbiâ replétus, ignem spirans ánimo in Judæos; & præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu euntem de curru cádere, & gravi córporis collisióne membra vexári. Isque qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbiâ replétus, & móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, manifestam Dei virtútem in semetipso contestans: ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac viventis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus & fœtóre exércitus gravarétur. Et qui paulò antè sídera cœli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiam fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit, ex gravi supérbia dedúctus, ad agnitiónem sui veníre, divínâ admónitus plagâ, per momenta síngula dolóribus suis augmenta capiéntibus. Et cùm nec ipse jam fœtórem suum ferre posset, ita ait: Justum est súbditum esse Deo, & mortálem non pária Deo sentíre. Orábat autem hic scelestus Dóminum, à quo non esset misericórdiam consecutúrus. Igitur homicída & blas-

péssimè percussus;
ɔse álios tractáve-
regrè in móntibus
ili óbitu vitâ fun-

levérunt Judam,
s.
tio iij. Cap. 10.
ɪótheus, qui priùs à
dæis fúerat super-
convocáto exércitu
næ multitúdinis, &
gáto equitátu Asiá-
lvénit quasi armis
n captúrus. Macha-
ıtem & qui cum ipso
ppropinquante illo,
ibantur Dóminum,
terrâ aspergentes,
sque cilíciis præcin-
l altáris crepídinem
úti, ut sibi propí-
iimícis autem eórum
iimícus, & adversá-
versarétur, sicut lex
Et ita post orati6-
sumptis armis, lón-
: civitáte proceden-
t próximi hóstibus
, resedérunt. Primo
solis ortu utríque
isérunt: isti quidem
iæ & prosperitátis
ırem cum virtúte Dó-
n habentes; illi au-
ucem belli ánimum
ant. Sed cùm véhe-
pugna esset, appa-
ıt adversáriis de cœ-
i quinque *in equis*,
áureis decóri, ducá-
dæis præstantes: ex
quibus duo Machabæum médium habentes, armis suis circumseptum incólumem conservábant: in adversários autem tela & fúlmina jaciébant; ex quo & cæcitáte confúsi, & repléti perturbatióne cadébant. Interfecti sunt autem viginti míllia quingenti, & équites sexcenti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præsídium munítum.

℟. Adhortans, *p.* 206.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *Ann.* 1549. *Cap.* 72.

CUm Apóstolus victu, adeóque ipsâ vitâ indignos júdicet hómines otiósos, qui panem non labóre suo partum, cum gravámine aliórum edunt; quantò gravióri indignatióni divínæ eos subjacére putandum est, qui census Ecclésiæ, sanctórum mártyrum patrimónia, & donária piæ plebis, ad divíni ministérii sustentatiónem colláta, otiósè absúmunt?

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum. *Lectio j. Libr.* 2. *Cap.* 11.

INgressus Lysias Judæam, & appróпians Béthsuræ quæ erat in angusto loco, ab Jerosólyma intervallo quinque stadiórum, illud præsídium expugnábat. U

autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia, cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israel. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, céteros adhortátus est simul secum perículum subíre, & ferre auxílium frátribus suis. Cúmque páriter prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida, armis áureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixéruntmisericordem Dóminum, & convaluérunt ánimis: non solùm hómines, sed & béstias ferocíssimas, & muros férreos paráti penetráre. Ibant ígitur prompti, de cœlo habentes adjutórem & miserantem super eos Dóminum. Leónum autem more, ímpetu irruentes in hostes, prostravérunt ex eis úndecim míllia péditum, & équitum mille sexcentos: universos autem in fugam vertérunt, plures autem ex eis vulneráti, nudi evasérunt. Sed & ipse Lysias túrpiter fúgiens evásit.

℞. Intrávit rex, *p.* 203.

Lectio ij. Cap. 15.

NIcánor quidem cum summa supérbia erectus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda. Machabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum: & hortabátur suos ne formidárent ad adventum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, & nunc sperárent ab Omnipotente sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos: & ita ánimis eórum erectis, simul ostendébat géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem. Síngulos autem illórum armávit, non clypei & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis & exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit.

℞. Cœpit, *pag.* 204.

Lectio iij.

ERat autem hujuscémodi visus: Oníam qui fúerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendentem, oráre pro omni pópulo Judæórum: post hoc apparuisse & álium virum, ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine cir-

ea illum: respondentem verò Oníam dixisse: Hic est fratrum amátor & pópuli Israel: hic est qui multùm orat pro pópulo & universa sancta civitáte, Jeremías prophéta Dei. Extendisse autem Jeremíam dextram, & dedisse Judæ gládium áureum, dicentem: Accipe sanctum gládium, munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israel. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extolli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret; eò quòd cívitas sancta & templum periclitarentur. Erat enim pro uxóribus & fíliis, itémque pro frátribus & cognátis, minor sollicitúdo: máximus verò & primus pro sanctitáte timor erat templi.

℟. Surrexit, pag. 204.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *Ann.* 1584. *tit. de Benef.*

CUm Benefícium Ecclesiásticum non otiósis, sed officium suum exequéntibus, sit constitútum, & propter Offícium detur Benefícium; denúntiat hæc Synodus ómnibus cujuscumque *gradûs & conditiónis, qui Benefícia* Ecclesiástica solius temporális proventûs grátiâ suscipiunt, eos non fácere fructus suos, sed ad restitutiónem tenéri.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Libr. 2. Cap. 15.

NIcánor autem & qui cum ipso erant, cum tubis & cánticis admovébant: Judas verò & qui cum eo erant, invocáto Deo per oratiónes, congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dóminum córdibus orantes, prostravérunt non minùs triginta quinque míllia, præséntiâ Dei magnífice delectáti. Cúmque cessassent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruisse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abscissam, Jerosólymam perferri. Quò cùm pervenisset, convocátis contribúlibus & sacerdótibus ad altáre, accérsiit & eos qui in arce erant. Et, ostenso cápite Nicánoris, & manu nefáriâ, quam extendens contra domum sanctam

omnipotentis Dei, magnífice gloriátus est: linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicentes: Benedictus qui locum suum incontaminátum servávit. Suspendit autem Nicánoris caput in summa arce, ut évidens esset & manifestum signum auxílii Dei.

Lectio ij. Libr. 1. Cap. 9.

VIdit Judas quòd defluxit exércitus suus, & bellum perurgébat eum, & confractus est corde, quia non habébat tempus congregandi eos, & dissolútus est. Et dixit his qui resídui erant: Surgámus, & eámus ad adversários nostros, si potérimus pugnáre adversùs eos. Et avertébant eum dicentes: Non potérimus; sed liberémus ánimas nostras modò, & revertámur ad fratres nostros, & tunc pugnábimus adversùs eos: nos autem pauci sumus. Et ait Judas: Absit istam rem fácere ut fugiámus ab eis: & si appropiávit tempus nostrum, moriámur in virtúte propter fratres nostros, & non inferámus crimen glóriæ nostræ...... Et ingravátum est prælium, & cecidérunt vulneráti multi ex his & ex
Et Judas cécidit, &
fugérunt. Et Jónath
Simon tulérunt Juda
trem suum, & sepeli
eum in sepulcro p
suórum in civitáte M
Et flevérunt eum omn
pulus Israel planctu
gno, & lugébant dies
tos, & dixérunt: Qu
dò cécidit potens qu
vum faciébat pópulu
rael!.... Et congregá
omnes amíci Judæ,
xérunt Jónathæ: E
frater tuus Judas defi
est, vir símilis ei n
qui éxeat contra ini
nostros, Bácchidem
qui inimíci sunt gent
stræ. Nunc ítaque t
diè elégimus esse p
nobis in príncipem,
cem ad bellandum b
nostrum. Et suscépit
thas témpore illo pri
tum, & surrexit loco
fratris sui.

Lectio iij. Cap. 13.

AUdívit Simon
congregávit Tr
exércitum copiósum
veníret in terram Ju
attéreret eam. Viden
in tremóre pópulus
in timóre, ascendit J
lem, & congregávit
lum, & adhortans
Vos scitis quanta
fratres mei, & domus
mei, fécimus pro

& pro sanctis prælia, & angústias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Israel, & relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis: non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam & Sancta, natos quoque nostros, & uxóres: quia congregátæ sunt universæ gentes contérere nos inimicítiæ grátiâ. Et accensus est spíritus pópuli simul ut audivit sermónes istos: & respondérunt voce magnâ dicentes: Tu es dux noster loco Judæ & Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum; & ómnia quæcumque díxeris nobis, faciémus.... Et síluit omnis terra Juda ómnibus diébus Simónis, & quæsívit bona genti suæ: & plácuit illis potestas ejus & glória ejus, ómnibus diébus.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 116.

RES Ecclésiæ, sicut à sanctis Pátribus tráditur, vota sunt fidélium, prétia peccatórum & patrimónia páuperum. *Quapropter vigilanti ac solerti curâ providendum est his* qui ejus facultátes administrant, ne eas in suos solúmmodò usus convertant; sed magìs juxta possibilitátem rerum, Christo famulántium, imò eórum in quibus Christus páscitur & vestítur, curam gérere pénitùs non négligant.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Sapiéntia insipiéntibus locúta est: Relínquite infántiam & vívite, & ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov.* 9.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XV. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt Parábolæ Salomónis.

Lectio j. Prov. Cap. 1.

PArábolæ Salomónis, fílii David, regis Israel: ad sciendam sapiéntiam & disciplínam, ad intelligenda verba prudéntiæ, & suscipiendam erudítiónem doctrínæ, justítiam, & judícium, & æquitátem: ut detur párvulis astútia, adolescenti sciéntia & intellectus. Aúdiens sápiens sapiéntior erit: & intélligens gubernácula possidébit. Animadvertet parábolam & interpretatiónem, verba sapientum & ænígmata eórum. Timor Dómini, princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctri

nam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ; ut addátur grátia cápiti tuo, & torques collo tuo.

℟. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas! Deum time, & mandáta ejus observa: * Hoc est omnis homo. ℣. Si vis ad vitam íngredi, serva mandáta. * Hoc. *Ecclesi.* 12. *Matth.* 19.

Lectio ij.

FIli mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insontem frustrà: deglutiámus eum sicut infernus viventem, & íntegrum quasi descendentem in lacum: omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis. Sortem mitte nobiscum, marsúpium unum sit ómnium nostrúm. Fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum à sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt, & festínant ut effundant sánguinem.

℟. Beátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ! * Pretiósior est cunctis ópibus: longitúdo diérum in déxtera ejus, & in sinistra illius divítiæ & glória; viæ ejus viæ pulchræ; & sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Si quis índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter. * Pretiósior est. *Prov.* 3. *Jac.* 1.

Lectio iij.

SApiéntia foris prædicat.... dicens: Usquequò, párvuli, dilígitis infántiam? & stulti ea quæ sibi sunt nóxia, cúpient? & imprudentes odíbunt sciéntiam? Convertímini ad correptiónem meam: en próferam vobis spíritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocávi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspíceret; despexistis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexistis; ego quoque in intéritu vestro ridébo & subsannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit; cùm irrúerit repentína calámitas, & intéritus quasi tempestas ingrúerit: quandò vénerit super vos tribulátio & angústia. Tunc invocábunt me, & non exaúdiam: manè consurgent, & non invénient me.... Qui autem me audierit, absque terróre requiescet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem

sapiéntiam, ut mecum sit & mecum labóret, ut sciam quid acceptum sit apud te: * Illa dedúcet me in opéribus meis sóbriè; & erunt accepta ópera mea. ℣. Quæ desursùm est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modesta, bonis conséntiens, plena misericórdiâ & frúctibus bonis. * Illa. Glória. * Illa. *Sap. 9. Jac 3.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei. *Libr. 17. c. 20. §. 1.*

Lectio iv.

PRophetasse Sálomon repéritur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritátem canónicam; Provérbia, Ecclesiastes, & Cánticum Canticórum. Alii verò duo, quorum unus Sapiéntia, alter Ecclesiásticus dícitur, propter elóquii nonnullam similitúdinem, ut Salomónis dicantur, obtínuit consuetúdo: non autem esse ipsíus, non dúbitant doctióres. Eos tamen in auctoritátem, máximè occidentális antíquitùs recépit Ecclésia: quorum in uno qui appellátur Sapiéntia Salomónis, pássio Christi apertíssimè prophetátur. Impii quippè interfectóres ejus commemorantur dicentes: *Circumveniámus Justum, quóniam insuávis est nobis,* & contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis peccáta legis, & infámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. In Ecclesiástico autem, fides géntium futúra prædícitur isto modo: Miserére nostrî, Dominátor Deus ómnium, & immitte timórem tuum super omnes gentes.

℟. Ne despícias hóminem averténtem se à peccáto; neque impróperes ei: * Memento quóniam omnes in correptióne sumus. ℣. Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delicto, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teipsum, ne & tu tentéris. * Memento. *Eccli. 8. Galat. 6.*

Lectio v. §. 2.

IN tribus verò illis quos Salomónis esse constat, & Judæi canónicos habent; ut osténdátur ad Christum & Ecclésiam pertinére quod in eis ejúsmodi repéritur, operósa disputátio necessária est, quæ nos, ultrà quàm oportet, si nunc adhibeátur, extendit. Tamen quod in Provérbiis légitur, viros ímpios dícere: Abscondámus in terra virum justum injustè, absorbeámus verò eum tanquàm infernus viventem, & auferámus ejus memóriam de

terra, possessiónem ejus pretiósam apprehendámus; non ita obscúrum est, ut de Christo & possessióne ejus Ecclésia sine laborióѕa expositióne non possit intélligi. Tale quippè áliquid étiam Dóminus ipse Jesus per Evangélicam parábolam ostendit dixisse malos colónos: Hic est hæres; veníte, occidámus eum, & nostra erit hæréditas.

℟. Oculi Dómini multò plùs lucidióres sunt super solem, circumspicientes omnes vias hóminum, & hóminum corda intuentes in abscónditas partes: * Dómino enim Deo, ántequàm crearentur, ómnia sunt ágnita. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus; ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus. * Dómino. *Eccli.* 23. *Hebr.* 4.

Lectio vj.

IN álio libro qui vocátur Ecclesiastes, ubi ait: Non est bonum hómini, nisi quòd manducábit & bibet, quid credibílius dícere intellígitur, quàm quod ad participatiónem mensæ hujus pértinet, quam Sacerdos ipse Mediátor testamenti novi éxhibet secundùm órdinem Melchísedech de córpore & sánguine suo? Id enim sacrifícium succéssit ómnibus illis sacrifíciis véteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futúri.... Jam verò Cánticum Canticórum spirituális quædam sanctárum est voluptas méntium, in conjúgio illíus Regis & Regínæ civitátis, quod est Christus & Ecclésia. Sed hæc voluptas allegóricis tegmínibus involúta est, ut desiderétur ardéntiùs.

℟. Bono ánimo glóriam redde Deo; & non mínuas primítias mánuum tuárum: * In omni dato hílarem fac vultum tuum; † Quóniam Dóminus retríbuens est. ℣. Non ex tristítia aut ex necessitáte; hílarem enim datórem díligit Deus. * In omni dato. Glória. † Quóniam. *Eccli.* 35. *II. Cor.* 9.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 7.

IN illo témpore: Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm: & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 98. de Verb. Evang. Luc. 7. c. 4. 5. & 7.

VIdeámus quid Christus nos díscere vóluit in tribus mórtuis quos suscitávit. Resuscitávit fíliam mórtuam Archisynagógi, ad quam ægrotantem petebátur, ut eam de ægritúdine liberáret. Excitávit & hunc júvenem, fílium víduæ de quo nunc admóniti sumus, ut hinc ista quæ ipse largíri dignátur, cum vestra caritáte loquerémur. Modò audístis quómodò excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti; & ecce efferebátur jam mórtuus extra portam: misericórdiâ commótus, quòd flebat mater vídua & destitúta único fílio, fecit quod audístis, dicens: Adoléscens, tibi dico, surge. Surrexit ille mórtuus, cœpit loqui; & réddidit illum matri suæ. Excitávit & Lázarum de sepulcro.

℟. Defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ; & hæc vídua erat. Quam cùm vidísset * Dóminus, misericórdiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effundat loquélam gémitûs. * Dóminus. *Luc. 7. Eccli. 35.*

Lectio viij.

ISta tria génera mortuórum sunt tria génera peccatórum, quos hodiéque súscitat Christus. Illa enim mórtua fília Archisynagógi intùs erat in domo; nondùm erat de secrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs suscitáta est, viva paréntibus réddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondùm in sepulcro: pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui suscitávit mórtuam nondùm elátam, suscitávit mórtuum jam elátum, nondùm sepultum. Tértium restábat, ut & sepultum suscitáret, & hoc fecit in Lázaro.

℟. Accessit Jesus, & tétigit lóculum; hi autem qui portábant, stetérunt. Et * Ait: † Adoléscens, tibi dico; surge: & resédit qui erat mórtuus. ℣. Dóminus mortíficat & vivíficat, dedúcit ad ínferos & redúcit. * Ait. Glória. † Adoléscens. *Luc. 7. I. Reg. 2.*

Lectio ix.

HÆc ergo, caríssimi, sic audiámus, ut qui vivunt, vivant; qui mórtui sunt, revivíscant. Sive adhuc peccátum in corde concéptum est, & non procéssit in factum; pœníteat, corrigátur cogitátio, sur-

gat mórtuus intra domum consciéntiæ. Sive jam quod cogitávit, admísit; nec sic desperétur. Non surrexit mórtuus intùs, surgat elátus. Pœníteat facti, de próximo revivíscat: non eat in profundum sepultúræ; non accípiat désuper consuetúdinis molem. Sed fortè jam illi loquor, qui jam duro sui moris lápide prémitur, qui jam urgétur consuetúdinis póndere, qui jam quatriduánus putet: Nec ipse despéret: profundus mórtuus est, sed altus est Christus. Novit clamando terréna ónera rúmpere, novit intrínsecùs per seipsum vivificáre, solvendum discípulis trádere. Agant étiam tales pœniténtiam. Neque enim Lázaro resuscitáto post quatríduum, ullus putor in vivente remánserat. Ergo qui vivunt, vivant: quicumque autem mórtui sunt, in quacumque harum trium morte se invénerint, agant ut celériter jam resurgant.

Ad Bened. *Ant.* 8. D. Qui erat mórtuus, cœpit loqui; & dedit illum Jesus matri suæ. *Luc.* 7.

Oratio.

Ecclésiæ tuæ, Dómine, lácrymas & preces benignus exaudi; ut quæ de suórum contristátur spirituáli morte filiórum, de eórum ad grátiæ vitam resurrectióne lætétur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Remensi. *Ann.* 1583. *tit. de diebus Festis, n.* 2. & 3.

Diébus Domínicis & Festis in suas Parœcias pópulus convéniat; & Missæ, concióni ac Véspera intersit. Iisdem diébus nemo lúsibus aut choréis det óperam; máximè dum divínum celebrátur Offícium: monebitúrque ab Ordinário vel Parœco Magistrátus, ut id nequáquam fieri permittat.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Accépit omnes timor, & magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

FERIA SECUNDA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 3.

Fili mi, ne oblivíscáris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custódiat: longitúdinem enim diérum, & annos vitæ, & pacem appónent tibi. Misericórdia & véritas te non déserant; circumda eas gútturi tuo, & descríbe in tábulis cordis tui: & invénies grátiam & disciplínam bonam coram Deo & ho-

mínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, & ipse díriget gressus tuos. Ne sis sápiens apud temetipsum: time Deum, & recéde à malo.

℟. Vánitas, *pag.* 210.

Lectio ij.

HOnóra Dóminum de tua substántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei: & implebuntur hórrea tua saturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Disciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias, nec defícias cùm ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus, córripit; & quasi pater in filio cómplacet sibi. Beátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui ámuit prudéntiâ! Mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti, & auri primi; & puríssimi fructus ejus. Pretiósior est cunctis ópibus: & ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

℟. Beátus homo, *p.* 210.

Lectio iij. Cap. 5.

FIli mi, attende ad sapiéntiam meam, & prudéntiæ meæ inclína aurem tuam, ut custódias cogitatiónes, & disciplínam lábia tua consérvent. Ne attendas fallácia mulíeris; favus enim distillans lábia meretrícis, & nitídius óleo guttur ejus; novíssima autem illíus amára quasi absynthium, & acúta quasi gládius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad ínferos gressus illíus pénetrant. Per sémitam vitæ non ámbulant, vagi sunt gressus ejus & investigábiles. Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recédas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques fóribus domûs ejus.

℟. Da mihi, *pag.* 210.

C A N O N.

Ex Concílio Nannetensi.

Ann. 895. *Can.* 10.

INstruendi sunt Presbyteri, paritérque admonendi, quáтenùs nóverint décimas & oblatiónes, quas à fidélibus accípiunt, páuperum & hóspitum, & peregrinórum esse stipéndia, & non quasi suis, sed quasi commendátis uti: de quibus ómnibus sciant se ratiónem positúros in conspectu Dei.

FERIA TERTIA,

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 6.

VAde ad formícam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapiéntiam: quæ, cùm non hábeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem

parat in æſtáte cibum ſibi, & cóngregat in meſſe quod cómedat. Uſquequò, piger, dórmies? quandò conſurges è ſomno tuo? Páululùm dórmies, páululùm dormitábis, páululùm cónſeres manus ut dórmias: & véniet tibi quaſi viátor egeſtas, & paupéries quaſi vir armátus. Si verò ímpiger fúeris, véniet ut fons meſſis tua, & egeſtas longè fúgiet à te.

℟. Ne deſpícias, *p.* 221.

Lectio ij.

HOmo apóſtata vir inútilis: gráditur ore perverſo, ánnuit óculis, terit pede, digito lóquitur, pravo corde machinátur malum, & omni témpore júrgia séminat. Huic extemplò véniet perdítio ſua, & súbitò conterétur, nec habébit ultrà medicinam. Sex ſunt quæ odit Dóminus; & séptimum deteſtátur ánima ejus: óculos ſublímes, linguam mendácem, manus effundentes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péſſimas, pedes velóces ad currendum in malum, proferentem mendácia teſtem fallácem, & eum qui séminat inter fratres diſcórdias.

℟. Oculi, *pag.* 222.

Lectio iij. Cap. 8.

EGo Sapiéntia hábito in consílio; & erudítis interſum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, & ſupérbiam, & viam pravam, & os bilingue deteſtor. Meum eſt consílium, & æquitas; mea eſt prudéntia; mea eſt fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres juſta decernunt: per me príncipes ímperant, & potentes decernunt juſtítiam. Ego diligentes me díligo: & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Bono ánimo, *p.* 222.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *de Ref. c.* 1.

QUibuſcumque Beneficia Eccleſiáſtica, tàm ſeculária quàm regulária, obtinéntibus, omninò interdícit ſancta Synodus ne ex réditibus Eccléſiæ conſanguíneos familiareſve ſuos augére ſtúdeant: cùm & Apoſtolórum Cánones prohíbeant, ne res Eccleſiáſticas quæ Dei ſunt, conſanguíneis donent; ſed, ſi páuperes ſint, iis ut paupéribus diſtríbuant; eas autem non díſtrahant, nec díſſipent illórum causâ.

FERIA QUARTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 10.

FIlius sápiens lætíficat patrem; fílius verò ſtultus mœſtítia eſt matris ſuæ. Nihil próderunt theſauri

impietátis; justítia verò liberábit à morte. Non afflíget Dóminus fame ánimam justi, & insídias impiórum subvertet. Egestátem operáta est manus remissa, manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic pascit ventos; idem autem ipse séquitur aves volantes. Qui cóngregat in messe, fílius sápiens est; qui autem stertit æstáte, fílius confusiónis. BenedíctioDómini super caput justi: os autem impiórum óperit iníquitas. Memória justi cum láudibus; & nomen impiórum putréscet. Sápiens corde præcepta súscipit, stultus cæditur lábiis. Qui ámbulat simplíciter, ámbulat confidenter: qui autem deprávat vias suas, manifestus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolórem; & stultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os justi; & os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas; & univérsa delícta óperit cáritas.

℟. Vánitas, *pag.* 220.

Lectio ij.

IN lábiis sapientis invenítur sapiéntia: & virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapientes abscondunt sciéntiam: os autem stulti *confusióni próximum est. Substántia dívitis,* urbs fortitúdinis ejus: pavor páuperum, egéstas eórum. Opus justi ad vitam; fructus autem ímpii ad peccátum. Via vitæ custodienti disciplínam: qui autem increpatiónes relinquit, errat. Abscondunt ódium lábia mendácia: qui profert contuméliam, insípiens est. In multilóquio non déerit peccátum: qui autem moderátur lábia sua, prudentíssimus est. Argentum eléctum lingua justi; cor autem impiórum pro níhilo. Lábia justi erúdiunt plúrimos: qui autem indócti sunt, in cordis egestáte morientur.

℟. Beátus homo, *p.* 220.

Lectio iij. Cap. 11.

STatéra dolósa abominátio est apud Dóminum: & pondus æquum voluntas ejus. Ubi fúerit supérbia, ibi erit & contumélia: ubi autem est humílitas, ibi & sapiéntia. Simplícitas justórum díriget eos; & supplantátio perversórum vastábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis: justítia autem liberábit à morte. Justítia símplicis díriget viam ejus: & in impietáte sua córruet ímpius. Justítia rectórum liberábit eos; & in insídiis suis capientur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultr

spes : & expectátio sollicitórum peribit. Justus de angústia liberátus est ; & tradétur ímpius pro eo.... In bonis justórum exultábit cívitas ; & in perditióne impiórum erit laudátio.... Qui déspicit amícum suum, índigens corde est : vir autem prudens tacébit. Qui ámbulat fraudulenter, revélat arcána : qui autem fidélis est ánimi, celat amíci commissum... Abominábile Dómino cor pravum ; & voluntas ejus in iis qui simplíciter ámbulant.

℟. Da mihi, *p.* 220.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

Ann. 1565. *part.* 2. *tit.* 62.

CAvendum est ne cupiditáte prolapsi, quæ radix est ómnium malórum, dum vel própriis, vel propinquórum, & familiárium divítiis & honóribus studémus, quæ Deo dicáta sunt bona, & Ecclésiæ detrimento, & páuperum gémitu, & bonórum offensióne ad aliórum usum convertámus.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 14. *&* 15.

ESt via quæ vidétur hómini justa ; novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur, & extréma gáudii luctus óccupat. Viis suis replébitur stultus, & super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo : astútus consíderat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni ; servo autem sapienti próspери erunt actus, & dirigétur via ejus. Sápiens timet & declínat à malo : stultus tránsilit & confídit. Impátiens operábitur stultítiam : & vir versútus odiósus est... Qui calumniátur egentem, exprobrat factóri ejus : honórat autem eum qui miserétur páuperis. In malítia sua expellétur ímpius ; sperat autem justus in morte sua. In corde prudentis requiéscit sapiéntia ; & indoctos quosque erúdiet. Justítia élevat gentem ; míseros autem facit pópulos peccátum.

℟. Ne despícias, *p.* 221.

Lectio ij. Cap. 15. *&* 16.

COr sapientis quærit doctrínam ; & os stultórum páscitur imperítiâ. Omnes dies páuperis, mali : secúra mens quasi juge convívium. Mélius est parum cum timóre Dómini, quàm thesáuri magni & insatiábiles. Mélius est vocári ad ólera cum caritáte, quàm ad vítulum saginátum cum ódio. Vir iracúndus próvocat rixas ; qui

pátiens est, mítigat suscitátas.... Hóminis est ánimam præparáre, & Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus: spiríttuum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, & dirigentur cogitatiónes tuæ. Universa propter semetipsum operátus est Dóminus; ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini est omnis árrogans: étiam si manus ad manum fúerit, non est ínnocens. Inítium viæ bonæ, fácere justítiam: accepta est autem apud Deum magìs quàm immoláre hóstias. Misericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas: & in timóre Dómini declinátur à malo.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio iij. Cap. 16. & 17.

MElior est pátiens viro forti; & qui dominátur ánimo suo, expugnatóre úrbium. Sortes mittuntur in sinum, sed à Dómino temperantur. Mélior est buccella sicca cum gáudio, quàm domus plena víctimis cum júrgio. Servus sápiens dominábitur fíliis stultis, & inter fratres hæreditátem dívidet. Sicut igne probátur argentum, & aurum *camíno; ita corda probat Dóminus.* Malus obédit linguæ iníquæ, & fallax obtémperat lábiis mendácibus. Qui déspicit páuperem, exprobrat factóri ejus; & qui ruínâ lætátur altérius, non erit impunítus.... Qui justíficat ímpium, & qui condemnat justum, abominábilis est uterque apud Deum Quid prodest stulto habére divítias, cùm sapiéntiam émere non possit? Qui altam facit domum suam, quærit ruínam: & qui evítat díscere, íncidet in mala. Omni témpore díligit qui amícus est, & frater in angústiis comprobátur.

℟. Bono ánimo, *p.* 222.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *tit. de Simoniac.*

SI quis Benefícium propter obséquium, vel impensæ servitútis mercédem cónferat; vel de retinenda pensióne sibi vel álteri paciscátur; aut partem frúctuum, vel áliud Benefícium in compensatiónem collatiónis étiam álteri conferendum éxigat; vel áliam quámlibet pactiónem à Sede Romána non approbátam fécerit; simoníacus esse censeátur.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 18.

IMpius, cùm in profundum vénerit peccató-

rum, contemnit: sed séquitur eum ignomínia & oppróbrium. Aqua profunda, verba ex ore viri; & torrens redundans, fons sapiéntiæ. Accípere persónam ímpii non est bonum, ut declínes à veritáte judícii. Lábia stulti miscent se rixis; & os ejus júrgia próvocat. Os stulti contrítio ejus: & lábia ipsíus ruína ánimæ ejus. Verba bilinguis quasi simplícia; & ipsa pervéniunt usque ad interióra ventris.

℟. Vánitas vanitátum, pag. 220.

Lectio ij. Cap. 22.

PRovérbium est: Adolescens juxta viam suam, étiam cùm senúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat: & qui áccipit mútuum, servus est fœnerantis. Qui séminat iniquitátem, metet mala, & virgâ iræ suæ consummábitur. Qui pronus est ad misericórdiam, benedicétur; de pánibus enim suis dedit páuperi. Victóriam & honórem acquíret qui dat múnera: ánimam autem aufert accipiéntium. Ejice derisórem, & exíbit cum eo júrgium, cessabúntque causæ & contumélíæ. Qui díligit cordis munditiam, propter grátiam labiórum suórum habébit amícum Regem.

℟. Beátus homo, p. 220.

Lectio iij. Cap. 24.

ERue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad intéritum, liberáre ne cesses. Si díxeris: Vires non súppetunt: qui inspéctor est cordis, ipse intélligit, & Servatórem ánimæ tuæ nihil fallit, reddétque hómini juxta ópera sua. Cómede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcíssimum gútturi tuo: sic & doctrína sapiéntiæ ánimæ tuæ: quam cùm invéneris, habébis in novíssimis spem, & spes tua non períbit Ne insidiéris, & quæras impietátem in domo justi, neque vastes réquiem ejus. Sépties enim cadet justus, & resúrget: ímpii autem córruent in malum. Cùm cecíderit inimícus tuus, ne gáudeas: & in ruína ejus ne exultet cor tuum; ne fortè vídeat Dóminus, & displíceat ei, & áuferat ab eo iram suam.

℟. Da mihi, pag. 220.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An. 1584. tit. de Simon. c. 2. c. 2.*

BEnefícia prétio obtenta, & in confidéntiam seu custódiam occultè aut apertè trádita, ipso jure vacent: qui percípiunt eórum fructus, suos non fa-

ciant, sed ad restitutiónem teneantur.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 25.

NE gloriósus appáreas coram rege, & in loco magnórum ne stéteris. Mélius est enim ut dicátur tibi: Ascende huc, quàm ut humiliéris coram príncipe. Quæ vidérunt óculi tui, ne próferas in júrgio citò: ne emendáre non possis, cùm dehonestáveris amícum tuum. Causam tuam tracta cum amíco tuo, & secrétum extráneo ne revéles: ne fortè insultet tibi cùm audíerit, & exprobráre non cesset. Grátia & amicítia líberant: quas tibi serva, ne exprobrábilis fias.

Lectio ij. Cap. 29.

ERudi fílium tuum, & refrigerábit te, & dabit delícias ánimæ tuæ. Cùm prophetía defécerit, dissipábitur pópulus: qui verò custódit legem, beátus est. Servus verbis non potest erudíri: quia quod dicis intélligit, & respondére contemnit. Vidisti hóminem velócem ad loquendum? stultítia magis speranda est, quàm illíus corréptio. Qui delicátè à pueritia nutrit servum suum, pósteà séntiet eum contumácem. *Vir iracundus próvocat* rixas: & qui ad indignandum fácilis est, erit ad peccandum proclívior. Superbum séquitur humílitas: & húmilem spíritu suscípiet glória.

Lectio iij. Cap. 30.

VIsio quam locútus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortátus ait: Stultíssimus sum virórum, & sapiéntia hóminum non est mecum. Non dídici sapiéntiam, & non novi sciéntiam sanctórum. Quis ascendit in cœlum atque descendit? quis contínuit spíritum in mánibus suis? quis colligávit aquas quasi in vestimento? quis suscitávit omnes términos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen fílii ejus, si nosti? Omnis sermo Dei ignítus: clypeus est sperántibus in se. Ne addas quidquam verbis illíus, & arguáris, inveniaríſque mendax. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequàm móriar. Vanitátem & verba mendácia longè fac à me. Mendicitátem & divítias ne déderis mihi; tríbue tantùm víctui meo necessária; ne fortè satiátus illíciar ad negandum, & dicam: Quis est Dóminus? aut egestáte compulsus fúrer, & perjúrem nomen Dei mei.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *tit. de Simoniac. num.* 9.

SAcerdótes qui de prétio paciscuntur ut Missas célebrent; & Parœci qui, pro Sacramentórum administratióne, vel fúnere, vel sepultúris, áliquid éxigunt præter ea quæ de jure, lege, vel consuetúdine laudábili conferuntur, habeantur simoníaci: non autem, si sponte oblata recípiant.

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Cùm esset sapientíssimus Ecclesiastes, dócuit pópulum, & conscripsit sermónes rectíssimos, ac veritáte plenos. *Eccl.* 12.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XVI. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 1.

VErba Ecclesiastæ filii David, regis Jerúsalem. Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiastes: vánitas vanitátum, & ómnia vánitas. Quid habet ámpliùs homo de universo labóre suo quo labórat sub sole? Generátio prætérit, & generátio ádvenit: terra autem in ætérnum stat. Oritur sol, & óccidit, & ad locum suum revértitur; ibíque renascens, gyrat per Merídiem, & fléctitur ad Aquilónem: lustrans univérsa, in circúitu pergit spíritus, & in círculos suos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde éxeunt flúmina, revertuntur, ut iterùm fluant.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

CUnctæ res difficiles: non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sǽculis quæ fuérunt ante nos. Non est priórum memória: sed nec eórum quidem, quæ póstea futúra sunt, erit recordátio apud eos qui futúri sunt in novíssimo.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

EGo Ecclesiastes fui rex Israel in Jerúsalem, & propósui in ánimo meo quærere & investigáre sapienter de ómnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit

Deus fíliis hóminum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vánitas, & afflíctio spíritûs. Perversi diffícilè corriguntur, & stultórum infinítus est númerus. Locútus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapiéntiâ qui fuérunt ante me in Jerúsalem: & mens mea contempláta est multa sapienter: & dídici, dedíque cor meum, ut scirem prudéntiam atque doctrínam, errorésque & stultítiam: & agnóvi quòd in his quoque esset labor, & afflíctio spíritus: eò quòd in multa sapiéntia multa sit indignátio; & qui addit sciéntiam, addit & labórem.

℟. Da mihi, pag. 220.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Serm. 2. contra Concubin. tom. 4. edit. Paris. 1621.

Lectio iv.

SAlomon, cùm seculárium rerum concupiscéntiâ teneretur, magnas eas & admirandas putábat, multúmque in eis labóris & sollicitúdinis insumébat; magníficas domos ædificando, aurum immensum coacervando, congregando cantórum choros, comparando vária génera ministrórum mensæ & popínæ, quærendo ánimæ suæ voluptátem ab hortórum & córporum formosórum grátiâ; & omnem, ut ita dicam, oblectatiónis & refrigérii viam sectando. At ubi indè ad se reversus, & quasi ex umbrósa quadam abysso ad lumen veræ sapiéntiæ respícere váluit; tunc sublímem illam & cœlis dignam emísit vocem: Vánitas vanitátum, & omnia vánitas. Hanc & vos, & hâc sublimiórem, si voluéritis, efferétis senténtiam de intempestíva hac voluptáte, si aliquantisper à mala consuetúdine vos sejunxéritis.

℟. Ne despícias, pag. 221.

Lectio v.

QUamvis autem à Salomóne séculis superióribus non tam multa sapiéntiæ exigebátur diligéntia: neque enim delícias lex vetus prohibébat, neque áliis frui supervácuis dicébat esse vanum: áttamen & sic se habéntibus rebus, in ipsis contuéri lícuit quàm viles & vanitáti obnóxiæ res essent. Nos verò ad majórem vocáti vitam, & ad excelléntius fastígium a-

scéndimus, & in majóribus exercémur palæstris: & quid áliud quàm, sicut supernæ Virtútes intellectuáles & incorpóreæ illæ, vitam instituere jubémur?

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio vj.

ITaque, licèt parva voluptas sit, opponátur ei vermis perpétuus, ténebræ exterióres, ignis inextinguíbilis, tribulátio, angústia, stridor déntium, víncula insolubília. Hæc sicut in tábula proponámus ante óculos, resiliamúsque à pernicióso graviſſimóque morbo, ut cum fulgéntibus corónis hinc migrémus, & possímus líbero ore ad Christum dícere: Propter te & glóriam tuam, & familiaritátes contémpsimus, & voluptáti imperávimus, & ánimam nostram afflíximus, & ejécimus amícas, & te amorémque tuî rebus ómnibus præposúimus. Sic enim lucrábimur nosmetipsos, lucrábimur eos qui scandalizantur, & cum ipsis Martyribus collocábimur, primóque in órdine eórum qui hoc máximo certámine vicérunt, & fórtiter cruciátus tulérunt.

℟. Bono ánimo, *p.* 222.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore: Cùm intráret Jesus in domum cujusdam príncipis Pharisæórum, Sábbato, manducáre panem; & ipsi observábant eum. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 37. *in Cant.* §. 7.

NOli te, homo, comparáre majóribus, noli minóribus, noli alíquibus, noli uni. Quid scis enim, ô homo, si unus ille quem fortè ómnium vilíſſimum atque misérrimum réputas, cujus vitam sceleratíſſimam ac singuláriter fœdíſſimam horres, & proptérea illum putas spernendum, non modò præ te qui fortè jam sóbriè, & justè, & piè vívere te confidis, sed étiam præ céteris ómnibus scelerátis tanquam ómnium sceleratíſſimum: quid scis, inquam, si mélior & te & illis mutatióne déxteræ Excelsi in se quidem futúrus sit, in Deo verò jam sit? Et proptéreà Christus non medíocrem, non vel penúltimum, non ipsum saltem inter novíſſimos elígere locum nos vóluit; sed Recumbe, inquit, in

novíssimo loco: ut solus vidélicet ómnium novíssimus sédeas, téque némini non dico præpónas, sed nec comparáre præsúmas.

℟. Cùm invitátus fúeris ad núptias, * Non discumbas in primo loco, ne fortè honorátior te sit invitátus, & qui te vocávit, dicat tibi: Da huic locum. ℣. Mélius est ut dicátur tibi: Ascende huc, quàm ut humiliéris. * Non discumbas. *Luc.* 14. *Prov.* 25.

Lectio viij. De diversis, Serm. 36. §. 4.

EA semper magìs attende quæ álius habet, tu non habes: quòd hæc cogitátio in humilitáte te custódiat, & à descensu tepiditátis elonget, magìs autem & accendat desidério proficiendi. Vide autem quanta è regióne mala cogitátio illa partúriat, quâ sédulè versas in ánimo quod tibi habére vidéris, & álterum quémpiam æstimas non habére. Hinc enim eleváris in supérbiam, dum te præpónis álteri: hinc profícere négligis, dum te magnum quémpiam arbitráris: hinc demùm íncipis & defícere, dum tibi altérius comparatióne, étiam nimìs egisse vidéris; sícque in tepiditátem íncidis, & íncipis remíssiùs ágere. Scimus autem, quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, * Et coram Deo invénies grátiam; quóniam † Magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. ℣. Tu fide stas: noli altum sápere, sed time. * Et coram Deo invénies grátiam. Glória Patri. † Magna poténtia. *Eccli.* 3. *Rom.* 11.

Lectio ix.

Serm. 2. pro Dom. I. Novembr. §. 3.

QUalem, putas, necesse est hóminem inveníri, qui repudiáti locum Angeli sortiátur? Planè immúnem ab omni iniquitáte, sed ab ea máximè quæ in ipso quoque Angelo non ad levem offensam, non ad momentáneam iram inventa est, sed ad ódium sempitérnum. Semel turbávit supérbia regnum illud, concussit muros, étiam prostrávit ex parte, & parte non módicâ. Quid ergo? Fácilè-ne deinceps admittenda vidétur? Numquid non odit cívitas illa, & veheménter hujúsmodi pestem abominátur? Certi

estóte, fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec homínibus parcitúrum. Non est contrárius sibi ipsi; non est personárum acceptor: simília sunt judicia ejus. Sola ei placet humílitas, sive in Angelo, sive in hómine.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Recumbe in novíssimo loco, ut qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascende supériùs: tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus. *Luc.* 14.

Oratio.

OMnípotens sempiterne Deus, qui supérbis resistis, & grátiam præstas humílibus; tribue, quæsumus, ut non indignatiónem tuam provocémus eláti, sed propitiatiónis tuæ capiámus dona subjecti; Per Dóminum nostrum.

C A N O N.

Ex Concílio Trecensi.

Ann. 1459. *libr.* 3. *fol.* 93.

INhibeant Sacerdótes suis Parochiánis, ne diébus Domínicis negótia seculária exérceant, sive núndinas, sive mercáta frequentent, propter quod à servítio divíno impediantur; sed ad Ecclésiam véniant, præcepta Ecclesiástica auditúri, ut sciant quáliter in hebdómada opórteat eos vívere, sicut Festa cólere, & jejúnia celebráre.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Jesus dixit ad legispetítos & Pharisæos: Si licet Sábbato curáre? At illi tacuérunt: ipse verò apprehensum sanávit hydrópicum, ac dimísit. *Luc.* 14.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 2.

DIxi ego in corde meo: Vadam & áffluam delíciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vánitas. Risum reputávi errórem: & gáudio dixi: Quid frustrà decíperis? Cogitávi in corde meo abstráhere à vino carnem meam, ut ánimum meum transferrem ad sapiéntiam, devitarémque stultítiam, donec vidérem quid esset útile fíliis hóminum: quo facto opus est sub sole, número diérum vitæ suæ.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

MAgnificávi ópera mea, ædificávi mihi domos, & plantávi víneas; feci hortos & pomária, & consévi ea cuncti géneris arbóribus, & extruxi mihi piscínas aquá-

rum, ut irrigárem silvam lignórum germinántium. Posséd servos & ancillas, multámque famíliam hábui, armenta quoque & magnos óvium greges, ultrà omnes qui fuérunt ante me in Jerúsalem. Coacervávi mihi argentum, & aurum, & substántias regum ac provinciárum: feci mihi cantóres & cantatríces, & delícias filiórum hóminum, scyphos & úrceos in ministério ad vina fundenda: & supergressus sum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúsalem.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

SApiéntia quoque persevérávit mecum. Et ómnia, quæ desideravérunt óculi mei, non negávi eis: nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, & oblectáret se in his quæ præparáveram: & hanc ratus sum partem meam, si úterer labóre meo. Cúmque me convertíssem ad universa ópera quæ fécerant manus meæ, & ad labóres in quibus frustrà sudáveram, vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi, & nihil permanére sub sole. *Transívi ad contemplandam sapiéntiam*, erroréśque & stultítiam. Quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factórem suum? Et vidi quòd tantùm præcéderet sapiéntia stultítiam, quantùm differt lux à ténebris.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. *de Ref. cap.* 1.

CUm præcepto divíno mandátum sit ómnibus quibus animárum cura commissa est, oves suas agnóscere, pro his sacrifícium offerre, verbíque divíni prædicatióne, Sacramentórum administratióne, ac bonórum ómnium óperum exemplo páscere, páuperum aliarúmque miserabílium personárum curam patérnam gérere, & in cétera múnia pastorália incúmbere; quæ ómnia nequáquam ab iis præstári & impléri possunt, qui gregi suo non invígilant neque assístunt, sed, mercenariórum more, déserunt: sacrosáncta Synodus eos ádmonet & hortátur ut, divinórum præceptórum mémores, factíque forma gregis, in judício & veritáte pascant & regant.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 3.

OMnia tempus habent, & suis spátiis tránseunt universa sub cœlo: Tempus nascendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantátum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi: tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lápides, & tempus colligendi: tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab ampléxibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi: tempus custodiendi, & tempus abjiciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi: tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectiónis, & tempus ódii: tempus belli, & tempus pacis.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio ij.

QUid habet ámpliùs homo de labóre suo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus fíliis hóminum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo, & mundum trádidit disputatióni eórum, ut non invéniat homo opus quod operátus est Deus ab inítio usque ad finem. Et cognóvi quòd non esset mélius nisi lætári, & fácere benè in vita sua. Omnis enim homo qui cómedit & bibit, & videt bonum de labóre suo; hoc donum Dei est.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio iij.

DIdici quòd ómnia ópera quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum: non póssumus eis quidquam áddere nec auferre, quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum est, ipsum pérmanet: quæ futúra sunt, jam fuérunt: & Deus instaurat quod ábiit. Vidi sub sole in loco judícii impietátem, & in loco justítiæ iniquitátem. Et dixi in corde meo: Justum & ímpium judicábit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 24. de Reform. cap. 17.*

QUóniam multi ímprobæ cupiditátis affectu seipsos, non Deum, decipientes; ea quæ benè constitúta sunt, váriis ar-

idere, & plura si-
eficia obtinére non
int: sancta Syno-
tam regendis Ec-
lisciplínam resti-
üpiens, præsenti
státuit ut in pó-
num tantùm bene-
Ecclesiásticum sín-
onferátur. Quod
, si ad vitam ejus
ertur, honestè suf-
am non sufficiat, lí-
ilóminùs áliud sim-
ficiens, dúmmodò
ue personálem resi-
i non requírat, eí-
nferri.

I A QUARTA.
ibro Ecclesiastæ.

ctio j. Cap. 4.

ti me ad ália, & vi-
calúmnias quæ sub
runtur, & lácrymas
itium, & néminem
tórem: nec posse
e eórum violéntiæ
um auxílio destitú-
audávi magis mór-
quàm viventes: &
em utróque judicá-
necdùm natus est,
dit mala quæ sub
unt. Rursùm con-
tus sum omnes la-
hóminum, & indú-
animadverti patére
e próximi: & in hoc
ánitas, & cura su-
i est.

Vánitas vanitátum,
?.

Lectio ij.

STultus cómplicat manus suas, & cómedit carnes suas, dicens: Mélior est pugillus cum réquie, quàm plena útraque manus cum labóre, & afflictióne ánimi. Consíderans réperi & áliam vanitátem sub sole: Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laboráre non cessat, nec satiantur óculi ejus divítiis: nec recógitat, dicens: Cui labóro, & fraudo ánimam meam bonis? In hoc quoque vánitas est, & afflíctio péssima.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

MElius est ergò duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum societátis suæ: si unus cecíderit, ab áltero fulciétur. Væ soli; quia cùm cecíderit, non habet sublevantem se. Et si dormíerint duo, fovebuntur mútuò: unus quómodò calefíet? Et si quíspiam prævalúerit contra unum, duo resistunt ei: funículus triplex difficilè rúmpitur. Mélior est puer pauper & sápiens rege sene & stulto, qui nescit prævidére in pósterum; quòd de cárcere catenísque interdùm qui

egrediátur ad regnum; & álius natus in regno, inópiâ consumátur.

℟. Da mihi, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *tit. de Breviar. num.* 2.

QUisquis Benefícium áliquod Ecclesiásticum adeptus est, sive cum cura, sive sine cura, & quisquis sacris Ordínibus est initiátus, sciat se ad preces quotidiánas, quæ Breviário continentur, recitandas obligári: quas si omíserit, legítimo cessante impedimento, fructus beneficii pro rata parte omissiónis amittat; &, si eos recéperit, restitutióni se sciat obnóxium.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 5.

NE témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermónem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram: ídcircò sint pauci sermónes tui. Multas curas sequuntur sómnia, & in multis sermónibus inveniétur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moréris réddere; díslplicet enim ei infidélis & stulta promíssio: sed quodcumque vóveris, redde; multóque mélius est non vovére, quàm post votum promissa non réddere.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio ij.

NE déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est providéntia; ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum. Ubi multa sunt sómnia, plúrimæ sunt vanitátes, & sermónes innúmeri: tu verò Deum time. Si víderis calúmnias egenórum, & violenta judícia, & subverti justítiam in província, non miréris super hoc negótio: quia excelso excélsior est álius, & super hos quoque eminentióres sunt álii, & ínsuper universæ terræ Rex ímperat servienti.

℟. Oculi, *pag.* 222.

Lectio iij.

AVárus non implébitur pecúniâ; & qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis: & hoc ergo vánitas. Ubi multæ sunt opes, multi & qui cómedunt eas. Et quid prodest possessóri, nisi quod cernit divítias óculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parùm, sive multùm cómedat;

cómedat: satúritas autem dívitis non sinit eum dormíre. Est & ália infírmitas péssima quam vidi sub sole: divítiæ conservátæ in malum dómini sui: péreunt enim in afflictióne pěssima: generávit fílium, qui in summa egestáte erit. Sicut egressus est nudus de útero matris suæ, sic revertétur, & nihil áuferet secum de labóre suo.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *Ann.* 1528. *decr. Mor.* 19.

ADmonémus Beneficiátos, & álios in sacris Ordínibus constitútos, qui ad Horas Canónicas tenentur, ut, si oratiónes suas Deo acceptas fore cúpiunt, non in gútture, vel inter dentes, seu degluttiendo, aut syncopando dictiónes, vel collóquia, aut risus intermiscendo; sed sive soli, sive associáti, diurnum nocturnúmque Offícium reverenter verbísque distinctis pérgant; ac tali in loco unde à devotióne non retrahantur.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 6.

EST & áliud *malum, quod vidi sub sole, & quidem* frequens apud hómines. Vir, cui dedit Deus divítias, & substántiam, & honórem, & nihil deest ánimæ suæ ex ómnibus quæ desíderat; nec tríbuit ei potestátem Deus ut cómedat ex eo, sed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas & miséria magna est. Si genúerit quíspiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit, & ánima illíus non utátur bonis substántiæ suæ, sepulturáque cáreat: de hoc ego pronúntio quòd mélior illo sit abortívus. Frustrà enim venit, & pergit ad ténebras, & oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognóvit distántiam boni & mali; etiamsi duóbus míllibus annis víxerit, & non fúerit perfrúitus bonis, nonne ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus; sed ánima ejus non implébitur.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 7.

QUid necesse est hómini majóra se quærere, cùm ignóret quid condúcat sibi in vita sua, número diérum peregrinatiónis suæ & témpore quod velut umbra præ-

terit? Aut quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Mélius est nomen bonum, quàm unguenta pretiósa; & dies mortis die nativitátis. Mélius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convívii: in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, & vivens cógitat quid futúrum sit. Mélior est ira risu: quia per tristítiam vultûs corrígitur ánimus delinquentis. Cor sapiéntium ubi tristítia est; & cor stultórum ubi lætítia. Mélius est à sapiente córripi, quàm stultórum adulatióne décipi; quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc vánitas. Calúmnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illíus.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij. Cap. 8.

DEdi cor meum in cunctis opéribus quæ fiunt sub sole. Interdùm dominátur homo hómini in malum suum. Vidi ímpios sepultos, qui étiam cùm adhuc víverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitáte quasi justórum óperum; sed & hoc *vánitas* est. Etenim quia non profertur citò contra malos senténtia, absque timóre ullo fílii hóminum pérpetrant mala: áttamen peccátor ex eo quòd cénties facit malum, & per patiéntiam sustentátur, ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum, qui verentur fáciem ejus. Non sit bonum ímpio, nec prolongentur dies ejus; sed quasi umbra tránseant qui non timent fáciem Dómini. Est & ália vánitas quæ fit super terram. Sunt justi quibus mala provéniunt, quasi ópera égerint impiórum: & sunt ímpii qui ita secúri sunt, quasi justórum facta hábeant: sed & hoc vaníssimum júdico.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

Ann. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

SAcerdos Cleicúsve sacris initiátus, aut Ecclesiásticum Beneficium óbtinens, Horárum Canonicárum Officio cùm astrictus sit, memínerit, se febri morbóve áliquo, vel adversâ valetúdine léviter aliquandò laborantem, non justam proptéreà excusatiónem habére, quámobrem illud intermittat, omittátve. Itaque si quandò córporis infirmitáte affectus est, ipse pro sua

conſciéntia rectè vídeat quid præſtáre poſſit, ac ne omittendo gráviter peccet, & Beneficii quod habet, fructus ſuos non fáciat.

SABBATO.

De libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. Cap. 9.

QUodcumque fácere poteſt manus tua, inſtanter operáre: quia nec opus, nec rátio, nec ſapiéntia, nec ſciéntia erunt apud ínferos quò tu próperas. Verti me ad áliud, & vidi ſub ſole nec velócium eſſe curſum, nec fórtium bellum, nec ſapiéntium panem, nec doctórum divítias, nec artíficum grátiam; ſed tempus caſúmque in ómnibus. Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves láqueo comprehenduntur, ſic capiuntur hómines in témpore malo, cùm eis extemplò ſupervénerit.

Lectio ij. Cap. 10.

BEáta terra cujus rex nóbilis eſt, & cujus príncipes veſcuntur in témpore ſuo ad reficiendum, & non ad luxúriam. In pigrítiis humiliábitur contignátio, & in infirmitáte mánuum perſtillábit domus. In riſum fáciunt panem, *& vinum, ut epulentur viventes; & pecúniæ* obédiunt ómnia. In cogitatióne tua, regi ne detrahas, & in ſecréto cubículi tui ne maledíxeris díviti: quia & aves cœli portábunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiábit ſenténtiam.

Lectio iij. Cap. 12.

VAnitas vanitátum! dixit Eccleſiaſtes, & ómnia vánitas! Cúmque eſſet ſapientíſſimus Eccleſiaſtes, dócuit pópulum, & enarrávit quæ fécerat: & inveſtígans compóſuit parábolas multas. Quæſívit verba utília, conſcripſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. Verba ſapiéntium ſicut ſtímuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrórum consílium data ſunt à paſtóre uno. His ámpliùs, fili mi, ne requíras. Faciendi plures libros nullus eſt finis: frequénſque meditátio carnis afflíctio eſt. Finem loquendi páriter omnes audiámus. Deum time, & mandáta ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium pro omni erráto, ſive bonum, ſive malum illud ſit.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi. *Ann.* 816. *Libr.* 1. *cap.* 132.

CUm timóre & veneratióne competentì

cœleste compleámus Offícium: ne si, quod absit, id negligenter, aut inhonestè, vel tépidè explevérimus, & ad perficiendum pigri advenérimus, in senténtiam quâ dícitur, Maledictus homo qui opus Dei fécerit negligenter, miserabíliter labámur.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D: Per sapiéntiam sanáti sunt quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. *Sap.* 9.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XVII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 1.

DIlígite justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in simplicitáte cordis quærite illum: quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: appáret autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitatiónes séparant à Deo: probáta autem virtus córripit insipientes. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

SPíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, & aúferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, & corripiétur à superveniente iniquitáte. Benignus est enim spíritus sapiéntiæ, & non liberábit malédicum à lábiis suis: quóniam renum illíus testis est Deus, & cordis illíus scrutátor est verus, & linguæ ejus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum; & hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua, non potest latére, nec prætériet illum corrípiens judícium.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

IN cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit: sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, & tumultus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos à murmuratióne quæ nihil prodest: & à detractióne párcite linguæ; quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit: os autem quod mentítur, occídit ánimam. Nolíte zeláre mortem in erróre vitæ vestræ, neque acquirátis perditiónem in opéribus mánuum vestrárum. Quóniam Deus

mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum.

℟. Da mihi, Dómine, 220.

IN II. NOCTURNO.

De Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Enarr. in Ps. 64. §. 8.

Lectio iv.

NOn prævaleant super te sermónes iniquórum. Domum Dei desidera, & bona ejus domûs desídera: sed noli tália, quália desideráre soles, vel in domo tua, vel in domo vicíni tui, vel in domo patróni tui. Aliud quiddam est bonum domûs illíus. Quid opus est ut nos dicámus quæ sint bona illíus domûs? Ipse índicet qui cantat éxiens de Babylónia: Replébimur in bonis domûs tuæ: Quæ sunt bona ista? Erexerámus fortasse cor ad aurum, ad argentum, & cétera pretiósa: noli tália quærere; ista premunt, non levant.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio v.

HIc ergo jam bona illa Jerúsalem, bona illa domûs Dómini, bona illa templi Dómini meditémur: quia *quæ domus Dómini, hoc ipsum templum Dómini.* Replébimur in bonis domûs tuæ: sanctum templum tuum, mirábile in justítia. Ista sunt bona domûs illíus. Non dixit: Templum sanctum tuum, mirábile in columnis, mirábile in marmóribus, mirábile in tectis aurátis; sed: Mirábile in justítia. Habes foris óculos unde vídeas mármora & aurum: intùs est óculus undè videátur pulchritúdo justítiæ.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio vj. Post pauca.

QUædam ergo est pulchritúdo justítiæ, quam vidémus óculo cordis, & amámus, & exardéscimus: quam multùm dilexérunt hómines in ipsis Martyribus, cùm eórum membra béstiæ laniárent. Nonne cùm sanguis fœdáret ómnia, cùm mórsibus bellúinis víscera funderentur, non habébant óculi nisi quod horrérent? Quid ibi erat quod amarétur, nisi quia erat in illa fœditáte dilaniatórum membrórum íntegra pulchritúdo justítiæ? Ista sunt bona domûs Dei: his te para satiári. Sed ut indè satiéris cùm pervéneris, hoc te oportet esuríre, & sitíre cùm peregrináris hoc siti, hoc ésuri; qui

ipsa erunt bona Dei. Audi illum Regem cui ista dicuntur, qui venit ut te redúcat, & se tibi fecit viam. Quid dicit? Beáti qui esúriunt & sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabuntur. Sanctum templum tuum, admirábile in justítia. Et ipsum templum, fratres, nolíte præter vos cogitáre. Amáte justítiam, & vos estis templum Dei.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore: Pharisæi audientes quòd siléntium imposuisset Jesus Sadducæis, convenérunt in unum: & interrogávit eum unus ex eis legis Doctor tentans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 34. *Aliàs Serm.* 2. *de divers.*

QUod est, putámus, prétium caritátis? Undè invenítur prétium ejus? Prétium trítici, nummus tuus; prétium fundi, argentum tuum; prétium *margarítæ*, aurum tuum: *prétium* caritátis, tu. Quæris ergo undè possídeas fundum, gemmam, jumentum? fundum quæris, undè emas, & quæris apud te. Si vis autem habére caritátem, quære te, & ínveni te. Quid enim times dare te, ne consúmas te? Imò si te non déderis, perdis te. Ipsa cáritas per Sapiéntiam lóquitur, & dicit tibi áliquid, undè non expavescas quod dictum est: Da teipsum. Si quis enim vellet tibi fundum véndere, díceret tibi: Da mihi aurum tuum; & si quis áliud áliquid: Da mihi nummum tuum, da mihi argentum tuum. Audi quid tibi dicat ex ore Sapiéntiæ cáritas: Da mihi, fili, cor tuum.

℟. Deus cáritas est: & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo. * Nos diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. ℣. Factus est salvátor: in dilectióne sua & in indulgéntia sua ipse redémit. * Nos diligámus Deum.

I. Joann. 4. *Is.* 63.

Lectio viij.

DA mihi, inquit: quid? fili, cor tuum. Malè erat, quandò à te erat, quandò tibi erat: per nugas enim & amóres lascívos perniciosósque trahebáris. Tolle indè. Ubi trahis? ubi ponis? Da mihi, inquit, cor tuum: sit mihi, & non

perit tibi. Vide enim, si áliquid vóluit dimíttere in te, undè ames vel te, qui tibi dicit: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua. Quid rémanet de corde tuo, undè díligas teipsum? quid de ánima tua? quid de mente tua? Ex toto, inquit. Totum éxigit te, qui fecit te. Sed noli tristis esse, quasi nihil undè gáudeas, remáneat in te. Lætétur Israel, non in se, sed in eo qui fecit eum.

℟. Fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. * Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. ℣. Nunc manent, fides, spes, cáritas: tria hæc; major autem horum est cáritas. * Si déderit. Glória. * Si déderit homo. *Cant.* 8. *I. Cor.* 13.

Lectio ix. §. 8.

RESpondébis, & dices: Si nihil mihi remansit, undè díligam me; quia ex toto corde, & ex tota ánima, & ex tota mente júbeor dilígere eum qui fecit me; quómodò secundo præcepto júbeor dilígere próximum tamquam me? Hoc *est magis undè debes ex toto corde*, & ex tota ánima, & ex tota mente próximo. Quómodò? Díliges próximum tuum tanquam teipsum. Deum ex toto me: próximum sicut me. Undè me, undè te? Vis audíre undè díligas te? Ex hoc díligis ex toto te. Putas enim Deo profícere, quòd díligis Deum? & quia díligis Deum, Deo áliquid accédit? & si tu non díligas, minùs habébit? Cùm díligis, tu próficis: tu ibi eris ubi non peris. Sed respondébis, & dices: Quandò enim non diléxi me? Prorsùs non diligébas te, quandò Deum non diligébas qui fecit te. Sed cùm odísses te, putábas quòd amáres te. Qui enim díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Ad Bened. *Ant.* 4. f. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei. Timor Dei inítium dilectiónis ejus. *Eccli.* 25.

Oratio.

DEus, qui diligéntibus te, bona invisibília præparasti, infunde córdibus nostris tui amóris afféctum, ut, te in ómnibus & super ómnia diligentes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

Ann. 1549. *cap.* 61.

SAnctórum celebritátes in diem Domínicam incidentes, censémus submovendas, & in Fériam áliquam præcedentem, vel sequentem transferendas, quò Sanctórum ómnium Dómino sua consfervétur solémnitas; exceptis beátæ Maríæ, Apostolórum, & áliis summis Festivitátibus.

Ad Magníf. *Ant.* 8. c. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota ánima tua, & in tota mente tua. Hoc est máximum & primum mandátum. *Matth.* 22.

FERIA SECUNDA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 4.

JUstus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est non diuturna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis; & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in Sanctos ejus, & respectus in eléctos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juventus celériùs consummáta longam vitam injusti.

℟. Vánitas vanitátum, pag. 220.

Lectio ij. Cap. 5.

STabunt justi in magna constántia adversùs eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Videntes turbabuntur timóre horríbili, & mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis, dicentes intra se, pœniténtiam agentes, & præ angústia spíritûs gementes: Hi sunt quos habúimus aliquandò in derísum, & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, & finem illórum sine honóre: ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, & inter

Sanctos sors illórum est.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

ERgo errávimus à via veritátis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligéntiæ non est ortus nobis. Lassáti sumus in via iniquitátis & perditiónis, & ambulávimus vias difficiles; viam autem Dómini ignorávimus. Quid nobis prófuit supérbia? aut divitiárum jactántia quid cóntulit nobis? Transiérunt ómnia illa tanquam umbra, & tanquam núntius percurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cùm præteríerit, non est vestígium inveníre, neque sémitam carínæ illíus in flúctibus.... Tália dixérunt in inferno hi qui peccavérunt.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

Ann. 1579. *part.* 3. *tit.* 6.

UNusquisque vel Canónicus, vel álius Minister, quicumque sit, qui Chori Offíciis astrictus est, ad Chori disciplínam sese instruat. Antea verò quàm eò convéniat, páululùm attentè secum *cógitet, & loci illíus sanctitátem*, & conveniendi causam, & divinárum laudum quarum munus Angelórum est, Offícia, quæ castíssimè ab ómnibus concelebrári oportet.

FERIA TERTIA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 6.

MElior est sapiéntia quàm vires, & vir prudens quàm fortis. Audíte ergo, Reges, & intellígite: díscite, Júdices fínium terræ. Præbéte aures, vos qui continétis multitúdines, & placétis vobis in turbis natiónum: quóniam data est à Dómino potestas vobis, & virtus ab Altíssimo qui interrogábit ópera vestra, & cogitatiónes scrutábitur: quóniam cùm essétis minístri regni illíus, non rectè judicastis, nec custodístis legem justítiæ, neque secundùm voluntátem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparébit vobis, quóniam judícium duríssimum his qui præsunt, fiet.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio ij.

EXíguo enim concéditur misericórdia: potentes autem potenter torménta patientur. Non enim subtrahet persónam cujusquam Deus, nec verè-

tur magnitúdinem cujusquam: quóniam pusillum & magnum ipse fecit, & æquáliter cura est illi de ómnibus. Fortióribus autem fórtior instat cruciátio. Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam, & non excidátis. Qui enim custodíerint justa justè, justificabuntur: & qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, & habébitis disciplínam.

℞. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio iij.

CLara est, & quæ nunquam marcescit sapiéntia, & fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam: præóccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior osténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: assidentem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa sensus est consummátus; & qui vigiláverit propter illam, citò secúrus erit. Quóniam dignos seipsâ circuit quærens, & in viis ostendit se illis hiláriter, & in omni providéntia occurrit illis: inítium enim illíus veríssima est disciplínæ concupiscéntia. Cura ergo disciplínæ diléctio est; & diléctio custódia legum illíus est; custodítio autem legum, consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo. Concupiscéntia ítaque sapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum.

℞. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Trevirensi secundo.

Ann. 1549. *tit.* 6.

NOn clamans, sed ámans cantat in aure Dei: audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum oris contemnit. Quare videndum est ut qui spíritu psallunt, & mente psallant.

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.

EGo natus accépi commúnem áerem, & in similiter factam décidi terram, & primam vocem símilem ómnibus emisi plorans. In involumentis nutrítus sum, & curis magnis: nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus est mihi sensus: & invocávi, & venit in me

spíritus sapiéntiæ : & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illius. Nec comparávi illi lápidem pretiósum ; quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua ; & tanquam lutum æstimábitur argentum in conspectu illíus. Super salútem & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam ; quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℞. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus : & lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia ; & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus : quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur : quóniam *ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium e*mendátor. In manu enim illíus & nos, & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia & disciplína.

℞. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

QUæcumque sunt abscónsa & improvísa dídici ; ómnium enim artífex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, súbtilis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, & qui cápiat omnes spíritus : intelligíbilis, mundus, súbtilis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia : attíngit autem ubíque propter suam munditiam. Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra : & ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit. Candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine mácula Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus. Et cùm sit una, ómnia potest : & in se pérmanens ómnia ínnovat, & per natiónes in ánimas sanctas se tran-

fert, ámicos Dei & Prophétas constítuit. Néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntia inhábitat.

℟. Da mihi, Dómine, pag. 220.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

Ann. 1579. *part.* 3. *tit.* 6.

CLerus, cùm psallendum est, primùm Psálmi argumentum mente animóque concípiat; obsérvet prætéreà, quis in Psalmo loquátur: an Deus, an Ecclésia, an pœnitens, an aspírans ad perfectiónem. Attendat item, ad quem præcípuè salutárem affectum Psalmus referátur. Cùm ita se religiósè paràrit, magnâ ánimi attentióne se ad verba sententiásque Psalmi accómmodet, ita ut laudet, gemat, extiméscat, sicut Psalmórum voces índicant.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 8.

ATtingit (Sapiéntia) à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, & exquisívi à juventúte mea, & quæsívi sponsam mihi eam assúmere, & amátor *factus* sum formæ illíus. *Generositátem* illíus *glorificat*, contubérnium habens Dei: sed & ómnium Dóminus dilexit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetuntur in vita, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt, magìs quàm illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim, & prudéntiam docet, & justítiam, & virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Ne despícias, pag. 221.

Lectio ij.

PRopósui ergo hanc addúcere mihi ad convivendum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud senióres júvenis: & acútus invéniar in judício, & in conspectu poténtium admirábilis ero, & fácies príncipum mirabuntur me: tacentem me sustinébunt, & loquentem me respícient, & sermocinante me plura, manus ori suo impónent. Prætéreà habébo per hanc, immortalitátem: & memóriam ætérnam, his qui

post me futúri sunt, relinquam.

℟. Oculi Dómini, pag. 222.

Lectio iij.

INtrans in domum meam, conquiéscam cum illa: non enim habet amaritúdinem convérsátio illíus, nec tædium convíctus illíus; sed lætítiam & gáudium. Hæc cógitans apud me, & commémorans in corde meo: quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honéstas sine defectióne, & in certámine loquélæ illíus sapiéntia, & præclá-ritas in communicatióne sermónum ipsíus: circuíbam quærens ut mihi illam assúmerem.

℟. Bono ánimo, pag. 222.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816 *libr.* 1. *cap.* 137.

PSalmi in Ecclésia non cursim, & excelsis atque inordinátis seu intemperátis vócibus, sed planè ac dilúcidè, & cum compunctióne cordis reciténtur: ut & recitántium mens illórum dulcédine pascátur; & audiéntium aures illórum *pronuntiatióne* demulceantur.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 8. & 9.

UT scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiéntiæ scire cujus esset hoc donum; ádii Dóminum, & deprecátus sum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine misericórdiæ, qui fecisti ómnia verbo tuo, & sapiéntiâ tuâ constituisti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte & justítiâ, & in directióne cordis judícium júdicet; da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: quóniam servus tuus sum ego, & fílius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Vánitas vanitátum, pag. 220.

Lectio ij.

TU elegisti me regem pópulo tuo, & júdicem filiórum tuórum & filiárum; & dixisti me ædi-

ficáre templum in monte sancto tuo, & in civitáte habitatiónis tuæ altáre, similitúdinem tabernáculi sancti tui, quod præparasti ab inítio: & tecum sapiéntia tua quæ novit ópera tua, quæ & áffuit tunc cùm orbem terrárum fáceres, & sciébat quid esset plácitum óculis tuis, & quid diradded in præceptis tuis; mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit & mecum labóret, ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa ómnia & intélligit: & dedúcet me in opéribus meis sóbriè, & custódiet me in sua poténtia. Et erunt accepta ópera mea, & dispónam pópulum tuum justè, & ero dignus sédium patris mei.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij. 11. & 12.

TAnquam momentum statéræ, sic est ante te orbis terrárum, & tanquàm gutta roris antelucáni quæ descendit in terram. Sed miseréris ómnium, quia ómnia potes, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam. Díligis enim ómnia quæ sunt, & nihil odísti eórum quæ fecísti: nec enim ódiens áliquid constituísti, aut fecísti.

Quómodò autem áliquid permanére voluisses? aut qu vocátum non esset, varétur? Parcis aut nibus; quóniam tu Dómine, qui am mas. O quàm bonu vis est, Dómine, tuus in ómnibus! I eos qui exerrant, p córripis: & de quil cant, ádmones & a ris; ut, relictâ malí dant in te, Dómin

℟. Da mihi, D *pag.* 220.

CANO

Ex Concílio Tre secundo.

Ann. 1549. *tit*

OMnes qui Hc nónicis persc deputáti sunt, dent ut, collectis ánimis fieri potest, débit sum absolvant, n hábeant, ut, du psallunt, quidquic quàm Deum, ánin táre videantur.

SABBAT

De libro Sapié

Lectio j. Cap.

VAni sunt om mines in quil subest sciéntia Dei his quæ videntur bo potuérunt intellig qui est, neque opé tendentes agnovér esset ártifex; sed a

aut spíritum, aut citátum áerem, aut gyrum stellárum, aut solem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectári deos putavérunt; sciant quantò his dominátor eórum speciósior est; speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. Aut si virtútem, & ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi & creatúræ, cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri.

Lectio ij.

SEd tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus conversentur, inquírunt; & persuásum habent quóniam bona sunt quæ videntur. Iterùm autem nec his debet ignosci. Si enim tantùm potuérunt scire, ut possent æstimáre sǽculum: quómodò hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem sunt, & inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argentum, artis inventiónem, & similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

Lectio iij. Cap. 14. & 15.

ET hæc fuit vitæ humánæ decéptio: quóniam aut afféctui, aut régibus deservientes hómines, incommunicábile nomen lápidibus & lignis imposuérunt. Et non suffécerat errasse eos circa Dei sciéntiam, sed & in magno viventes insciéntiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim fílios suos sacrificantes, aut obscúra sacrifícia faciéntes, aut insániæ plenas vigílias habentes, neque vitam, neque núptias mundas jam custódiunt, sed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contristat: & ómnia commixta sunt, sanguis & homicídium, furtum & fíctio, corrúptio & infidélitas, turbátio & perjúrium, tumultus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mœchiæ & impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra omnis mali causa est, & inítium & finis... Tu autem, Deus noster, suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinem tuam: & si non peccavérimus, scimus

quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te consummáta justítia est; & scire justítiam, & virtútem tuam, radix est immortalitátis.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

Ann. 1565. *part.* 2. *tit.* 51.

CAntus & soni graves sint, pii ac distincti, & dómui Dei ac divínis láudibus accommodáti: ut símul & verba intelligantur, & ad pietátem auditóres excitentur. Cantóres, ubi fieri potest, Clérici sint: omnínò autem in Choro Clericálibus véstibus & superpellíceo utantur.

Ad Magnif. *Ant.* 1. a. Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit Jesus filius Sirach. Beátus, qui in istis versátur bonis: si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit; quia lux Dei vestígium ejus est. *Eccli.* 50.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XVIII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies séculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapiéntiam Dei præcedentem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, & intellectus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excelsis; & ingressus illíus mandáta ætérna. Radix sapiéntiæ cui reveláta est, & astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est, & manifestáta? & multiplicatiónem ingressûs illíus quis intellexit? Unus est Altíssimus, Creátor omnípotens & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illíus, & dóminans Deus. Ipse creávit illam in Spíritu sancto: & vidit, & dinumerávit, & mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligéntibus se.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

TImor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gáudium, & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum benè erit in extrémis, & in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis

sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne, & in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, & cum fidélibus in vulva concreátus est: cum eléctis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. Timor Dómini sciéntiæ religiósitas: religiósitas custódiet, & justificábit cor, jucunditátem atque gáudium dabit. Timénti Dóminum benè erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

PLenitúdo sapiéntiæ est timére Deum, & plenitúdo à frúctibus illíus. Omnem domum illíus implébit à generatiónibus: & receptácula à thesauris illíus. Coróna sapiéntiæ timor Dómini, replens pacem, & salútis fructum: & vidit, & dinumerávit eam: utraque autem sunt dona Dei. Sciéntiam, & intelléctum prudéntiæ, sapiéntia compatiétur: & glóriam tenéntium se exaltat. Radix sapiéntiæ est timére Dóminum; & rami illíus longævi. In thesauris sapiéntiæ intelléctus, & sciéntiæ religiósitas: execrátio autem peccatóribus sapiéntia. Timor Dómini expellit peccátum: nam qui sine timóre est, non póterit justificári.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Libr. 1. *Cap.* 10.

SUnt nonnulli qui vitam suam négligunt; & dum transitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vel intelllecta contemnunt, nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt. Cúmque supérna quæ amisérunt, non consíderant; esse se (heu míseri) in bonis felíces putant. Nequáquàm enim ad veritátis lucem cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: nequáquàm ad contemplatiónem ætérnæ pátriæ desidérii áciem tendunt: sed semetipsos in his, ad quæ projécti sunt, deserentes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiuntur, & in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exultant.

℟. Ne despícias, *p.* 221.

Lectio v.

AT contrà electórum mentes dùm cuncta transitória nulla esse conspíciunt, ad quæ sunt cónditæ, exquírunt: cúmque eórum satisfactióni nihil

extra Deum sufficit: ipsâ inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in conditóris sui spe & contemplatióne requiescit; supernis intérseri cívibus áppetit: & unusquisque eórum adhuc in mundo, córpore pósitus, mente jam extra mundum surgit; ærumnam exílii quam tólerat, deplórat; & ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt, quàm sit æternum quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percurrit: & quò magis crescit consílii sciéntia, ut peritúra déserat; eò augétur dolor, quòd necdùm ad mansúra pertingat.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio vj. Post pauca.

INtuendum quoque est, quàm nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seipsos rerum evéntibus præcípites déferunt, nullo interìm cogitatiónum dolóre fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consílio figit mentem, cautè sese in omni actióne circumspiciendo consíderat: & ne ex re quæ ágitur, repentínus finis adversúsque surrípiat, hunc priùs mólliter pósito cogitatiónis palpat: [cut] sat ne ab his quæ a[cut] sunt, formído præpé[cut] ne in his quæ diffe[cut] sunt, præcipitátio i[cut] lat; ne prava per con[cut] céntiam aperto bello [cut] rent; ne recta per in[cut] glóriam insidiando [cut] plantent.

℟. Bono ánimo, 222.

IN III. NOCTU[RNO]

Léctio sancti Evan[gelii] secundùm Matthæ[um]

Lectio vij. Cap.

IN illo témpore: [A...] dens Jesus in na[vicu]lam, transfretávit, [ve]nit in civitátem sua[m] ecce offerébant ei p[araly]ticum jacentem in le[cto]: videns Jesus fidem il[lorum], dixit paralytico: Co[nfide] fili; remittuntur tibi [pecca]ta tua. Et réliqua.

Homília sancti P[etri] Chrysólogi.

Serm. 50. de Paral[ytico].

CHristus venit su[...] infirmitátes no[...] & suas nobis confer[...] tútes: humána qu[...] præstáre divína; a[...] injúrias, réddere d[...] tes; ferre tædia, ref[...] nitátes: quia médi[...] non fert infirmitát[...] ráre nescit; & qui n[...] rit cum infirmo inf[...]

infirmo non potest conferre sanitátem. Christus ergo, si in suis mansisset virtútibus, commúne cum homínibus nihil habéret; & nisi implesset carnis órdinem, carnis in illo esset otiósa suscéptio. Sustínuit ergo has necessitátes, ut homo verus humánis necessitátibus probarétur.

℟. Ecce viri portantes hóminem qui erat paralyticus, quærébant eum pónere ante Jesum; & * Non invenientes quâ parte illum inferrent præ turba, per tégulas summisérunt eum cum lecto in médium. ℣. Spes illórum in salvantem illos, & óculi Dei in diligentes se. * Non. *Luc.* 5. *Eccli.* 34.

Lectio viij. Paulò post.

QUandò médicus languéntium aut quærit, aut réspicit voluntátes, cùm semper contrária desíderet aut requírat infírmus? Hinc est quòd nunc ferrum, nunc ignem, nunc amára pócula íngerit, & appónit invítis, ut curam sani séntiant, quam non póterant sentíre ægrotantes. Et si homo injúrias déspicit, maledicta contemnit, ut sauciátis morbo sponte vitam cónferat & salútem: quantò magìs *Christus médicus bonitáte divínâ, morbis saúcios peccatórum*, & phrénesi críminum laborantes, ad salútem étiam invitos áttrahit & nolentes? O si velímus, fratres, ô si velímus omnem mentis nostræ parálysim pervidére! ánimam nostram virtútibus destitútam jacére in vitiórum stratis cernerémus: lucéret nobis, quemádmodùm Christus & nostras quotídie nóxias réspicit voluntátes, & ad salutária nos remédia pértrahit, & perurget invitos.

℟. Videns Jesus fidem illórum, dixit paralytico: * Confíde, fili; remittuntur tibi peccáta tua. ℣. Per misericórdiam & fidem purgantur peccáta. * Confíde. Glória. * Confíde. *Matth.* 9. *Prov.* 15.

Lectio ix.

FIli, inquit, remittuntur tibi peccáta tua. Hæc dicens, Deum se volébat intélligi, qui per hóminem óculis adhuc latébat humánis. Virtútibus enim & signis comparabátur Prophétis, qui per ipsum fécerant & ipsi virtútes: peccátis autem dare véniam quia penes hóminem non est, & est singuláre deitátis insigne, Deum illum pectóribus inserébat humánis. Probat hoc Pharisáicus livor: nam, cùm dixisset: Remittuntur tibi

peccáta tua, respondérunt Pharisæi : Hic blasphémat: quis enim potest peccáta remíttere nisi solus Deus? Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cùm testáris, impugnas: si Deus est qui remittit peccáta, cur tibi Christus Deus non est, qui uníus indulgéntiæ suæ múnere, totíus mundi probátur abstulisse peccáta? Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Ut autem possis majóra, cape ejus divinitátis insígnia: audi eum péctoris tui penetrasse secrétum: áspice eum ad cogitatiónum tuárum látebras pervenisse; intéllige eum cordis tui tácita nudáre consília.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Per Jesum vobis remíssio peccatórum annuntiátur: in hoc omnis qui credit, justificátur. *Act.* 13.

Oratio.

CONcéde, quæsumus, Dómine, pópulo tuo véniam peccatórum; ut quod méritis non præsúmit, indulgéntiæ tuæ céleri largitáte percípiat; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Frisingensi. *Ann.* 1440. *Cap.* 15.

MAndámus in virtúte sanctæ obediéntiæ, & vólumus omnes [illegible] dótes qui Paróchiis [illegible] sunt, síngulis diébus [illegible] mínicis, aquam & sa[illegible] nedícere, ac eosdem [illegible] cum toto Clero ad ips[illegible] cléfias spectante, [illegible] consuétis ante Miss[illegible] solémnia processioni[illegible] circumíre.

Ad Magníf. *Ant.* Ait Jesus paralytico: [illegible] ge, tolle lectum tuum [illegible] vade in domum tua[illegible] surrexit, & ábiit in do[illegible] suam. *Matth.* 9.

FERIA SECUN[illegible]

De libro Ecclesiást[illegible]

Lectio j. Cap. 1.

FIli, concupiscens [illegible] piéntiam, conser[illegible] stítiam, & Deus præ[illegible] illam tibi. Sapiéntia [illegible] & disciplína timor D[illegible] ni: & quod beneplá[illegible] est illi, fides, & mans[illegible] do, & adimplébit th[illegible] ros illíus. Ne sis incr[illegible] lis timóri Dómini: [illegible] accésseris ad illum dú[illegible] corde. Ne fúeris hyp[illegible] in conspectu hóminu[illegible] non scandalizéris in [illegible] tuis. Attende in illis [illegible] fortè cadas, & addúca[illegible] mæ tuæ inhonoratió[illegible] & revélet Deus abs[illegible] tua, & in médio syna[illegible] elídat te, quóniam a[illegible] sti malignè ad Dómi[illegible] & cor tuum plenum e[illegible] lo & fallácia.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 2.

FIli, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia, & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & sústine: inclína aurem tuam, & súscipe verba intellectûs: & ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, & sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe; & in dolóre sústine, & in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur argentum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & spera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráſce.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

REspícite, fílii, natiónes hóminum: & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelíctus est? aut quis invocávit eum, & despexit illum? Quóniam pius & miséricors *est Deus, & remittet in die tribulatiónis* peccáta, & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte... Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei: & qui díligunt eum, replebuntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, & in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, sic & misericórdia illíus cum ipso est.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *Libr.* 1. *Cap.* 137.

STudendum summópere Cantóribus est, ne donum sibi divínitùs collátum vítiis fœdent; sed pótiùs illud humilitáte, castitáte, sobrietáte & céteris sanctárum virtútum ornamentis exornent.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

QUi honórat patrem suum, vitâ vivet longióre: & qui obédit patri,

refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat parentes; & quasi dóminis sérviet his qui se genuérunt. In ópere & sermóne, & omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundamenta. Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patris sui: & dédecus filii pater sine honóre. Fili, súscipe senéctam patris tui, & non contristes eum in vita illíus: & si defécerit sensu, véniam da, & ne spernas eum in virtúte tuâ.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio ij.

FIli, in mansuetúdine ópera tua pérfice, & super hóminum glóriam dilígéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris; sed *quæ præcépit* tibi Deus, illa *cógita* semper, & in plúri*bus* opéribus ejus ne fúeris curiósus: non est enim tibi necessárium, ea quæ abscóndita sunt, vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multipliciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus: plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, & in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio iij.

COr durum habébit malè in novíssimo: & qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit succéssus: & pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, & peccátor adjíciet ad peccandum. Synagógæ superbórum non erit sánitas: frutex enim peccáti radicábitur in illis, & non intelligétur. Cor sapientis intélligitur in sapiéntia, & auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor, & intelligíbile abstinébit se à peccátis, & in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis: & Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in

pósterum, & in témpore casûs sui invéniet firmaméntum.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Burdigalensi. *Ann.* 1583. *tit.* 5.

AB omni Ecclesiástico cantu quævis música, lascívum quidpiam, & vulgáres cantilénas, aut levitátem, similésque inéptias réferens, omnínò arceátur: sed gravis ubique sit, & divínis láudibus accommodáta, ut eâ circumstántium fidélium ánimi ad majórem pietátem, devotiónem, ac religiónem ardescant.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4.

FIli, eleemósynam páuperis ne defraudes, & óculos tuos ne transvertas à páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris; & non exásperes páuperem in inópia sua. Cor inopis ne afflixeris, & non prótrahas datum angustianti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias; & non avertas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avertas óculos tuos propter iram: & non relinquas quæréntibus tibi retrò maledícere: *maledicentis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur* deprecátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, & presbytero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declina páuperi sine tristítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & responde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum qui injúriam pátitur, de manu supérbi: & non acídè feras in ánima tua. In júdicando esto pupíllis misericors ut pater, & pro viro matri illórum: & eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, & miserébitur tuî magìs quàm mater.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

FIli, conserva tempus, & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum: est enim confúsio addúcens peccátum, & est confúsio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem adversùs fáciem tuam, nec adversùs ánimam tuam mendácium. Ne reverearis próximum tuum in casu suo: nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo: in lingua enim sapiéntia dignóscitur: & sensus, & sciéntia, & doctrína v

verbo sensáti, & firmamentum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo: & de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

NOn confundáris confitéri peccáta tua, & ne subjicias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro justítia agonizáre pro ánima tua, & usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua, & inútilis & remissus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens doméſticos tuos, & ópprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

℟. Da mihi, Dómine, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Noviomensi. *Ann.* 1344. *cap.* 4.

HOc sacro approbante Concílio vólumus & ordinámus quòd per síngulas Ecclésias cujúslibet *civitátis* vel Diœcésis, tàm *Collegiátis* quàm áliis, *Ordinárius* seu usus divíni Officii, in modo officiandi qui in Ecclésiis Cathedrálibus obſervári consuévit & tenéri, inviolabíliter observétur.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 5.

NOli atténdere ad possessiónes iníquas: & ne díxeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui: & ne díxeris: Quómodò pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur: misericórdia enim, & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convérti ad Dóminum, & ne différas de die in diem: súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio

Lectio ij.
:o firmus in via Dómi-
i, & in veritáte sensûs
sciéntiâ, & prosequá-
verbum pacis & justí-
:sto mansuétus ad au-
.um verbum, ut intél-
: & cum sapiéntiâ pró-
respónsum verum. Si
)i intelléctus, respon-
)ximo: sin autem, sit
s tua super os tuum;
piáris in verbo indi-
náto, & confundáris.
)r & glória in sermó-
nsáti; lingua verò
ıdentis subvérsio est
. Non appelléris su-
, & linguâ tuâ ne ca-
, & confundáris. Su-
urem enim est con-
& pœniténtia, &
átio péssima super
;uem: susurratóri au-
ıdium, & inimicítia,
ontumélia. Justífica
um, & magnum si-
:r.
Oculi Dómini, *pag.*

ectio iij. Cap. 6.
:rbum dulce multípli-
at amícos, & mítigat
cos: & lingua eúcha-
bono hómine abun-
Aulti pacífici sint tibi,
ısiliárius sit tibi unus
ille. Si póssides amí-
in tentatióne póssíde
& ne fácilè credas ei:
im amícus secundùm
r suum, & non per-
manébit in die tribulatiónis: & est amícus qui convértitur ad inimicítiam; & est amícus qui ódium & rixam, & convícia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, & non permanébit in die necessitátis. Amícus, si permánserit fixus, erit tibi quasi coæquális, & in doméstícis tuis fiduciáliter aget.... Amícus fidélis protéctio fortis; qui autem invénit illum, invénit thesaurum. Amíco fidéli nulla est comparátio; & non est digna ponderátio auri & argenti contra bonitátem fidei illíus.... Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam; quóniam secundùm illum erit amícus illíus.

℞. Bono ánimo, *pag.* 222.

C A N O N.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. part. 2. cap. 6.

MUlto jam ex témpore, pio, ut spes est, ánimo desiderávimus repurgári Breviária. Nam cùm olìm à sanctíssimis Pátribus institútum sit ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitaréntur; nescímus quâ incúriâ accíderit ut in eárum locum succésserint ália cum his néutiquàm comparanda, atque

interim históriæ Sanctórum tam incultæ, ac tam negligenti stúdio conscriptæ, ut nec auctoritátem habére videantur, nec gravitátem.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 7.

NOli quærere à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est: & penès regem noli velle vidéri sápiens. Noli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne fortè extiméscas fáciem potentis, & ponas scándalum in æquitáte tuâ. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immittas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta: nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo. Exoráre, & fácere eleemósynam ne despícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus; &, offerente me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

NOn irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ: est enim qui humíliat & exaltat, circumspector Deus. Noli aráre mendácium adversùs fratrem tuum, neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium: assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine Presbyterórum, & non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laborióſa ópera, & rusticatiónem creátam ab Altíssimo. Non te réputes in multitúdine indisciplinatórum. Memento iræ, quóniam non tardábit.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

NOn lædas servum in veritáte operantem, neque mercenárium dantem ánimam suam. Servus sensátus sit tibi dilectus quasi ánima tua: non defraudes illum libertáte, neque inopem derelinquas illum. Pécora tibi sunt? attende illis: & si sunt utília, persevérent apud te. Filii tibi sunt? érudi illos, & curva illos à pueritia illórum. Fíliæ tibi sunt? serva corpus illárum, & non ostendas hilarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, & grande opus féceris, & hómini sensáto da illam. Múlier si est tibi secundùm ánimam tuam, non projícias illam; & odi-

bili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, & gémitùs matris tuæ ne oblivíscáris: meménto quóniam nisi per illos, natus non fuísses; & retríbue illis, quómodò & illi tibi.

℞. Da mihi, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1564. *congreg.* 5.

QUóniam à primæva Breviárii institutióne, id antíqui Patres voluisse videntur, ut síngulis hebdómadis totum psaltérium recitarétur; in Breviário Davídici psalmi ita per dies síngulos disponantur, ut totus Psalmórum liber in unaquáque hebdómada recitétur.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 7.

IN tota ánima tua time Dóminum, & sacerdótes illíus sanctífica. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit; & minístros ejus ne derelínquas. Honóra Deum ex tota ánima tua, & honorífica sacerdótes, & propurga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum & purgatiónis: & de negligéntia *tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum*, & sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, & inítia sanctórum: & páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio, & benedíctio tua. Grátia dati in conspectu omnis viventis, & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne; & cum lugéntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infírmum: ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in ætérnum non peccábis.

Lectio ij. Cap. 9.

VIrginem ne conspícias, ne fortè scandalizéris in decóre illíus. Ne des fornicáriis ánimam tuam in ullo, ne perdas te & hæreditátem tuam. Noli circumspícere in vicis civitátis, nec oberráveris in platéis illíus. Avérte fáciem tuam à mulíere comptâ, & ne circumspícias spéciem aliénam. Propter spéciem mulíeris multi periérunt: & ex hoc concupiscéntia quasi ignis exardéscit. Omnis múlier quæ est fornicária, quasi stercus in via conculcábitur. Spéciem mulíeris aliénæ multi admiráti, réprobi facti sunt: collóquium enim illíus quasi ignis exardéscit.

Lectio iij. Cap. 10.

OMnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ. Odíbilis coram Deo est & homínibus supérbia: & execrábilis omnis íniquitas géntium: Regnum à gente in gentem transfertur propter injustítias, & injúrias, & contumélias, & diversos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid superbit terra & cinis? Nihil est íniquius quàm amáre pecúniam: hic enim & ánimam suam venálem habet: quóniam in vita sua projécit íntima sua.

CANON.

Ex Concílio Narbonensi.

Ann. 589. *can.* 2.

HOc definítum est ut, in psallendi ordínibus, per quemque psalmum Glória dicátur omnipotenti Deo: per majóres verò Psalmos, proùt fúerint prolíxiùs, pausatiónes fiant, &, per quamque pausatiónem, Glória Trinitátis Dómino decantétur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Sapiéntia & disciplína & sciéntia legis apud Deum: *diléctio*, & viæ bonórum *apud ipsum. Eccli.* 11.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XIX. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 11.

IN vestítu ne gloriéris unquàm, nec in die honóris tui extolláris: quóniam mirabília ópera Altíssimi solíus, & gloriósa, & abscónsa, & invísa ópera illíus. Multi tyranni sedérunt in throno, & insuspicábilis portávit diadéma. Multi potentes oppressi sunt válidè, & gloriósi tráditi sunt in manus alterórum. Priusquàm intérroges, ne vitúperes quemquam: &, cùm interrogáveris, córripe justè. Priusquàm aúdias, ne respóndeas verbum: & in médio sermónium ne adjícias loqui. De ea re quæ te non molestat, ne certéris: & in judício peccántium ne consístas. Fili, ne in multis sint actus tui: &, si dives fúeris, non eris immúnis à delicto.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij.

BEnedíctio Dei in mercédem justi festínat, & in hora velóci procéssus illíus fructíficat. Ne dicas: Quid est mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas: Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessi-

minábor? In die bonórum ne ímmemor sis malórum: & in die malórum ne ímmemor sis bonórum: quóniam fácile est coram Deo in die óbitûs retribúere unicuíque secundùm vias suas. Malítia horæ obliviónem facit luxúriæ magnæ, & in fine hóminis denudátio óperum illíus. Ante mortem ne laudes hóminem quemquam.

℟. Beátus homo, *p.* 220.

Lectio iij. Cap. 13.

ADvocátus à potentióre discéde: ex hoc enim magìs te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris: & ne longè sis ab eo, ne eas in obliviónem. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo: ne credas multis verbis illíus: ex multa enim loquéla tentábit te, & subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua; & non parcet de malítia, & de vínculis. Cave tibi, & attende diligenter audítui tuo: quóniam cum subversióne tua ámbulas. Audiens verò illa, quasi in somnis vide, & vigilábis. Omni vitâ tuâ dílige Deum, & ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi: sic & omnis homo *próximum sibi.*

℟. *Da mihi, pag.* 220.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 22. *in Epist.* 2. *ad Cor. Edit. Bened.* §. 3.

Lectio iv.

NOn tardes converti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem: nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Ex dilatióne quippè perículum ac metus náscitur. Quòd si quis moram omnem fúgiat, perspícua ei & certa salus: proindè virtútem compléctere. Sic enim, sive júvenis hinc abscédas, tutò abscédes; sive ad senílem ætátem pervénias, cum amplíssimis ópibus excédes, duplicémque lætítiam ac festivitátem per omnem vitam habébis, nempè quod & à vítio abstines, & virtútem amplexáris. Cave díxeris: Erit tempus cùm ad meliórem frugem revertendum erit. Hæc enim verba Deum majórem in modum ad iracúndiam cóncitant. Quid tandem est, quòd cùm ille infiníta tibi sécula pollícitus sit, tu contrà in præsenti hâc vitâ quæ brevis ac fluxa est, nullum labórem suscípere velis: verùm ita dissolútus & ignávus sis, ut étiam hâc ipsâ brevióre requíras? Annon eædem comessatiónes quo

tídiè?.... annon eædem mensæ? annon éadem theátra? annon eædem pecúniæ? Quousque ista tanquam vera & sólida amábis? Quousque inexplébili vítii cupiditáte tenéberis?

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio v. Post pauca.

MEro te obruisti? cibis te ingurgitasti? rapuisti? Consiste jam, téque in contráriam viam refer. Deo grátias age, quòd te inter média peccáta non abrípuit: ne álterum quoque tibi tempus ad flagitiosè vivendum præfiníri póstules. Multi, dum avarítiæ studérent, hinc abrepti sunt, atque ad perspícuas certásque pœnas transiérunt. Ne idem tibi inexcusábili áccidat, time. At, inquis, multis Deus, in extréma quoque senectúte, peccáta sua confitendi spátium concessit? Quid tum? an tibi quoque concédet? Fortassè, inquis. Quid ais? Fortassè: Interdùm? Sæpè? In mentem tibi véniat, te de ánima tua consílium iníre. Contrárium pone, tecúmque ita réputa ac dic: Quid autem, si non concésserit? Tu contrà ais: *Quid si* concésserit? Concessit quidem ipse. Verùmtamen hoc illo tútius est, & utílius.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio vj.

ETenim si jam probè vivere incípias, sive certum vitæ spátium accéperis, sive non, ómnia lucrátus eris: si autem moras quotídie nectas, ob eam ipsam persæpè causam mínimè accípies. Enimvérò cùm domum extrúere paras, non dicis: Infirma fundamenta jáciam, permultæ enim ædes sic étiam constitérunt. At verò cùm de ánima consílium inis, imbecillióribus níteris, nimírùm illud, Fortassè, Sæpè, Interdùm, ponens, incertísque evéntibus teipsum committis. Non incertis, inquis, evéntibus, sed Dei benignitáti: benignus enim ac clemens est Deus: id quoque ipse compertum hábeo; sed tamen benignus hic illos étiam quos dixi, de médio sústulit. Quid verò si, accepto longióris vitæ spátio, idem ipse tuîque símilis máneas. Nam qui ejúsmodi est, in senectúte quoque ignávus, ac socors erit. Is enim qui hæc cógitat, étiam post octoginta annos, nonaginta requírit, &, post nonaginta, centum; &, exactis annis centum,

ségnior adhuc erit; atque ita tota vita incassùm absumétur.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore: Respondens Jesus, dixit íterùm in parábolis Princípibus sacerdótum & Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, & nolébant veníre. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 3. *in Epist. ad Ephes.* §. 4.

SI Christus eum abduxit, & éxpulit qui sórdidâ veste erat indútus; ei qui sacro-sancto suo córpori sordes adhibúerit, quid non fáciet? quómodò non eum affíciet? Multos vídeo qui Christi Córporis sunt partícipes inconsideráte & témerè, & magìs ex consuetúdine, & ex præscrípto, quàm ex cogitatióne & consideratióne. Si advénerit tempus sanctæ Quadragésimæ, qualiscumque fúerit quíspiam, *fit párticeps sacramentórum: fit étiam, si advénerit dies* Epiphaniórum. Atqui illud tempus accedendi non est: non Epipliánia, neque Quadragésima facit dignos qui accédant, sed ánimæ sincéritas & púritas. Cum ea semper accéde, sine ea numquàm accéde.

℟. Omnes de uno pane participámus. * Non potestis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmonió-rum: non potestis mensæ Dómini partícipes esse, & mensæ dæmoniórum. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras, ne immundi sitis. * Non potestis. *I. Cor.* 10. *Levit.* 11.

Lectio viij. Paulò post.

COgita qui véteris partícipes erant sacrifícii: quantâ utebantur frugalitáte, & abstinéntiâ? quid non agébant? quid non faciébant? Undique & sempèr expurgabantur: tu autem accédens ad sacrifícium quod ipsi stupent, & venerantur Angeli, témporum períodis rem defínis ac circumscribis? Et quómodò stabis ad tribúnal Christi, qui, pollútis mánibus & labris, ad Corpus illíus áudeas accédere? & regem quidem terræ ore malè olente deosculári nolúeris: cœli autem regem fœtenti & malè olenti ánimâ osculáris? Id planè est con-

tumélia. Dic mihi: velléſne ad ſacrifícium mánibus illótis accédere? non opínor: ſed malles pótiùs non prorsùs accédere, quàm sórdidis mánibus. Itáne cùm in re parva ſis ádeò réverens & religióſus; sórdidam & immundam cùm hábeas ánimam, accédis, & audes tángere?

℟. Suádeo tibi émere à me aurum ignítum probátum, ut lócuples fias, & veſtimentis albis induáris. * Ecce ſto ad óſtium, & pulſo: † Si quis audíerit vocem meam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipſe mecum. ℣. Omni témpore ſint veſtimenta tua cándida. * Ecce ſto. Glória. † Si quis audíerit. *Apoc.* 3. *Eccl.* 9.

Lectio ix.

Ex Homil. 24. *in Epiſt.* 1. *ad Cor.* §. 5. 4

NOn dico ut non accedámus; ſed ne témerè accedámus. Sicut enim témerè accédere, perículum eſt; ſic his myſticis cœnis non communicáre, fames eſt & mors. Hæc enim menſa nervi ánimæ noſtræ, hæc mentis vínculum, fidúciæ cauſa, ſpes, ſalus, lux, vita eſt.... Abſterge ígitur ánimam: præpara mentem ad horum myſteriórum perceptiónem. Etenim ſi regis fílius cum ornátu, púrpurâ, & diadémate concréditus tibi eſſet geſtandus, ómnia quæ ſunt in terra abjeciſſes. Nunc autem non filium regis, ſed ipſum Dei Fílium unigénitum cùm accípias, non exhorreſcis? & non omnem ſeculárium rerum amórem ábjicis? neque tantùm illo ornátu non gloriáris; ſed in terram adhuc réſpicis, pecúnias amas, & auro ínhias? Ecquàm habitúrus es véniam? ecquàm excuſatiónem?

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Intrávit rex ut vidéret diſcumbentes, & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiáli, & ait illi: Amíce, quómodò huc intraſti non habens veſtem nuptiálem? At ille obmútuit. *Matth.* 22.

Oratio.

COrda noſtra, quæſumus, Dómine, grátiæ tuæ munéribus puríſica; ut ſpirituálium virtútum ornamentis indúti, cœleſti tuo convívio digni efficiámur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Burdigalenſi. *Ann.* 1583. *tit.* 6.

MAgiſtrátus omnes pro ſui noſtríque offícii ratióne, quoad póſſumus, adhortámur; ut, quod in ipſis máximè ſitum eſt, ſacros dies ac ſolemnes piè

sanctéque celebrári curent: tabernas aperíri, vectúras & ópera quævis rústica exercéri prohíbeant. Quo témpore verò divínum offícium explétur, aut Conciónes habentur, otiósam & vagam turbam è tabernis, & foro, & platéis ábigant, pœnísque propósitis, rebus sacris interesse compellant.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Dixit rex ministris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus & stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti. *Matth.* 22.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 13.

VEnátio leónis ónager in erémo; sic & páscua dívitum sunt páuperes: & sicut abominátio est supérbo humílitas; sic & execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis suis: húmilis autem cùm cecíderit, expellétur & à notis. Díviti decepto multi recuperatóres: locútus est supérba, & justificavérunt illum. Húmilis deceptus est, ínsuper & argúitur: locútus est sensátè, & non est *datus ei locus. Dives locútus est, & omnes tacuérunt, &* verbum illíus usque ad nubes perdúcent. Pauper locútus est, & dicunt: Quis est hic? & si offénderit, subvertent illum. Bona est substántia cui non est peccátum in consciéntia: & nequíssima paupertas in ore ímpii.

℞. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 14.

BEátus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulátus in tristítia delícti. Felix qui non hábuit ánimi sui tristítiam, & non éxcidit à spe sua. Viro cúpido & tenáci sine ratióne est substántia: & hómini lívido ad quid aurum? Qui acervat ex ánimo suo injustè, áliis cóngregat, & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álii bonus erit? & non jucundábitur in bonis suis. Qui sibi ínvidet, nihil est illo néquius, & hæc reddítio est malítiæ illíus: &, si benè fécerit, ignoranter & non volens facit: & in novíssimo manifestat malítiam suam.

℞. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij.

FIlì, si habes, bénefac tecum, & Deo dignas oblatiónes offer. Memo

esto quóniam mors non tardat, & testamentum inferórum quia demonstrátum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, & secundùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono, & partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relinques dolóres & labóres tuos in divisióne sortis? Da & áccipe, & justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam; quóniam non est apud ínferos inveníre cibum.

℟. Da mihi, *pag.* 220.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *de cultu div. n.* 3.

NE cui precum multitúdo tædium géneret, nemóque eárum partem áliquam tácitus prætéreat, aut volubilitáte linguæ illas omnes ita percurrat, ut plerumque mentem lingua prævéniat; póterunt Epíscopi, adhíbito saltem duórum Canonicórum & aliórum grávium virórum judício, préces ad eum modum redúcere, ut & Ecclésiæ dignitáti respóndeant, & fácilè ab ómnibus exolvi, piéque decantári possint.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 15.

DEus ab inítio constítuit hóminem, & relíquit illum in manu consílii sui: adjécit mandáta & præcepta sua. Si volúeris mandáta serváre, conservábunt te, & in perpétuum fidem plácitam fácere. Appósuit tibi aquam & ignem: ad quod volúeris, pórrige manum tuam. Ante hóminem vita & mors, bonum & malum: quod placúerit ei, dábitur illi. Quóniam multa sapiéntia Dei, & fortis in poténtia, videns omnes sine intermissióne: óculi Dómini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem óperam hóminis. Némini mandávit impiè ágere, & némini dedit spátium peccandi.

℟. Ne despícias, *pag.* 221.

Lectio ij. Cap. 20. & 21.

XEnia & dona excæcant óculos júdicum; &, quasi murus, in ore avertit correptiónes eórum. Sapiéntia abscónsa & thesaurus invísus, quæ utílitas in utrisque? Mélior est qui celat insipiéntiam suam, quàm homo qui abscondit sapiéntiam suam.... Fili, peccasti? non adjícias íterùm; sed & de prístinis

deprecáre ut tibi dimittantur. Quasi à fácie cólubri, fuge peccáta: &, si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficientes ánimas hóminum. Quasi rhomphæa bis acúta, omnis iníquitas; plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio & injúriæ annullábunt substántiam: & domus quæ nimis lócuples est, annullábitur supérbiâ; sic substántia superbi eradicábitur.

℟. Oculi Dómini, *pag.* 222.

Lectio iij. Cap. 23.

HOmini fornicário omnis panis dulcis, non fatigábitur transgrédiens usque ad finem. Omnis homo qui transgréditur lectum suum, contemnens in ánimam suam, & dicens: Quis me videt? ténebræ circumdant me, & paríetes coopériunt me: & nemo circúmspicit me; quem véreor? delictórum meórum non memorábitur Altíssimus: & non intélligit quóniam ómnia videt óculus illíus. Quóniam expellit à se timórem Dei hujúsmodi hóminis timor, & óculi hóminum timentes illum: & non cognóvit quóniam óculi Dómini multò plùs lucidióres sunt super solem, circumspicientes omnes vias hóminum, & profundum abyssi, & hóminum corda intuentes in abscónditas partes. Dómino enim Deo ántequàm crearentur, ómnia sunt ágnita: sic & post perfectum réspicit ómnia.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *Decr. de Purgat.*

CUrent Epíscopi ut fidélium vivórum suffrágia, Missárum scílicet sacrifícia, oratiónes, eleemósynæ aliaque pietátis ópera, quæ à fidélibus pro áliis fidélibus defunctis fíeri consuevérunt, secundùm Ecclésiæ institúta piè & devótè fiant: & quæ pro illis ex testatórum fundatiónibus, vel áliâ ratióne debentur, non perfunctóriè, sed à sacerdótibus & Ecclésiæ ministris, & áliis qui hoc præstáre tenentur, diligenter & accuráte persolvantur.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 25.

IN tribus plácitum est spirítui meo, quæ sunt probáta coram Deo & homínibus: concórdia fratrum, & amor proximórum, & vir & múlier benè sibi consentientes. Tres spécies odívit ánima mea, & ággr

vor valdè ánimæ illórum: páuperem superbum, dívitem mendácem, senem fátuum & insensátum. Quæ in juventúte tua non congregasti, quómodò in senectúte tua invénies? Quàm speciósum canitiéi judícium! & presbyteris cognóscere consílium! Quàm speciósa veteránis sapiéntia & gloriósis intelléctus & consílium! Coróna senum multa perítia, & glória illórum timor Dei.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 28.

QUi vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus servans servábit. Relinque próximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccáta solventur. Homo hómini reservat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & de peccátis suis deprecátur? Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delíctis illíus? Meménto novissimórum, & désine inimicári: tabitúdo enim & mors ímminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, & non irascáris *próximo.* Memoráre testa*mentum Altíssimi*, & dé*spice ignorántiam* próximi. Abstine te à lite, & mínues peccáta.

℟. Beátus homo, *pag.* 220.

Lectio iij. Cap. 29.

PRopter mandátum assúme páuperem; & propter inópiam ejus ne dimíttas eum vácuum. Perde pecúniam propter fratrem & amícum tuum: & non abscondas illam sub lápide in perditiónem. Pone thesáurum tuum in præceptis Altíssimi, & próderit tibi magìs quàm aurum. Conclúde eleemósynam in corde páuperis, & hæc pro te exorábit ab omni malo. Super scutum potentis & super lánceam, adversùs inimícum tuum pugnábit. Vir bonus fidem facit pro próximo suo: & qui perdíderit confusiónem, derelinquet sibi. Grátiam fidejussóris ne oblivíscáris: dedit enim pro te ánimam suam.

℟. Da mihi, *pag.* 220.

C A N O N.

Ex Concílio Cabillonensi secundo.

Ann. 813. *can.* 6.

IMputátur quibusdam frátribus, eo quòd, avarítiæ causâ, homínibus persuádeant ut, abrenuntiantes sǽculo, res suas Ecclésiæ cónferant: quod pénitùs eradicandum est. Animárum quippè salutem in-

te sacerdos, non lu-
erréna debet : quó-
fidéles ad res suas
is non sunt cogendi,
: circumveniendi : o-
namque spontánea
ebet.

IA QUINTA.
libro Ecclesiástici.
Lectio j. Cap. 31.

élige quæ sunt próxi-
tui ex teipso: útere
homo frugi his quæ
pponuntur; ne, cùm
ucas multùm, ódio
ris. Cessa prior causâ
líuæ : & noli nímius
ne fortè offendas. Et
édio multórum sedi-
rior illis ne extendas
m tuam, nec prior
s bíbere. Quàm suffí-
est hómini erudíto
a exíguum! & in dor-
lo non laborábis ab
& non séntics doló-
Vigília, chólera, &
a viro infrunito. Som-
nitátis in hómine par-
órmiet usque manè,
ma illíus cum ipso de-
itur.

Ne despícias, pag.

Lectio ij.

Udi me, fili, & ne
pernas me ; & in
imo invénies verba
In ómnibus opéribus
sto velox, & omnis
itas *non occurret ti-*
éndidum in pánibus benedícent lábia multó-
rum, & testimónium veri-
tátis illíus fidéle. Nequíssi-
mo in pane murmurábit
cívitas, & testimónium
nequítiæ illíus verum est.
Diligentes in vino noli
provocáre; multos enim
exterminávit vinum. Ignis
probat ferrum durum : sic
vinum corda superbórum
árguet in ebrietáte potá-
tum. Æqua vita hómini-
bus vinum in sobrietáte, si
bibas illud moderátè, eris
sóbrius. Quæ vita est ei
qui minúitur vino? Quid
defraudat vitam? Mors.

℟. Oculi Dómini, *pag.*
222.

Lectio iij.

Vinum in jucunditátem
creátum est, & non
in ebrietátem, ab inítio :
exultátio ánimæ & cordis
vinum moderátè potátum.
Sánitas est ánimæ & cór-
pori sóbrius potus. Vinum
multum potátum irritatió-
nem, & iram, & ruínas
multas facit. Amaritúdo
ánimæ vinum multum po-
tátum. Ebrietátis animósi-
tas, imprudentis offénsio,
minórans virtútem, & fá-
ciens vúlnera. In convívio
vini non árguas próxi-
mum; & non despícias eum
in jucunditáte illíus : verba
impropérii non dicas illi;
& non premas illum in re-
petendo.

℟. Bono ánimo, *pag.* 222.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *Ann.* 1584. *tit.* 16. *can.* 18.

IN quibus Ecclésiis plura & vária anniversária constitúta sunt, ita ut ad ea celebranda tempus suffícere non possit, absque diminutióne divíni quotidiáni offícii, státuit hæc Synodus ut, Epíscopi auctoritáte, ejúsmodi anniversária ad certum modum reducantur, & certis diébus celebranda præscribantur, commemoratióne tamen semper hábitâ eórum qui legáta & anniversária relíquerint.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 32.

AUdi tacens, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adolescens, lóquere in tua causa vix: si bis interrogátus fúeris, hábeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In médio magnatórum non præsúmas; & ubi sunt senes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio; & ante verecúndiam præíbit grátia, & pro *reveréntia* accédet tibi bo*na grátia.* Et horâ surgen*di non* te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocáre, & illic lude, & age conceptiónes tuas; & non in delictis & verbo supérbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum qui fecit te, & inebriantem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Vánitas vanitátum, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 32. & 33.

FIli, sine consílio nihil fácias, & post factum non pœnitébis. In via ruínæ non eas, & non offendes in lápides: nec credas te viæ laborióſæ, ne ponas ánimæ tuæ scándalum. Et à filiis tuis cave, & à domésticis tuis attende. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ: hoc est enim consevátio mandatórum. Qui credit Deo, attendit mandátis: & qui confídit in illo, non minorábitur.... Timenti Dóminum non occurrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, & liberábit à malis. Sápiens non odit mandáta & justítias, & non illidétur quasi in procella navis. Homo sensátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. Beátus homo, *p.* 220.

Lectio iij. Cap. 34.

QUi offert sacrifícium ex substántia páuperum, quasi qui víctimat

in conspectu patris
nis egéntium vita
ım est: qui defrau-
m, homo sánguinis
ii aufert in sudóre
, quasi qui occídit
um suum. Qui ef-
sánguinem, & qui
n facit mercenário,
sunt. Unus ædífi-
& unus déstruens;
odest illis nisi labor?
rans, & unus male-
cujus vocem exáu-
us? Qui baptizátur
uo, & íterùm tan-
ı, quid próficit la-
lius? sic homo qui
in peccátis suis, &
éadem fáciens, quid
humiliando se? o-
m illíus quis exáu-

'a mihi, *pag.* 220.
ANON.
oncílio Aquensi.
;85. *tit. de Ecclesiis.*
cclésia, præsertìm
divína offi:ia cele-
:, nemo áudeat de-
re, nugári, cum
bus inhonestè cól-
in límine, aut ante
nmorári, aversum
ıarístiæ sacramento
nter sedére, aut
modo irreverenter
ésia versári. Qui in
áliquo delíquerit,
ho, vel *per álium*
minístrum, mo-

SABBATO.
De libro Ecclesiástici.
Lectio j. Cap. 37.

CUm viro sancto assíduus esto, quemcumque cognóveris observantem timórem Dei, cujus ánima est secundùm ánimam tuam; & qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii státue tecum: non est enim tibi áliud pluris illo. Anima viri sancti enúntiat aliquando vera, quàm septem circumspectóres sedentes in excelso ad speculandum. Et in his ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile.

Lectio ij. Cap. 41.

O Mors, quàm amára est memória tua hómini pacem habenti in substántiis suis: viro quiéto, & cujus viæ directæ sunt in ómnibus, & adhuc valenti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigenti, & qui minorátur víribus, defecto ætate, & cui de ómnibus cura est, & incredíbili qui perdit patiéntiam. Noli metúere judícium mortis. Memento quæ ante te fuérunt, & quæ superventúra sunt tibi: hoc judí-

cium à Dómino omni carni. Et quid supervéniet tibi in beneplácito Altíssimi? sive decem, sive centum, sive mille anni: non est enim in inferno accusátio vitæ.

Lectio iij.

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquístis legem Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini: & si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terram converténtur; sic ímpii à maledícto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipsórum, nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine: hoc enim magis permanébit tibi, quàm mille thesauri pretiósi & magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Disciplínam in pace conservâte, fílii.

C A N O N.

Ex Concílio Aquileiensi.

Ann. 1596. *rubricâ* 16.

ECclésiam in qua fiunt Sacra, & cultus divínus perágitur, externis vacáre impediméntis cónvenit. Idcircò decérnimus, concursatiónes páuperum quorumcumque, étiam miserabílium, qui celebrántibus & orántibus in Ecclésia impedimento sunt, ab ómnibus Ecclésiis, cùm Sacra fiunt, arcendas esse.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Ezéchiel vidit conspéctum glóriæ, quam Deus osténdit illi in curru Chérubim. *Eccli.* 49.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XX. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, aperti sunt cœli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi, sacerdótem in terra Chaldæórum, secùs flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi: & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; & nubes magna, & ignis involvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus quasi spécies electri, id est, de médio ignis.

℟. Hæc dicit Dóminus: Væ Pastóribus Israel, qui pascébant semetipsos. *

Nonne greges à pastóribus pascuntur ? Lac comedebátis, & lanis operiebámini; gregem autem meum non pascebátis, sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum poténtia. ℣. Hi sunt convivantes sine timóre, semetipsos pascentes. * Nonne greges. *Ezech.* 34. *Judæ*, 12.

Lectio ij. Cap. 2.

ET vidi, & cécidi in fáciem meam, & audívi vocem loquentis: & dixit ad me: Fili hóminis, sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me Spíritus postquàm locútus est mihi, & státuit me supra pedes meos: & audívi loquentem ad me, & dicentem: Fili hóminis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatríces quæ recessérunt à me: ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et fílii durâ fácie, & indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: si fortè vel ipsi áudiant, & si fortè quiescant, quóniam domus exásperans est: & scient quia prophéta fuerit in médio eórum.

℟. Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatríces: ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. * Filii durâ fácie, & indomábili corde sunt. ℣. Quemádmodùm Jannes & Mambres restitérunt Móysi; ita & hi resistunt veritáti. * Fílii durâ fácie. *Ezech.* 2. *II. Tim.* 3.

Lectio iij.

TU ergo, fili hóminis, ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas: quóniam incréduli & subversóres sunt tecum, & cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, & vultus eórum ne formídes: quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si fortè áudiant, & quiescant: quóniam irritatóres sunt. Tu autem, fili hóminis, audi quæcumque loquor ad te: & noli esse exásperans, sicut domus exasperátrix est: áperi os tuum, & cómede quæcumque ego do tibi. Et vidi: & ecce manus missa ad me in qua erat involútus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intùs & foris: & scriptæ erant in eo lamentatiónes, & carmen, & væ.

℟. Vidi: & ecce manus missa ad me, & expandit librum coram me, & dixit ad me: Cómede volúmen istud. Et * Apérui os meum, & cibávit me vo-

lùmine illo : & factum est in ore meo sicut mel dulce. ℣. Abii ad Angelum dicens ei, ut daret mihi librum, & accépi, & devorávi illum. * Apérui. Glória. * Apérui. *Ezech.* 2. & 3. *Apoc.* 10.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

Libr. 18. *Cap.* 34. §. 1.

Lectio iv.

IN ipsa Babylóniæ captivitáte priùs prophetavérunt Dániel & Ezéchiel, duo ex Prophétis majóribus. Quorum Dániel étiam tempus quo ventúrus fúerat Christus atque passúrus, número definívit annórum : quod longum est computando monstráre, & ab áliis factitátum est ante nos. De potestáte verò ejus & glória, sic locútus est : Vidébam, inquit, in visu noctis : & ecce cum núbibus cœli ut Fílius hóminis véniens erat, & usque ad Vetustum diérum pervénit ; & in conspectu ejus prælátus est ; & ipsi datus est principátus, & honor, & regnum : & omnes pópuli, tribus & linguæ ipsi sérvient. Potestas ejus potestas perpétua, quæ non *transíbit* ; & regnum ejus *non corrumpétur.*

℞. Vivo ego, dicit Dóminus Deus. * Vir si fúerit justus, ad usúram non commodáverit, & ámpliùs non accéperit ; hic justus est : vitâ vivet. ℣. Mútuum date, nihil indè sperantes ; & erit merces vestra multa. * Vir. *Ezech.* 18. *Luc.* 6.

Lectio v.

EZéchiel quoque more prophético per David Christum signíficans, quia carnem de David sémine assumpsit ; propter quam formam servi quâ factus est homo, étiam servus Dei dícitur idem Dei Fílius ; sic eum prophetando prænúntiat ex persóna Dei Patris : Et suscitábo, inquit, super pécora mea Pastórem unum qui pascat ea, servum meum David : & ipse pascet ea, & ipse erit eis in Pastórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in médio eórum : ego Dóminus locútus sum.

℞. In odórem suavitátis suscípiam vos, * Et sanctificábor in vobis ; & recordabímini scélerum vestrórum, & displicébitis vobis in ómnibus malítiis vestris. ℣. Sicut exhibuístis membra vestra servíre iniquitáti ; ita nunc exhibéte membra vestra servíre justítiæ in sanctificatiónem. * Et. *Ezech.* 20. *Rom.* 6.

Lectio vj.

ET álio loco: Et Rex, inquit, unus erit ómnibus ímperans: & non erunt ultrà duæ gentes, nec dividentur ampliùs in duo regna: neque polluentur ultrà in idólis suis, & abominatiónibus suis, & in cunctis iniquitátibus suis. Et salvos eos fáciam de univérsis sédibus suis, in quibus peccavérunt, & mundábo eos: & erunt mihi pópulus, & ego ero illis Deus: & servus meus David Rex super eos, & Pastor unus erit ómnium eórum.

℟. Visitábo oves meas, & liberábo eas, & congregábo eas, * Et indúcam eas in terram suam: † In páscuis ubérrimis pascam eas, & in móntibus excelsis Israel erunt páscua eárum. ℣. Ego veni ut oves vitam hábeant, & abundántiùs hábeant: ego sum Pastor bonus. * Et indúcam eas. Glória. † In. *Ezech.* 34. *Joann.* 10.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaüm. *Hic cùm audisset quia Jesus adveníret à Judæa in* Galilæam, ábiit ad eum, & rogábat eum ut descénderet, & sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

28. *In Evang. post init.*

SOlum vídeo esse requirendum, cur is qui ad salútem fílio petendam vénerat, audívit: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis: qui enim salútem fílio quærébat, procul dúbio credébat: neque enim ab eo quæreret salútem, quem non créderet Salvatórem. Sed mementóte quid pétiit, & apertè cognoscétis quia in fide dubitávit. Poposcit namque ut descénderet, & sanáret fílium ejus.... Minùs ítaque in illum crédidit, quem non putávit posse salútem dare, nisi præsens esset & córpore; ex magna ergo parte diffísus est, quia virtútem non dedit majestáti, sed præséntiæ corporáli.... Sed Dóminus qui rogátur ut vadat, quòd non desit ubi invitátur, índicat: solo jussu salútem réddidit, qui voluntáte ómnia creávit.

℟. Sine fide impossíbile est placére Deo. * Crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquiréntibus se remunerátor

sit. ℣. Væ dissolútis corde qui non credunt Deo: & ídeò non protegentur ab eo. * Crédere. *Hebr.* 11. *Eccli.* 2.

Lectio viij. Post pauca.

QUid est quòd Christus réguli fílio per corporálem præséntiam non dignátur adesse? Centuriónis servo non dedignátur occúrrere? Quid est hoc? nisi quòd supérbia nostra retúnditur, qui in homínibus non natúram quâ ad imáginem Dei facti sunt, sed honóres & divítias venerámur? .... Increpáta est ergo supérbia nostra. Certè, si nos cujúspiam servus rogáret ut ad eum ire deberémus, prótinùs nobis nostra supérbia respondéret: Non eas, quia temetipsum degéneras; honor tuus despícitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit, qui servo in terra occúrrere non déspicit: & tamen humiliári in terra contémnimus, qui de terra sumus.

℟. Oculi Dómini contemplantur universam terram, * Et † Præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. ℣. Oculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. * Et præbent. Glória. † Præbent. *II. Paral.* 16. *I. Petr.* 3.

Lectio ix. Post pauca.

QUod homínibus altum est, abominábile est apud Deum. Notáte, fratres... hæc totâ intentióne pensáte. Nolíte in próximis vestris mundi hujus bona venerári. Nolíte in vobismetipsis pensáre quod habétis, sed quid estis.... Ecce jam mundus in seipso áruit, & adhuc in córdibus nostris floret. Ubíque mors, ubíque luctus, ubíque desolátio: úndique percútimur, úndique amaritudínibus replémur; & tamen cæcâ mente carnális concupiscéntiæ ipsas ejus amaritúdines amámus, fugientem séquimur, labenti inhærémus; & quia labentem retinére non póssumus, cum ipso lábimur, quem cadentem tenémus. Aliquandò nos mundus retraxit à Deo; nunc tantis plagis plenus est, ut ipse nos jam mundus mittat ad Deum. Pensáte ergo quia nulla sunt, quæ temporáliter currunt. Finis temporálium ostendit, quàm nihil sit quod transíre pótuit.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Servi occurrérunt régulo, dicentes: Quia heri horâ séptimâ relíquit fílium tuum febris. *Joann.* 4.

Oratio.

AUge fidem tuam, quæsumus, Dómine, mi-

ſerátus in nobis; quia pietátis tuæ ſubsídia non negábis, quibus in te credendi contúleris firmitátem; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Toletáno tértio.

Ann. 589. cap. 23.

EXterminanda omnínò eſt irreligióſa conſuetúdo quam vulgus per Sanctórum ſolemnitátes ágere conſuévit, ut pópuli, qui debent Offícia divína atténdere, ſaltatiónibus & túrpibus invígilent cánticis; non ſolùm ſibi nocentes, ſed & religiosórum Offíciis perſtrepentes: hoc étenim ut depellátur, Sacerdótum & Júdicum à Concílio ſancto curæ commíttitur.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Cognóvit pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Jeſus: Fílius tuus vivit. Et crédidit ipſe, & domus ejus tota. *Joann.* 4.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

ELevávit me Spíritus inter terram & cœlum: & adduxit me in Jerúſalem in viſióne Dei, juxta óſtium intérius quod reſpiciébat ad Aquilónem, ubi erat ſtatútum *idólum zeli ad provocandam æmulatiónem. Et ecce ibi glória* Dei Iſrael, ſecundùm viſiónem quam víderam in campo.... Et dixit ad me: Fili hóminis, putaſne, vides tu quid iſti fáciunt? abominatiónes magnas quas domus Iſrael facit hîc, ut procul recédam à Sanctuário meo? Et adhuc converſus vidébis abominatiónes majóres. Et introduxit me ad óſtium átrii, & vidi; & ecce forámen unum in paríete. Et dixit ad me: Fili hóminis, fode paríetem. Et cùm fodiſſem paríetem, appáruit óſtium unum. Et dixit ad me: Ingrédere, & vide abominatiónes péſſimas quas iſti fáciunt hîc. Et ingreſſus vidi: & ecce omnis ſimilitúdo reptílium, & animálium, abominátio, & univerſa idóla domûs Iſrael depicta erant in paríete in circúitu per totum.

℟. Hæc dicit, *pag.* 280.

Lectio ij.

ET dixit ad me: Certè vides, fili hóminis, quæ senióres domûs Iſrael fáciunt in ténebris, unuſquiſque in abſcóndito cubículi ſui; dicunt enim: Non videt Dóminus nos: derelíquit Dóminus terram. Et dixit ad me: Adhuc converſus vidébis abominatiónes majóres quas iſti fáciunt. Et introduxit me per óſtium portæ domûs Dó-

mini, quod respiciébat ad Aquilónem: & ecce ibi mulíeres sedébant plangentes Adónidem. Et dixit ad me: Certè vidisti, fili hóminis: adhuc conversus vidébis abominatiónes majóres his. Et introduxit me in átrium domûs Dómini intérius, & ecce in óstio templi Dómini inter vestíbulum & altáre, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Dómini, & fácies ad Orientem: & adorábant ad ortum Solis.

℟. Mitto ego te, *pag.* 281.

Lectio iij. Cap. 9.

ET ecce sex viri veniébant de via portæ superióris quæ réspicit ad Aquilónem: & uniuscujusque vas intéritûs in manu ejus. Vir quoque unus in médio eórum vestítus erat líneis, & atramentárium scriptóris ad renes ejus. Et ingressi sunt, & stetérunt juxta altáre æreum: & glória Dómini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domûs: & vocávit virum qui indútus erat líneis, & atramentárium scriptóris habébat in lumbis suis. Et dixit Dóminus ad eum: Transi per médiam civitátem in médio Jerúsalem: & signa THAU super frontes virórum geméntium, & doléntium super cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiente me: Transíte per civitátem sequentes eum, & percútite: non parcat óculus vester, neque misereámini. Senem, adolescéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres interfícite usque ad internecciónem: omnem autem super quem vidéritis THAU, ne occidátis, & à sanctuário meo incípite.

℟. Vidi, *pag.* 281.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 7. can. 13.

SI quis díxerit receptos & approbátos Ecclésiæ Cathólicæ ritus, in solemni Sacramentórum administratióne adhibéri consuétos, aut contemni, aut sine peccáto, à ministris pro líbito omitti, aut in novos álios per quemcumque Ecclesiárum Pastórem mutári posse, anáthema sit.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ prophétis insipiéntibus qui sequuntur spíritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, prophétæ tui, Israel, erant. Non ascendi-

stis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut starétis in prælio in die Dómini. Vident vana, & divínant mendácium, dicentes: Ait Dóminus, cùm Dóminus non míserit eos: & perseveravérunt confirmáre sermónem. Numquid non visiónem cassam vidistis, & divinatiónem mendácem locúti estis? & dicitis: Ait Dóminus, cùm ego non sim locútus.

℟. Vivo ego, *pag.* 282.

Lectio ij.

PRoptéreà hæc dicit Dóminus Deus: Quia locúti estis vana, & vidistis mendácium; ídeò ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus. Et erit manus mea super prophétas qui vident vana, & divínant mendácium: in consílio pópuli mei non erunt, & in scriptúra domús Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & sciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificábat parietem, illi autem liniébant eum luto absque páleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatúra, quòd casúrus sit: erit enim imber *inundans*, & *dabo lápides prægrandes désuper irruentes*, & ventum procellæ dissipantem.

℟. In odórem suavitátis, *pag.* 282.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cúbito manús, & fáciunt cervicália sub cápite universæ ætátis ad capiendas ánimas: & cùm cáperent ánimas pópuli mei, vivificábant ánimas eórum. Et violábant me ad pópulum meum, propter pugillum hórdei, & fragmen panis, ut interfícerent ánimas quæ non moriuntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentientes pópulo meo credenti mendáciis. Propter hoc hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros quibus vos cápitis ánimas volantes: & dirumpam eos de brá hiis vestris: & dimittam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volandum. Et dirumpam cervicália vestra, & liberábo pópulum meum de manu vestrâ, neque erunt ultra in mánibus vestris ad prædandam: & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Visitábo oves meas, *pag.* 283.

CANON.

Ex Concílio Cameracensi.

ann. 1565. *tit.* 6. *cap.* 6.

CEremóniæ omnes, quæ signácula sunt pietat

& Religiónis Christiánæ, quasque vel ab Apóstolis, vel ab Ecclésiæ Cathólicæ traditióne, quasi per manum accépimus; ut sanctè & piè sunt invectæ, sic religiósè conserventur in Ecclésiis. Novæ autem nullæ recipiantur sine Epíscopi judício: qui secùs fécerit, puniátur.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

HÆc dicit Dóminus Deus: Homo, homo de domo Israel qui posúerit immundítias suas in corde suo, & scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, & vénerit ad prophétam intérrogans per eum me: ego Dóminus respondébo ei in multitúdine immunditiárum suárum: ut capiátur domus Israel in corde suo, quo recessérunt à me in cunctis idólis suis. Proptéreà dic ad domum Israel: Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini, & recédite ab idólis vestris, & ab univérsis contaminatiónibus vestris avértite fácies vestras.

℟. Hæc dicit Dóminus, *pag.* 280.

Lectio ij.

QUia homo, homo de domo Israel, & de prosélytis quicumque ádvena fúerit in Israel, si alienátus fúerit à me, & posúerit idóla sua in corde suo, & scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, & vénerit ad prophétam ut intérroget per eum me: Ego Dóminus respondébo ei per me. Et ponam fáciem meam super hóminem illum, & fáciam eum in exemplum & in provérbium, & dispérdam eum de médio pópuli mei: & sciétis quia ego Dóminus. Et prophéta cùm erráverit, & locútus fúerit verbum: Ego Dóminus decépi prophétam illum: & extendam manum meam super illum, & delébo eum de médio pópuli mei Israel.

℟. Mitto ego te, *pag.* 281.

Lectio iij. Cap. 18.

ANima quæ peccáverit, ipsa moriétur: fílius non portábit iniquitátem patris, & pater non portábit iniquitátem fílii. Justítia justi super eum erit, & impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis quæ operátus est, & custodíerit ómnia præcepta mea, & fécerit judícium & justítiam; vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus est

est, non recordábor: in justítia sua quam operátus est, vivet. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii? dicit Dóminus Deus; & non ut convertátur à viis suis, & vivat? Si autem avérterit se justus à justítia sua, & fécerit iniquitátem secundùm omnes abominatiónes quas operári solet ímpius, numquid vivet? Omnes justítiæ ejus quas fécerat, non recordabúntur: in prævaricatióne quâ prævaricátus est, & in peccáto suo quod peccávit, in ipsis moriétur.

℟. Vidi, *pag.* 281.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. *part.* 9. *cap.* 15. *&* 16.

Qui in exterióribus ceremóniis consístit, ac non pótiùs illis admonétur ut ad Deum respíciat, confúgiat, ac totam suam fidúciam in illum cóllocet; huic rítus externa ista in subversiónem, quàm ædificatiónem erunt. Quámobrem, quidquid in ejuscémodi rebus ad abúsum & superstitiónem spectat, & quo pópulus à Deo ad collocandum *in externis istis áliquam fidúciam* abdúci possit, prohibémus.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, lóquere ad filios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero super eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum de novíssimis suis, & constitúerit eum super se speculatórem; & ille víderit gládium veniéntem super terram, & cecínerit búccinâ, & annuntiáverit pópulo: áudiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observáverit, venerítque gládius & túlerit eum; sanguis ipsíus super caput ejus erit. Sonum búccinæ audívit, & non se observávit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit. Quòd si speculátor víderit gládium veniéntem, & non insonúerit búccinâ; & pópulus se non custodíerit, venerítque gládius, & túlerit de eis ánimam; ille quidem in iniquitáte sua captus est, sánguinem autem ejus de manu speculatóris requíram.

℟. Vivo ego, *pag.* 282.

Lectio ij.

Et tu, fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel: áudiens erg

ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si, me dicente ad ímpium: Impie, morte moriéris; non fúeris locútus ut se custódiat ímpius à via sua: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem, annuntiante te ad ímpium ut à viis suis convertátur, non fúerit conversus à via sua, ipse in iniquitáte sua moriétur: porrò tu ánimam tuam liberasti. Tu ergo, fili hóminis, dic ad domum Israel: Sic locúti estis dicentes: Iniquitátes nostræ & peccáta nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabéscimus: quómodò ergo vívere potérimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius à via sua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis vestris péssimis: & quare moriémini, domus Israel?

℟. In odórem, *p.* 282.

Lectio iij. Cap. 34.

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, prophéta de pastóribus Israel. Prophéta, & dices pastóribus: Hæc dicit Dóminus Deus: *Væ pastóribus* Israel, qui *pascébant* semetipsos: nonne greges à pastóribus pascuntur? Lac comedebátis, & lanis operiebámini, & quod crassum erat occidebátis: gregem autem meum non pascebátis. Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrótum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; & quod abjectum est, non reduxistis; & quod períerat, non quæsistis; sed cum austeritáte imperabátis eis. Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, & dispersæ sunt.

℟. Visitábo oves meas, *pag.* 283.

CANON.

Ex Concílio Senonensi, *Ann.* 1528. *decr. Mor.* 17.

ORganórum usum Ecclésia à pátribus ad cultum servitiúmque divínum recépit. Nólumus ítaque quòd orgánicis instruméntis résonet in Ecclésia, impudica aut lascíva melódia, sed sonus omnínò dulcis, qui nihil præter hymnos divínos, & cántica spirituália repræsentet.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 34.

VIvo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapínam, & oves meæ

in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eò quòd non esset pastor: neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant pastóres semetípsos, & greges meos non pascébant; proptéreà, pastóres, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos, ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ámpliùs pastóres semetipsos; & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in escam.

℟. Hæc dicit, *pag.* 280.

Lectio ij.

QUia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas. In páscuis ubérrimis pascam eas; & in móntibus excelsis Israel erunt páscua eárum: ibi requiéscent in herbis viréntibus, & in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram; & quod abjectum erat, redúcam; & quod confractum fúerat, alligábo; & quod infírmum fúerat, consolidábo; & quod pingue & forte, custódiam; & pascam illas in judício.

℟. Mitto ego te, *pag.* 281.

Lectio iij.

PRoptéreà hæc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipse júdico inter pecus pingue, & macilentum: pro eo quòd latéribus & húmeris impingebátis, & córnibus vestris ventilabátis ómnia infírma pécora, donec dispergeréntur foràs: salvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam; & judicábo inter pecus & pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum qui pascat eas, servum meum DAVID: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem.

℟. Vidi, *pag.* 281.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. *part.* 9. *cap.* 14.

BEnedicántur campánæ, ut sint tubæ Ecclésiæ militántis, quibus vocétur pópulus ad conveniendum in templum, & audiendum verbum Dei; Clerus verò ad annuntiandum manè misericórdiam Dei, & veritátem ejus per noctem: ut per illárum sónitum fidéles invitentur ad preces, & ut crescat in his devótio fídei.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 36.

PEperci nómini sancto meo, quod pollúerat domus Israel in géntibus ad quas ingressi sunt. Idcircò dices dómui Israel: Hæc dicit Dóminus Deus: Non propter vos ego fáciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in géntibus ad quas intrastis. Et sanctificábo nomen meum magnum quod pollútum est inter gentes, quod polluistis in médio eárum: ut sciant gentes, quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm sanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippè vos de géntibus, & congregábo vos de universis terris, & addúcam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris: & ab universis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestrî: & áuferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis *cor cárneum.* Et Spíritum *meum ponam* in médio ve*strî: & fáciam* ut in præ*ceptis meis* ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini.

Lectio ij. Cap. 37.

FActa est super me manus Dómini, & eduxit me in Spíritu Dómini: & dimísit me in médio campi qui erat plenus óssibus; & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valdè super fáciem campi, síccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hóminis, putásne, vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticináre de óssibus istis: & dices eis: Ossa árida, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromittam in vos spíritum, & vivétis. Et dabo super vos nervos, & succréscere fáciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spíritum, & vivétis, & sciétis quia ego Dóminus.

Lectio iij.

ET prophetávi sicut præcéperat mihi: factus est autem sónitus, prophetante me, & ecce commótio: & accessérunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctúram suam. Et vidi: & ecce super ea nervi & carnes ascendérunt: & extenta est in eis cutis désuper, & spíritum non habébant.

Et dixit ad me: Vaticinare ad spíritum: vaticináre, fili hóminis, & dices ad spíritum: Hæc dicit Dóminus Deus: A quátuor ventis veni, spíritus, & insuffla súper interfectos istos, & revivíscant. Et prophetávi sicut præcéperat mihi: & ingressus est in ea spíritus, & vixérunt: steterúntque super pedes suos, exércitus grandis nimis valdè. Et dixit ad me: Fili hóminis, ossa hæc universa domus Israel est: ipsi dicunt: Aruérunt ossa nostra, & périit spes nostra, & abscissi sumus. Proptéreà vaticináre, & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepulcris vestris, Pópulus meus: & indúcam vos in terram Israel.

CANON.

Ex Concílio Cameracensi. *Ann.* 1565. *tit.* 6. *cap.* 15.

QUi tintinnábula & campánulas ad harmóniam quamdam pulsáre solent, cáveant omnínò ne hujúsmodi pulsatióne cantatiónes turpes, inhonestas, & vúlgò jactátas imiténtur; sed pótiùs hymnórum & canticórum Ecclésiæ modulatiónes.

Ad Magnif. Ant. 1. G. *Anánias, & Azárias, & Misael credentes, liberáti sunt de flamma: Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. I. Machab. 2.*

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XXI. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam: & trádidit Dóminus in manu ejus, Jóakim regem Juda, & partem vasórum domûs Dei: & asportávit ea in terram Sénnaar, in domum dei sui, & vasa íntulit in domum thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de fíliis Israel, & de sémine régio & tyrannórum púeros, in quibus nulla esset mácula, decóros formâ, & erudítos omni sapiéntiâ, cautos sciéntiâ, & doctos disciplínâ, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, & linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino undè bibébat ipse; ut enutríti tribus annis, pósteà starent in conspectu regis.

℟. Exclamávit Susanna & dixit: Deus ætérne, qui abscónditórum es cógnitor, tu scis quóniam falsum testimónium tulérunt contra me: & ecce mórior. * Exaudívit Dóminus vocem ejus; & salvátus est sanguis innóxius in die illa. ℣. Deus qui justíficat: quis est qui condemnet? * Exaudívit. *Dan.* 13. *Rom.* 8.

Lectio ij.

FUérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Mísael, & Azárias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina; Daniéli, Baltassar; Ananíæ, Sidrach; Misaéli, Misach; & Azáriæ, Abdénago. Propósuit autem Dániel in corde suo, ne pollueréntur de mensa regis, neque de vino potûs ejus: & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem qui constítuit vobis cibum & potum: qui si víderit vultus vestros macilentióres præ céteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput meum regi.

℟. Deus noster quem cólimus, * Potest erípere nos de camíno ignis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi quia deos tuos non cólimus. ℣. Etsi sunt qui dicantur dii, nobis tamen unus Deus. * Potest erípere. *Dan.* 3. *I. Cor.* 8.

Lectio iij.

ET dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananíam, Misaélem & Azáriam: Tenta nos, óbsecro, servos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & contempláre vultus nostros, & vultus puerórum qui vescuntur cibo régio: & sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui, audíto sermóne hujuscémodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres, & corpulentióres præ ómnibus púeris qui vescebantur cibo régio. Porrò Málasar tollébat cibária, & vinum potûs eórum, dabátque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus sciéntiam, & disciplínam, in omni libro, & sapiéntia; Daniéli autem intelligéntiam ómnium visiónum & somniórum.

℟. Ego Nabuchodónosor óculos meos ad cœlum levávi, & sensus meus rédditus est mihi, & figúra mea reversa est ad me : * Laudo & glorífico regem cœli; quia gradientes in supérbia potest humiliáre. ℣. Deus supérbis resístit : humílibus autem dat grátiam. * Laudo. Glória. * Laudo. *Dan.* 4. *Jac.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv.

De Off. Minist. Libr. 2. *c.* 10. & 11.

DAniel ex captívis regálium consultórum árbiter factus, consíliis suis emendávit præséntia, annuntiávit futúra. Ex his enim quæ frequenter interpretátus osténderat veri se esse annúntium, fides ei in ómnibus deferebátur. Quis Daniélis consílium refúgeret, de quo Deus ipse dixit : Quis Daniéle sapiéntior ? aut quómodò hómines de eórum dubitáre méntibus possent, quibus Deus tantam conferébat grátiam ? Quàm purus Daniélis ánimus, ut mulcéret bárbaros mores, mitigáret leónes? Quæ in illo temperántia ? quanta *ánimi & córporis continéntia ? Nec imméritò mirábilis factus* ómnibus, quandò, quod veheménter admirántur hómines, regálibus fultus amicítiis, aurum non quærébat, nec delátum sibi honórem pluris faciébat quàm fidem. Quin étiam periclitári malébat pro lege Dómini, quàm pro grátia hóminis inflécti.

℟. Daríus rex scripsit univérsis pópulis : A me constitútum est decrétum ut in univérso regno meo tremíscant & páveant Deum Daniélis. * Ipse est enim Deus vivens, & ætérnus : ipse liberátor atque salvátor, qui liberávit Daniélem de lacu leónum. ℣. Dóminus ómnium; dives in omnes qui ínvocant illum. * Ipse est. *Dan.* 6. *Rom.* 10.

Lectio v.

Libr. 3. *de Spiritu S. c.* 6.

PEr Spíritum datur sermo sapiéntiæ. Dániel, nisi accepísset Dei Spíritum, numquàm potuísset deprehéndere adultérium libídinis, mendácium fraudis. Nam cùm Susanna presbyterórum conjuratiónibus appetíta, inflexam pópuli mentem vidéret contemplatióne seniórum; & ómnibus destitúta subsídiis, sola inter hómines pudicítiæ suæ cónscia Deum árbitrum precarétur : Exaudívit, inquit Scriptúra, Dóminus voc

ejus, cùm ducerétur ut períret; & excitávit Dóminus Spíritum sanctum púeri adolescentis, cui nomen Dániel.

℟. Misérunt Daniélem Babylónii in lacum leónum. Erat autem Hábacuc prophéta in Judæa, & ipse cóxerat pulmentum: & apprehendit eum Angelus, & portávit eum capillo cápitis sui supra lacum; & ait Dániel: * Recordátus es meî, Deus, & non dereliquisti diligentes te. ℣. Nunc scio verè, quia misit Dóminus Angelum suum. * Recordátus es. *Dan.* 14. *Act.* 12.

Lectio vj.

ITaque secundùm accepti Spíritûs sancti grátiam, vacillántia perfidórum testimónia deprehendit: neque enim ália nisi divínæ fuit operátio potestátis, ut eos vox sua próderet quorum latébat affectus. Ac ne quis fortè exístimet, quia, dicente Scriptúrâ: Excitávit Deus Spíritum sanctum púeri adolescentis, spíritum in eo putet fuisse hóminis, non Spíritum sanctum; legat in posterióribus, & inveniet: Accépit Dániel, & ídeò prophetávit. Déniquè, & rex eum *prætulit*, quia habébat *grátiam spiritálem*. Sic e*nim dicit*: Tu autem, Dániel, potes, quia Spíritus sanctus Dei in te est. Et infrà Scriptúra dicit: Et fuit Dániel præpósitus illis: quóniam Spíritus erat súperans in eo.

℟. Venit rex die séptimo, & introspexit: & ecce Dániel sedens in médio leónum: & exclamávit voce magnâ dicens: * Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et † Extraxit eum de lacu leónum. ℣. Dómine Deus omnípotens, rex seculórum, quis non timébit te, & magnificábit nomen tuum? * Magnus es. Glória. † Extraxit eum. *Dan.* 14. *Apoc.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Dicit Jesus: Assimilátum est regnum cœlórum hómini regi qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 27. *in Genesim.* §. 7.

MAgnum est parábolæ lucrum, modò atténdere voluérimus. Quómodò enim tantum potérimus dimíttere, quantum nobis à Dómino dimíttitur! Et nos quidem si hoc voluérimus, conservis remíttimus; ipsi verò à Dó-

mino remissiónem accípimus. Et vide ut diligenter síngula dicta sint. Non enim dixit simplíciter : Si non dimiséritis homínibus peccáta ; sed : Si non unusquisque fratri suo remiséritis è córdibus vestris delicta illórum. Adverte quómodò vult cor nostrum in quiéte & tranquillitáte esse, & mentem nostram à perturbatiónibus aliénam, affectionibúsque ómnibus líberam, maximúmque nos erga próximum dilectiónis stúdium declaráre. Et álio quoque loco iterùm dicentem audíre licet : Si dimiséritis homínibus delicta illórum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis. Ne ígitur putémus dum hoc fácimus, nos álteri gratificári, aut magnum quoddam benefícium apud illum depónere : nam ipsi sumus qui benefício frúimur, & multùm lucri indè nobis conciliámus : sicut étiam si hoc non fecérimus, omnínò nihil eos lædere potérimus, nobis ipsis autem intolerábilem gehennæ pœnam parámus.

℟. Prócidens servus orábat dóminum suum, dicens : Patiéntiam habe in me, & ómnia *reddam tibi : misertus autem dóminus servi illíus ; * Dimísit* eum, & débitum dimísit ei. ℣. Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta. * Dimísit. *Matth.* 18. *Eccli.* 2.

Lectio viij.

IDcircò óbsecro ut cogitantes hæc, nunquam committámus ut eórum qui nos contristârunt, vel áliàs offendérunt, injúriæ reminiscámur, vel inimíco ánimo erga illos afficiámur : sed considerantes quanta hoc nobis ásferat benefícia, & quantam apud Dóminum fidúciam ; &, ante ómnia, quòd reconciliári cum iis qui nos injúriâ affecêre, peccatórum nostrórum absúmptio quædam sit : festinémus, & anhelémus, ut parátum nobis indè lucrum reputantes, tam officiósi in eos simus qui nos offendérunt, quàm sumus in eos qui verè nobis benefáciunt.

℟. Homo in hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & de peccátis suis deprecátur? * Quis exorábit pro delictis illíus ? ℣. Judícium sine misericórdia illi qui non fecit misericórdiam. * Quis. Glória. * Quis. *Eccli.* 28. *Jac.* 2.

Lectio ix. §. 8.

COgita, óbsecro, car... sime, quanta sit h...

virtútis magnitúdo, & disce vel ex præmiis quæ propter illam mundi Dóminus promísit. Nam cùm dixisset: Dilígite inimícos vestros, benedícite eis qui persequuntur vos, oráte pro calumniántibus vos; quia sublímia sunt præcepta, summúmque vérticem tangéntia, súbjicit: Ut efficiámini símiles Patri vestro qui in cœlis est; quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Vidisti, quantùm facultas fert humána, cui símilis fiat qui non solùm non ulcíscitur eum qui offendit, sed & pro eo oráre studet. Ne ígitur neglıgéntiâ nostrâ tálibus nos fraudémus bonis & præmiis, quæ omnem sermónem transcendunt: sed modis ómnibus boni hujus óperis nobis cura sit; cogatúrque & erudiátur mens, ut páreat Dei præceptis.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Serve nequam, omne débitum dimísi tibi, quóniam rogasti me: nonne ergo opórtuit & te miseréri conservi tui, sicut & ego tuî misertus sum? *Matth.* 18.

Oratio.

SPíritum nobis, Dómine, *tuæ caritátis benignus infunde; ut frátribus nostris de corde remittámus*, quátenùs & nobis débita nostra propítius dimittas; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

Ann. 1565. *part.* 2. *tit.* 5.

MOneant Párochi frequenter patres famílias, ut fílios & fámulos quos in béstiis pascendis óccupant, saltem diébus festis Missæ júbeant interesse.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Irátus Dóminus trádidit servum tortóribus, quoadusque rédderet universum débitum: sic & Pater cœlestis fáciet vobis, si non remiséritis unusquisque fratri suo de córdibus vestris. *Matth.* 18.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

IN anno secundo regni Nabuchodónosor, vidit Nabuchodónosor sómnium, & contérritus est spíritus ejus, & sómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem rex ut convocarentur aríoli, & magi, & maléfici, & Chaldæi, ut indicárent regi sómnia sua. Qui cùm venissent, stetérunt coram rege; & dixit ad eos rex: Vidi sómnium, & mente confúsus ignóro quid víderim. Respondé-

runtque Chaldæi regi Syriacè: Rex, in sempiternum vive: dic sómnium servis tuis, & interpretatiónem ejus indicábimus. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicavéritis mihi sómnium, & conjectúram ejus, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. Si autem sómnium & conjectúram ejus narravéritis, præmia, & dona, & honórem multum accipiétis à me.

℟. Exclamávit Susánna, *pag.* 294.

Lectio ij.

RESpondentes ergo Chaldæi coram rege dixérunt: Non est homo super terram, qui sermónem tuum, rex, possit implére: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujuscémodi sciscitátur ab omni aríolo, & mago, & Chaldæo. Sermo enim quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperiétur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis quorum non est cum homínibus conversátio. Quo audito, rex, in furóre & in ira magna, præcépit ut períirent omnes sapientes Babylónis, & egressâ senténtiâ, sapientes interficiebantur: quærebanturque Dániel, & sócii ejus, ut períirent.

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

TUnc Dániel requisívit de lege atque senténtia ab Arioch, príncipe milítiæ regis. Cùm ergo rem indicasset Arioch Daniéli, Dániel ingressus rogávit regem ut tempus daret sibi ad solutiónem indicandam regi. Et ingressus est domum suam, Ananiæque, & Misaéli, & Azáriæ, sóciis suis indicávit negótium: ut quærerent misericórdiam a fácie Dei cœli super sacramento isto, & non períirent Dániel & sócii ejus, cum céteris sapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli mystérium per visiónem nocte revelátum est: & benedixit Dániel Deum cœli.

℟. Ego Nabuchodónosor, *pag.* 295.

CANON.

Ex Concilio Mediolanensi primo.

Ann. 1565. *part.* 2. *tit.* 5.

ORatoriórum ædificatiónem, aut usum, ne fácilè, sed magnâ de causâ, permittant Episcopi. Cui autem id permissum fúerit, is eo rariùs utátur: ne distracti hómines illa commoditáte Ecclésiam Dei minùs frequentent

quod exemplo étiam nóceat áliis.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

POst hæc Dániel ingressus ad Arioch quem constitúerat rex, ut pérderet sapientes Babylónis, sic ei locútus est: Sapientes Babylónis ne perdas, intróduc me in conspectu regis, & solutiónem regi narrábo. Tunc Arioch festínus introduxit Daniélem ad regem, & dixit ei: Invéni hóminem de filiis transmigratiónis Juda, qui solutiónem regi annúntiet. Respondit rex, & dixit Daniéli cujus nomen erat Baltassar: Putásne, verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, & interpretatiónem ejus? Et respondens Dániel coram rege ait: Mystérium quod rex intérrogat, sapientes, magi, aríoli, & arúspices néqueunt indicáre regi: sed est Deus in cœlo revélans mystéria, qui indicávit tibi, rex Nabuchodónosor, quæ ventúra sunt in novíssimis tempóribus.

℟. Darius rex, *p.* 295.

Lectio ij.

TU, rex, *videbas; & ecce quasi státua una grandis*: státua illa magna, & statúrâ sublímis stabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro óptimo erat, pectus autem & bráchia de argento, porrò venter & fémora ex ære. Tíbiæ autem férreæ; pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscissus est lapis de monte sine mánibus: & percússit státuam in pédibus ejus férreis & fictílibus, & comminuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento; nullúsque locus inventus est eis. Lapis autem qui percússerat státuam, factus est mons magnus, & implévit universam terram. Hoc est sómnium.

℟. Misérunt Daniélem, *pag.* 296.

Lectio iij.

INterpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es: & Deus cœli regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia in quibus hábitant filii hóminum, & béstiæ agri, vólucres quoque cœli, dedit in manu tua, & sub ditióne tua universa constítuit: tu es

ergo caput áureum. Et post te consurget regnum áliud, minus te, argénteum: & regnum tértium áliud, æreum, quod imperábit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut férreum: quómodò ferrum comminuit & domat ómnia, sic comminuet & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidisti pedum, & digitórum partem testæ figuli, & partem férream; regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, & dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fictiles; ex parte regnum erit sólidum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto: commiscebuntur quidem humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testæ. In diébus autem regnórum illórum, suscitábit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet autem, & consúmet universa regna hæc; & ipsum stabit in æternum.

℟. *Venit Rex die séptimo, pag. 296.*

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

Ann. 1565. part. 2. tit. 5.

ORatória ne sint in interiórum ædium pártibus, in quibus dómini vel família frequéntiùs versentur, sed cómmodo & honesto loco, à cubículis, triclíniis, & ab aula separáto: ad templi formam & régulam própiùs accédant; nec ita angusta sint, ut qui missam audíerint, ad óstium aut fenestram stare cogantur, aut dêniquè ibi sacris interesse, ubi promíscuè profánum áliquod exerceátur.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

NAbuchodónosor rex fecit státuam áuream, altitúdine cubitórum sexaginta, latitúdine cubitórum sex, & státuit eam in campo Dura províncíæ Babylónis. Itaque Nabuchodónosor rex misit ad congregandos sátrapas, magistrátus & júdices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnésque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ quam eréxerat Nabuchodónosor rex..... Stabant autem in conspectu státuæ quam posúerat Nabuchodónoso

rex ; & præco clamábat valenter : Vobis dícitur pópulis, tríbubus, & linguis : In hora quâ audiéritis sónitum tubæ, & fistulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & universi géneris musicórum, cadentes adoráte státuam áuream quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eádem horâ mittétur in fornácem ignis ardentis.

℟. Exclamávit Susánna, *pag.* 294.

Lectio ij.

STatímque in ipso témpore accedentes viri Chaldæi accusavérunt Judæos, dixerúntque Nabuchodónosor regi : Rex, in ætérnum vive.... Sunt viri Judæi quos constituísti super ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Misach & Abdénago : viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum : deos tuos non colunt, & státuam áuream quam erexísti, non adórant. Tunc Nabuchodónosor, in furóre & in ira, præcépit ut adducerentur Sidrach, Misach & Abdénago : qui conféstìm addúcti sunt in conspéctu regis. Pronuntiánsque Nabuchodónosor rex ait eis : Veréne, Sidrach, Misach & Abdénago, deos meos non cólitis, & státuam áuream quam constítui, non adorátis ?

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

REspondentes Sidrach, Misach & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor : Non oportet nos de hac re respondére tibi : Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardentis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus; & státuam áuream, quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre : & aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach & Abdénago; & præcépit ut succenderétur fornax séptuplùm quàm succendi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut ligátis pédibus Sidrach, Misach & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardentis. Et conféstìm viri illi vincti cum braccis suis, & tiáris, & calceamentis, & véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardentis; nam jússio regis urgébat : fornax autem succensa erat nimìs. Porrò viros illos

qui míserant Sidrach, Misach & Abdénago, interfécit flamma ignis: viri autem hi tres, id est Sidrach, Misach, & Abdénago cecidérunt in médio camíno ignis ardentis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ laudántes Deum, & benedicentes Dómino.

℟. Ego Nabuchodónosor, pag. 295.

CANON.

Ex Concilio Moguntino. Ann. 1549. cap. 95.

Sacellani nobilium in sacellis castrórum Missas celebráre, aut ália Sacramenta conferre, aut étiam prædicáre non præsumant, nisi super eo auctoritátem & consensum Ordinariórum obtinúerint, salvis étiam júribus Parochiárum ad quas tália castra nobílium pertinére noscuntur.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

Nabuchodónosor rex obstúpuit, & surrexit própere, & ait optimátibus suis: Nonne tres viros mísimus in médium ignis compedítos? Qui respondentes regi dixérunt: Verè rex. Respóndit & ait: Ecce ego vídeo quátuor viros solútos, & ambulantes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis est, & spécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc accessit Nabuchodónosor ad óstium fornácis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach & Abdénago servi Dei excelsi, egredímini, & veníte. Statímque egressi sunt Sidrach, Misach & Abdénago de médio ignis. Et congregáti sátrapæ, & magistrátus, & júdices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in corpóribus eórum, & capillus cápitis eórum non esset adustus, & sarábala eórum non fuissent immutáta, & odor ignis non transísset per eos.

℟. Dárius rex scripsit, pag. 295.

Lectio ij.

Et erumpens Nabuchodónosor ait: Benedíctus Deus eórum, Sidrach vidélicet, Misach & Abdénago, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui credidérunt in eum: & verbum regis immutavérunt, & tradidérunt córpora sua ne servírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. A me ergo pósitum est hoc decrétum ut omnis pópulus, tribus, & lingua, quæcumque locu-

fúerit blaſphémiam contra Deum Sidrach, Miſach & Abdénago, diſpéreat, & domus ejus vaſtétur: neque enim eſt álius Deus qui poſſit ita ſalváre.

℟. Miſérunt Daniélem, *pag.* 296.

Lectio iij.

TUnc rex promóvit Sidrach, Miſach & Abdénago in província Babylónis. Nabuchodónoſor rex ómnibus pópulis, géntibus & linguis qui hábitant in univerſa terra, pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excelſus. Plácuit ergo mihi prædicáre ſigna ejus, quia magna ſunt; & mirabília ejus, quia fórtia: & regnum ejus regnum ſempitérnum, & poteſtas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. Venit rex, *pag.* 296.

CANON.

Ex Concílio Toloſáno.

Ann. 1590. *part.* 3. *c.* 11.

ECcléſias, capellas, altária, oratória, quæque ad illórum ornátum appóni ſanctíſſima majórum præcipit relígio, tábulas, Sanctórum imágines, juſto nitóre relucére, *imò & pavimentum étiam nítidum conſervári ſevérè Epíſcopi præcípiant.*

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

SOmnium vidi ego Nabuchodónoſor rex: tu ergo Baltaſſar interpretatiónem narra feſtínus; quia omnes ſapientes regni mei non queunt ſolutiónem edícere mihi: tu autem potes, quia Spíritus deórum ſanctórum in te eſt. Tunc Dániel, cujus nomen Baltaſſar, cœpit intra ſemetipſum tácitus cogitáre quaſi unâ horâ: & cogitatiónes ejus conturbábant eum. Reſpondens autem rex ait: Baltaſſar, ſómnium & interpretátio ejus non conturbet te. Reſpondit Baltaſſar & dixit: Dómine mi, ſómnium his qui te odérunt, & interpretátio ejus hóſtibus tuis ſit. Arborem quam vidiſti ſublímem, atque robuſtam, cujus altitúdo pertingit ad cœlum, & aſpectus illíus in omnem terram: & rami ejus pulchérrimi, & fructus ejus nímius, & eſca ómnium in ea: ſubter eam habitantes béſtiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli: tu es, rex, qui magnificátus es, & invaluiſti: & magnitúdo tua crevit, & pervénit uſque ad cœlum, & poteſtas tua in términos univerſæ terræ.

:xclamávit Susanna,
94.
Lectio ij.
Jòd autem vidit rex
Vígilem & Sanctum
idere de cœlo & dí-
Succídite árborem,
ipáte illam; áttamen
n radícum ejus in
dimíttite, & vinciá-
ro & ære in herbis
& rore cœli consper-
, & cum feris sit pá-
ejus, donec septem
ra mutentur super
hæc est interpretátio
tiæ Altíssimi, quæ
nit super dóminum
regem: ejícient te
mínibus, & cum bé-
ríśque erit habitátio
k fœnum ut bos có-
, & rore cœli infun-
septem quoque tém-
nutabuntur super te,
scias quòd dominé-
celsus super regnum
num, & cuicumque
rit, det illud.
Deus noster, *pag.*

Lectio iij.
Uòd autem præcépit
it relinqueréntur ger-
adícum ejus, id est,
s: regnum tuum tibi
bit, postquàm cognó-
potestátem esse cœlé-
Quámobrem, rex,
ium meum *pláceat ti-*
peccáta tua eleemó-
édime, & iniquitá-
tes tuas misericórdiis páu-
perum: fórsitan ignoscet
delíctis tuis. Omnia hæc
venérunt super Nabucho-
dónosor regem.

℟. Ego Nabuchodóno-
sor, *pag.* 295.

CANON.

Ex Concílio Tolosáno.
Ann. 1590. *part.* 3. *cap.* 1.
num. 3.

QUæ sacris rerum divinárum úsibus vestes, vasa, aliáque id genus erunt comparáta, ea sollícitâ nitóris custódiâ asserventur, nec umquàm profánis úsibus inservienda mútuò concedantur; ne promíscuâ seculárium attrectatióne polluantur.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

POst finem ménsium duódecim, Nabuchodónosor in aula Babylónis deambulábat: respondítque rex & ait: Nonne hæc est Bábylon magna, quam ego ædificávi in domum regni, in róbore fortitúdinis meæ, & in glória decóris mei? Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dícitur, Nabuchodónosor rex: Regnum tuum transíbit à te, & ab homínibus ejícient te, & cum béstiis & feris erit habitátio tua: fœnum quasi bos cómedes,

& septem témpora mutabuntur super te, donec scias quòd dominétur Excelsus in regno hóminum, & cuicumque volúerit, det illud.

Lectio ij.

EAdem horâ sermo cómplétus est super Nabuchodónosor, & ex homínibus abjectus est, & fœnum ut bos comédit, & rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitúdinem aquilárum créscerent, & ungues ejus quasi óvium. Igitur post finem diérum ego Nabuchodónosor óculos meos ad cœlum levávi, & sensus meus rédditus est mihi: & Altíssimo benedixi, & viventem in sempiternum laudávi, & glorificávi: quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generatiónem & generatiónem. Et omnes habitatóres terræ apud eum in níhilum reputáti sunt: juxta voluntátem enim suam facit tam in Virtútibus cœli, quàm in habitatóribus terræ: & non est qui resistat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecisti?

Lectio iij.

IN ipso témpore sensus meus reversus est ad me, & ad honórem regni mei, decorémque pervéni: & figúra mea reversa est ad me: & optimátes mei, & magistrátus mei requisiérunt me, & in regno meo restitútus sum: & magnificéntia ámplior áddita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodónosor laudo, & magnífico, & glorífico Regem cœli; quia ómnia ópera ejus vera, & viæ ejus judícia, & gradientes in supérbia potest humiliáre.

CANON.

Ex Concílio Avenionensi, *Ann.* 1594. *tit.* 24.

CAlices ad Missæ sacrifícium non adhibeantur nisi argéntei, ab interióre parte inauráti. Sint verò instructi purificatório decenti & albo, paténâ inaurátâ ad dignoscendas partículas commodióre; velo decenti, ejus colóris qui Missæ offício convéniat, quódque totum Cálicem tegat.

[*Si duæ supersint tantùm Hebdomadæ usque ad Adventum,* (*quod contingit quandò Pascha incidit in diem* xxiv. *aut* xxv. *Aprilis,*) *Ant. sequens* Ne confundas. *prætermittitur, cum omnibus Lectionibus sequentis Hebdomadæ* xxij. *quæ de Daniele sunt, & pro Officio Dominicæ &* Hebdom. xxiij. *ponitur Ant.* Duódecim Prophetárum, p. 320. quam sequitur Offi-

ominica & Hebdo-
xiij. Sabbato verò
Hebdomadæ fit de
o, & in eo ponitur
a Lectione Homilia
ca xxij. *cum suo* ℟.
udes verò ponitur
ad Bened. *& Ora-*
eadem Dominica,
tur etiam ad omnes
sque ad Nonam in-
, nisi occurrat Fe-
iduplex aut suprà:
fit tantùm comme-
prædicta Dominica
iliam in Noctur-
Laudibus per An-
ad Benedictus, *&*
em.]

Magníf. *Ant.* 4. E.
fundas nos, Dómi-
fac nobíscum juxta
údinem tuam, &
m multitúdinem
ordiæ tuæ. *Dan.* 3.
ut infrà ad Laudes.

INICA XXII.
t Pentecosten.

NOCTURNO.

aniéle Prophéta.
tio j. Cap. 5.
ltassar rex fecit gran-
onvívium optimá-
is mille: & unus-
secundùm suam bi-
átem. Præcépit er-
temulentus, ut af-
r vasa áurea & ar-
quæ asportáverat
dónosor pater e-
plo quod fuit in
Jerúsalem: .... & bibérunt in eis rex, & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos suos áureos & argénteos, æreos, férreos, ligneósque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quasi manûs hóminis scribentis contra candelábrum in superfície paríetis aulæ régiæ: & rex aspiciébat artículos manûs scribentis. Tunc fácies regis commutáta est, & cogitatiónes ejus conturbábant eum: & compáges renum ejus solvebantur, & génua ejus ad se ínvicem collidebantur.

℟. Exclamávit Susanna, *pag.* 294.

Lectio ij.

IGitur introductus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex, ait... Nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi; ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi: & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, & ligáta dissólvere. Si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, & torquem auream circa collum tuum habébis, & tértius in regno

meo princeps eris. Ad quæ respondens Dániel ait coram rege: Múnera tua sint tibi, & dona domûs tuæ álteri da: scriptúram autem legam tibi, rex; & interpretatiónem ejus ostendam tibi.

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

ADversùm Dominatórem cœli elevátus es; & vasa domûs ejus alláta sunt coram te: & tu, & optimátes tui, & uxóres tuæ, & concubínæ tuæ, vinum bibistis in eis... Idcircò ab eo missus est artículus manûs quæ scripsit hoc quod exarátum est. Hæc est autem scriptúra quæ digesta est: MANE, THECEL, PHARES; & hæc est interpretátio sermónis. MANE: numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. THECEL: appensus es in statéra, & inventus es minùs habens. PHARES: divísum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Tunc, jubente rege, indútus est Dániel púrpurâ, & circúmdata est torques áurea collo ejus: & prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eâdem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus: & Daríus Medus succeffit in regnum an-

nos natus sexaginta

℟. Ego Nabuchc for, *pag.* 295.

IN II. NOCTUR

Ex Commentáriis Hierónymi Presbyt Daniélem Prophé

Cap. 9. ante medi

Lectio iv.

AFricánus in Témporum v ne, de septuaginta domádibus hæc loci verbum est: Capí quod in Daniéle d tuaginta hebdomádi gimus, multa & mi cóntinet, quæ nun gum est dícere: erg ad præsens opus pé de tempóribus di dum est. Nullíque d quin de adventu prædicátio sit, qu septuaginta hebdó mundo appáruit; quem consummáta delícta, & finem a peccátum, & delé iníquitas, & annu justítia sempiterna q gis justítiam víncer impléta est vísio & phetía; quia lex & phétæ usque ad Bap Joannem: & unct Sanctus sanctórum. ómnia priusquàm Cl humánum corpus meret, sperabantur quàm tenebantur.

℟. Darius rex scripsit, *pag.* 295.

Lectio v.

DIcit autem ipse Angelus septuaginta annórum hebdómadas, id est, annos quadringentos nonaginta, ab éxitu sermónis, ut respondeátur, & ut ædificétur Jerúsalem, vicésimum Artaxerxis regis Persárum annum habére princípium. Nehémias quippè, hujus pincerna, sicut in Esdræ libro légimus, rogávit regem, accepítque respónsum, ut ædificarétur Jerúsalem. Et iste egressus est sermo, qui extruendæ urbis & circumdandæ muris daret licéntiam: quæ usque ad illud tempus vicinárum géntium patébat incúrsibus. Siquidem ad Cyri regis impérium, qui voléntibus reverti Jerosólymam déderat potestátem, Jesus póntifex & Zoróbabel, & pósteà Esdras sacerdos, & céteri qui cum eis proficisci volúerant, templum, & urbem, & muros ejus ædificáre conáti sunt, prohibéntibus in circúitu natiónibus ne implerétur opus, quasi hoc rex non jussisset.

℟. Misérunt Daniélem, *pag.* 296.

Lectio vj.

MAnsit ítaque imperfectum opus usque ad Nehémiam, & vicésimum annum regis Artaxerxis: quo témpore regni Persárum centum & quíndecim anni fúerant evolúti; captivitátis autem Jerúsalem, centésimus octogésimus & quintus annus erat: & tunc primùm Artaxerxes jussit muros éxtrui Jerúsalem: cui óperi præfuit Nehémias; & ædificáta est platéa, & muri circúmdati: & ex illo témpore, si numeráre velis, septuaginta annórum hebdómadas usque ad Christum póteris inveníre.

℟. Venit rex, *p.* 296.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore: Abeuntes Pharisæi consílium iniérunt, ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Rom. Prop. 72.

QUod ait Apóstolus: Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; rectíssimè jàm monet ne quis ex eo quòd à Dómino suo in libertátem vocátus est, factúsque christiánus, extol-

látur in supérbiam, & arbitrétur in hujus vitæ itínere servandum non esse órdinem suum: & potestátibus sublimióribus, quibus pro témpore rerum temporálium gubernátio trádita est, putet non se esse subdendum. Cùm enim constémus ex ánima & córpore, & quámdiu in hac vita temporáli sumus, étiam rebus temporálibus ad subsídium degendæ hujus vitæ utámur; oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pértinet, súbditos esse potestátibus: id est, homínibus res humánas cum áliquo honóre administrántibus. Ex illa verò parte quâ crédimus Deo, & in regnum ejus vocámur, non nos oportet esse súbditos cuíquam hómini, idipsum in nobis evértere cupienti, quod Deus ad vitam ætérnam donáre dignátus est.

℟. Princeps Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit. * Ideò necessitáte súbditi estóte, non solùm propter iram, sed étiam propter consciéntiam. ℣. Per me príncipes ímperant, & potentes decernunt justítiam. * Ideò. *Rom.* 13. *Prov.* 8.

Lectio viij.

SI *quis ergo putat, quóniam christiánus est*, non sibi esse vectígal reddendum aut tribútum; aut non esse exhibendum honórem débitum eis quæ hæc curant, potestátibus; in magno erróre versátur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut étiam in suam fidem hábere potestátem arbitrétur eum, qui temporálibus administrandis áliquâ sublimitáte præcellit; in majórem erróre lábitur. Sed modus iste servandus est, quem Dóminus ipse præscríbit, ut reddámus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Quanquam enim ad illud regnum vocémur, ubi nulla erit potestas hujúsmodi: in hoc tamen itínere dum ágimus, donec perveniámus ad illud séculum, ubi fit evacuátio omnis principátûs & potestátis; conditiónem nostram pro ipso rerum humanárum órdine tolerémus, nihil simuláte faciéntes, & in eo ipso non tàm homínibus quàm Deo, qui hæc jubet, obtemperántes.

℟. Subjecti estóte omni humánæ creatúræ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti; sive dúcibus, tanquam ab eo missis. * Deum timéte; regem honorificáte. ℣. Non est potestas nisi à Deo. Qui resístit potestáti

i ordinatióni resistit.
n. Glória. * Deum.
r. 2. *Rom.* 13.
Lectio ix.
, *in Ps.* 118. *Serm.*
31. §. 1.
Umquid Christianó-
um rex milites suos
ouit impéndere &
ére quæ debentur
is terræ ? Nonne de
ibi calúmniam mo-
ous Judæis ait : Réd-
Cæsari quæ Cæsaris
& Deo quæ Dei sunt ?
e tribútum de ore
étiam ipse persol-
'onne præcursor ejus,
bus regni hujus quid
: debérent pro æter-
úte quæréntibus, non
Cíngulum sólvite ,
projícite , regem ve-
desériti , ut possítis
no militáre, sed ait :
inem concussériti s :
calúmniam fecéritis :
iat vobis stipéndium
um. Nonne unus mí-
i ejus , & dilectíssimus
s ejus , commilitóni-
uis , & quodámmodo
sti provinciálibus di-
Omnis ánima potestá-
sublimióribus súbdita
et paulò pòst ait : Réd-
ómnibus débita : cui
tum , tribútum ; cui
igal , vectígal ; cui ti-
em , timórem ; cui ho-
m , *honórem. Némi-*
idquam debeátis , nisi

ut ínvicem diligátis. Non-
ne præcépit ut pro ipsis
étiam régibus orátet Ec-
clésia ?

Ad Bened. *Ant.* 6. F.
Rédđite ómnibus débita :
cui tribútum , tribútum ;
cui vectígal , vectígal ;
cui timórem , timórem ;
cui honórem , honórem.
Rom. 13.

Oratio.

DIrigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio ; ut & tibi reddámus nostra ómnia quæ tua sunt ; & ordinátis à te potestátibus promptâ simus voluntáte subjecti ; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. *de refórm. c.* 4.

EPíscopi , saltem Domínicis & áliis Festívis diébus púeros in síngulis Paróchiis fídei rudiménta , & obediéntiam erga Deum & paréntes , diligenter ab iis ad quos spectábit , docéri curábunt ; & , si opus sit , étiam per censúras Ecclesiásticas compellent : non obstántibus privilégiis & consuetudínibus.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D.
Rédđite quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo. *Matth.* 22.

FERIA SECUNDA.
De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

PLácuit Darío, & constítuit super regnum sátrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo, & super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut sátrapæ illis rédderent ratiónem, & rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes & sátrapas: quia Spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat constitúere eum super omne regnum: undè príncipes & sátrapæ quærébant occasiónem ut inveníreut Daniéli ex látere regis: nullámque causam & suspiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset, & omnis culpa & suspício non inveniréτur in eo. Dixérunt ergo viri illi: Non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

℟. Exclamávit Susanna, *pag.* 294.

Lectio ij.

TUnc príncipes & sátrapæ surripuérunt regi, & sic locúti sunt ei: Dari rex, in ætemum vive. Consílium iniérunt *omnes príncipes* regni tui, *magistrátus*, & sátrapæ, *senatóres*, & júdices, ut decrétum imperatórium éxeat, & edíctum: Ut omnis qui petíerit áliquam petitiónem à quocumque deo & hómine, usque ad triginta dies, nisi à te, rex, mittátur in lacum leónum. Nunc ítaque, rex, confirma senténtiam, & scribe decrétum; ut non immutétur quod statútum est à Medis & Persis, nec prævaricári cuíquam líceat. Porrò rex Daríus propósuit edíctum, & státuit. Quod cùm Dániel compeперisset, id est, constitútam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnáculo suo contra Jerúsalem, tribus tempóribus in die flectébat génua sua, & adorábat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè fácere consuéverat.

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

VIri ergo illi curiósius inquirentes, invenérunt Daniélem orantem, & obsecrantem Deum suum. Et accedentes locúti sunt regi super edícto: Dániel de fíliis captivitátis Juda non curávit de lege tua, & de edícto quod constituísti: sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod verbum cùm audisset rex, satis contristátus

ſtátus eſt : & pro Da-
ɔóſuit cor ut liberá-
n, & uſque ad occá-
lis laborábat ut erúe-
m.
ẹgo Nabuchodóno-
ag. 295.

C A N O N.

ːatútis Synodálibus
ːéſis Noviomenſis.
ɪ673. ſub Franciſco
le Claromonte.

rra, quæ ſibi crédita
délium córpora de-
lo réddere, tantam
tiónem ſemper ob-
ſub omni lege, ſive
:, ſive Moſis, ſive
in qua précibus Ec-
conſecráta eſt ; ut,
ndignis profanatió-
obnóxia, & ne cœ-
a ſint béſtiis pér-
a ómnia ante men-
; circumclúdi jubeá-
ub pœna interdícti
cto incurrendi : quo
re tranſacto in de-
ntes inquíri præcí-

.IA TERTIA.

Daniéle Prophéta.

ectio j. Cap. 6.

ri illi, intelligentes
ẹgem, dixérunt ei :
Rex, quia lex Me-
ı atque Persárum eſt,
me *decrétum quod*
úerit rex, non lí-
mutári. Tunc rex

præcépit : & adduxérunt Daniélem, & miſérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli : Deus tuus quem colis ſemper, ipſe liberábit te. Allatúſque eſt lapis unus, & póſitus eſt ſuper os laci : quem obſignávit rex ánnulo ſuo, & ánnulo optimátum ſuórum, ne quid fíeret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum ſuam, & dormívit incœnátus, cibíque non ſunt alláti coram eo, ínſuper & ſomnus receſſit ab eo.

℟. Daríus rex ſcripſit, *pag.* 295.

Lectio ij.

TUnc rex primo dilúculo conſurgens, feſtínus ad lacum leónum perrexit : appropinquánſque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus eſt eum : Dániel, ſerve Dei viventis, Deus tuus cui tu ſervis ſemper, putáſne, váluit te liberáre à leónibus ? Et Dániel regi reſpondens ait : Rex, in ætérnum vive : Deus meus miſit Angelum ſuum, & conclúſit ora leónum, & non nocuérunt mihi : quia coram eo juſtítia inventa eſt in me : ſed & coram te, Rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavíſus eſt ſuper eo, & Daniélem præcépit edu-

ci de lacu: eductúsque est Dániel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi qui accusáverant Daniélem, & in lacum leónum missi sunt, ipsi, & filii, & uxóres eórum: & non pervenérunt usque ad pavimentum laci, donec arríperent eos leónes; & ómnia ossa eórum comminuérunt.

℟. Misérunt Daniélem, *pag.* 296.

Lectio iij.

TUnc Daríus rex scripsit univérsis pópulis, tríbubus & linguis habitántibus in univérsa terra: Pax vobis multiplicétur. A me constitútum est decrétum ut, in univérso império & regno meo, tremiscant & páveant Deum Daniélis. Ipse est enim Deus vivens, & ætérnus in sécula: & regnum ejus non dissipábitur, & potéstas ejus usque in ætérnum. Ipse liberátor atque salvátor, fáciens signa & mirabília in cœlo & in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum. Porrò Dániel persevérávit usque ad regnum Daríi, regnúmque Cyri Persæ.

℟. Venit rex die séptimo, *pag.* 296.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

Ann. 1576. *p.* 1. *tit.* 17.

NE in cœmetério frumentum, quasi in área ventilétur; ne tritúra fiat: ne pálea, frumenta, fruges expandantur: nec verò telæ, pannive línei, lixívio aquáve madefacti, soli ibídem exponantur: neque in eo féminæ, maréfque colo quidquam neant, neve suant, aut áliud prætéreà opus fáciant eórum sacrórum locórum ratióni aliénum.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ANno primo Baltassar regis Babylónis, Dániel sómnium vidit; vísio autem cápitis ejus in cubíli suo: & sómnium scribens brevi sermóne comprehendit: summatímque perstringens, ait: Vidébam in visióne mea nocte: & ecce quátuor venti cœli pugnábant in mari magno: & quátuor béstiæ grandes ascendébant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habébat áquilæ Aspiciébam donec evulsæ sunt alæ ejus, & subláta est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hóminis datum

Et ecce béstia ália
s urso in parte stetit:
órdines erant in ore
& in déntibus ejus:
licébant ei: Surge,
le carnes plúrimas.
ıæc aspiciébam: &
lia quasi pardus, &
ıabébat quasi avis,
or super se;& quátuor
: erant in béstia, &
as data est ei. Post
spiciébam in visióne
: & ecce béstia quar-
ríbilis, atque mirábi-
: fortis nimis.
Exclamávit Susanna,
:94.

Lectio ij.

ipiciébam donec thro-
ıi pósiti sunt, & An-
s diérum sedit: ve-
ntum ejus cándidum
nix, & capilli cápi-
ıs quasi lana munda;
ıus ejus flammæ ignis;
ejus ignis accensus.
us ígneus, rapidús-
:grediebátur à fácie
Míllia míllium mi-
ıbant ei, & décies
:s centéna míllia assi-
nt ei. Judícium sedit,
ri aperti sunt... Aspi-
m ergo in visióne
s: & ecce cum núbi-
œli quasi Fílius hó-
s veniébat, & usque
ntíquum diérum per-
:: & in conspéctu ejus
lérunt eum. Et dedit
testátem,& honórem,

& regnum: & omnes pó-
puli, tribus & linguæ, ip-
si sérvient: potestas ejus,
potestas ætérna quæ non
auferétur; & regnum ejus
quod non corrumpétur.
Hórruit spíritus meus: ego
Dániel térritus sum in his,
& visiónes cápitis mei con-
turbavérunt me. Accessi
ad unum de assisténtibus,
& veritátem quærébam ab
eo de ómnibus his. Qui
dixit mihi interpretatió-
nem sermónum, & dócuit
me: Hæ quátuor béstiæ
magnæ quátuor sunt re-
gna quæ consurgent de
terra. Suscípient autem re-
gnum Sancti Dei altíssimi:
& obtinébunt regnum us-
que in séculum, & séculum
seculórum.

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

POst hoc vólui diligen-
ter díscere de béstia
quarta, quæ erat dissími-
lis valdè ab ómnibus, &
terríbilis nimis: dentes
& ungues ejus férrei: co-
medébat, & comminué-
bat, & réliqua pédibus
suis conculcábat: & de cór-
nibus decem quæ habébat
in cápite, & de álio quod
ortum fúerat, ante quod
cecíderant tria córnua: &
de cornu illo quod habé-
bat óculos, & os loquens
grándia, & majus erat cé-

teris. Aspiciébam: & ecce cornu illud faciébat bellum adversùs Sanctos, & prævalébat eis, donec venit Antíquus diérum, & judícium dedit Sanctis Excelsi; & tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. Et sic ait: Béstia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit ómnibus regnis, & devorábit universam terram: conculcábit, & comminuet eam. Porrò córnua decem ipsíus regni, decem reges erunt: & álius consurget post eos, & ipse poténtior erit prióribus, & tres reges humiliábit. Et sermónes contra Excelsum loquétur, & Sanctos Altíssimi cónteret: & putábit quòd possit mutáre témpora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et judícium sedébit ut auferátur poténtia, & conterátur & dispéreat usque in finem.

℟. Ego Nabuchodónosor, *pag.* 295.

CANON.

Ex Concílio Narbonensi. *Ann.* 1609. *Cap.* 24.

INtra Ecclésiam, & máximè prope altáre, non *ita fácilè* admittantur *sepeliendi*, sed illi tantùm *quos*, aut dígnitas Ecclesiástica, aut nóbilis prosápia, aut virtútis laudábilis splendor commendárent: quòd si sepulcra intra Ecclésiam constrúxerint, super soli planítiem non attollantur.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 9.

IN anno primo Darii, fílii Assuéri, de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldæórum; anno uno regni ejus ego Dániel intellexi in libris número annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut complerentur desolatiónis Jerúsalem septuaginta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum.

℟. Daríus rex scripsit, *pag.* 295.

Lectio ij.

ADhuc me loquente in oratióne, ecce vir Gábriel quem víderam in visióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, & locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egressus sum ut docérem te, & intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egressus est sermo:

tem veni ut indicá-
ɔi ; quia vir deside-
. es. Tu ergo anim-
: sermónem, & in-
visiónem. Septua-
ıebdómades abbre-
unt super pópulum
& super urbem san-
uam, ut consummé-
varicátio, & finem
.t peccátum, & de-
iníquitas, & addu-
ustítia sempiterna,
leátur vísio, & pro-
, & ungátur Sanctus
:um.

Aisérunt Daniélem,
ɔ6.

Lectio iij:

ɔ ergo & animad-
:e : Ab éxitu sermó-
:erùm ædificétur Je-
n, usque ad Chri-
ucem, hebdómades
, & hebdómades
ıta duæ erunt : &
ı ædificábitur pla-
: muri in angústia
rum. Et post hebdó-
sexaginta duas oc-
· Christus ; & non
s pópulus qui eum
rus est. Et civitá-
c Sanctuárium dissi-
pópulus cum duce
o : & finis ejus vá-
& post finem belli
. desolátio. Confir-
autem pactum mul-
ɔdómadâ unâ : & in
ɔ hebdómadis defí-
tia & sacrifícium ;
& erit in templo abominátio desolatiónis : & usque ad consummatiónem & finem perseverábit desolátio.

℟. Venit rex, *pag.* 196.

CANON.

Ex Concílio Remensi.
Ann. 1583. *tit. de Sepult. num.* 5. & 6.

OMnes Christiáni, præsertìm láici, quibus Ecclesiástica sepultúra non est interdicta, in cœmetériis, non autem in Ecclésiis, sepeliantur ; nisi fortè de consensu superiórum. Superióres autem non passim ómnibus id privilégii concédant, sed in hujúsmodi concessiónibus delectum hábeant personárum.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13. & 14.

REx Astyages appósitus est ad patres suos, & suscépit Cyrus Perses regnum ejus. Erat autem Dániel convíva regis, & honorátus super omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios nómine Bel : & impendebantur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, & oves quadraginta, viníque ámphoræ sex. Rex quoque colébat eum, & ib

per síngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorábat Deum suum. Dixítque ei rex: Quare non adóras Bel? Qui respondens ait ei: Quia non colo idóla manu facta, sed viventem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet potestátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum: Non vidétur tibi esse Bel vivens Deus? Annon vides quanta cómedat & bibat quotídiè? Et ait Dániel arrídens: Ne erres, Rex: iste enim intrínsecùs lúteus est, & forínsecùs æreus; neque comédit aliquandò.

℟. Exclamávit Susanna, *pag.* 294.

Lectio ij.

VEnit rex cum Daniéle in templum Bel: & dixérunt sacerdótes Bel: Ecce nos egrédimur foràs; & tu, Rex, pone escas, & vinum misce, & claude óstium, & signa ánnulo tuo: &, cùm ingressus fúeris manè, nisi invéneris ómnia comesta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus est adversùm nos. Contemnébant autem, quia fécerant sub mensa abscónditum intróitum, & per illum ingrediebantur semper, & devorábant ea. Factum est ígitur: postquàm egressi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel: præcépit Dániel púeris suis, & attulérunt cínerem, & cribrávit per totum templum coram rege: & egressi clausérunt óstium; & signantes ánnulo regis abiérunt.

℟. Deus noster, *pag.* 294.

Lectio iij.

SAcerdótes autem ingressi sunt nócte juxta consuetúdinem suam, & uxóres, & fílii eórum: & comedérunt ómnia, & bibérunt. Surrexit autem rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait rex: Salvane sunt signácula, Dániel? Qui respondit: Salva, rex. Statímque cùm aperuisset óstium, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnâ: Magnus es, Bel: & non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel, & ténuit regem ne ingrederétur intrò: & dixit: Ecce pavimentum; animadverte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex: Vídeo vestígia virórum, & mulíerum, & infántium: & irátus est rex. Tunc apprehendit sacerdótes, & uxóres, & fílios eórum: & ostendérunt ei abscóndita ostíola per quæ ingrediebantur, & consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex; & trádidit Bel in potestátem Daniélis,

'ertit eum, & tem-
ıs.
ȝo, pag. 295.
A N O N.
ncílio Remensi.
83. tit. de Sepult.
um. 1. & 2.
ci in hanc officii
partem diligenter
ınt, ut piórum fú-
ıristiánæ simplici-
modéstiæ límites
:édant. Id autem
ƿsi primùm mercé-
étâ & honestâ con-
deinde supérfluas
s quæ propter am-
ı ac fastum fiunt,
édibus relinqui,
éribus erogári suá-

B B A T O.
ıniéle Prophéta.
o j. Cap. 14.
draco magnus in
illo, & colébant
bylónii. Et dixit
iéli : Ecce nunc
:s dícere quia iste
Deus vivens: adó-
eum. Dixítque
Dóminum Deum
lóro, quia ipse est
rens; iste autem
Deus vivens. Tu
rex, da mihi po-
, & interficiam
n absque gládio
Et ait rex: Do
it ergo Dániel pi-
ádipem, & pilos,
páriter: fecítque

massas, & dedit in os dracónis; & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebátis. Quod cùm audissent Babylónii, indignáti sunt vehementer, & congregáti adversùm regem, dixérunt: Judæus factus est rex: Bel destruxit, dracónem interfécit, & sacerdótes occídit.

Lectio ij.

ET dixérunt cùm venissent ad regem: Trade nobis Daniélem, alióquin interficiémus te, & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irrúerent in eum vehementer; &, necessitáte compulsus, trádidit eis Daniélem qui misérunt eum in lacum leónum: & erat ibi diébus sex. Porrò in lacu erant leónes septem, & dabantur eis duo córpora quotídiè, & duæ oves: & tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem.

Lectio iij.

ERat autem Hábacuc prophéta in Judæa, & ipse cóxerat pulmentum, & intríverat panes in alvéolo: & ibat in campum ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium quod habes, in Babylónem Daniéli qui est in lacu leónum: & dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, & lacum nescio. E

apprehendit eum Angelus Dómini in vértice ejus, & portávit eum capillo cápitis sui, posuítque eum in Babylóne supra lacum in ímpetu *spíritûs* sui. Et clamávit Hábacuc dicens: Dániel serve Dei, tolle prándium quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es meî, Deus, & non dereliquísti diligentes te. Surgénsque Dániel comédit. Porrò Angelus Dómini restítuit Hábacuc confestìm in loco suo. Venit ergo rex die séptimo ut lugéret Daniélem: & venit ad lacum, & introspexit: & ecce Dániel sedens in médio leónum; & exclamávit voce magnâ rex dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extraxit eum de lacu leónum. Porrò illos qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, & devoráti sunt in momento coram eo. Tunc rex ait: Páveant omnes habitantes in universa terra Deum Daniélis: quia ipse est salvátor, fáciens signa & mirabília in terra: qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. tit. de Sepult.

PAuperes quibus ádeò ténues fuére facultátes, ut própriis impensis humári néqueant, gratìs, at honestè tamen, Parœci sepéliant, alióqui pœnas arbitrárias exolutúri.

¶ [*Si sequens Dominica fuerit ultima post Pentecosten, sumetur Officium Dominicæ XXIV. (ut ordinatur in Rubrica, suprà pag.* 306) *incipiendo à Vesperis Sabbati.*]

AD VESPERAS.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Duódecim Prophetárum ossa púllulent de loco suo: nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XXIII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. & 2.

VErbum Dómini, quod factum est ad Osée filium Beéri, in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz, Ezechíæ, regum Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israel. Princípium loquendi Dómino in Osée. Et dixit Dóminus ad Osée: Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi fílios fornicatiónum: quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, & accépit Gomer fíliam Debélaim: & concépit, &

.t ei filium. Et dixit
nus ad eum : Voca
ı eius Jézrahel : quó-
adhuc módicum , &
ıo sánguinem Jésra-
.per domum Jehu ,
ſcere fáciam regnum
s Israel. Et in illa die
·am arcum Israel in
Jézrahel.
Dies multos ſedébunt
srael sine rege , &
ıcrificio, & sine al-
' Et post hæc rever-
', & quærent Dómi-
Deum suum. ℣. Cæ-
:x parte cóntigit in
, donec plenitúdo
ım intráret. * Et post
Os. 3. Rom. 11.
Lectio ij.
: concépit adhuc, &
per't filiam. Et di-
: Voca nomen ejus
ıe misericórdia : quia
ddam ultra miseréri
i Israel, sed oblivió-
ılivíscar eórum : &
i Juda miserébor, &
ıo eos in Dómino
uo : & non salvábo
. arcu, & gládio &
.lo, & in equis, &
ıítibus. Et ablactávit
ıuæ erat Absque-mi-
rdia ; & concépit ,
·erit fílium. Et dixit :
nomen ejus Non-pó-
·meus : quia vos non
us meus, & ego non
:iter. Et erit úmen-
iórum Israel quasi

aréna maris ; quæ sine men-
súra est , & non numerá-
bitur. Et erit in loco ubi
dicétur eis : Non pópulus
meus vos ; dicétur eis : Fí-
lii Dei viventis. Et con-
gregabuntur filii Juda &
fílii Israel páriter ; & po-
nent síbimet caput unum ,
& ascendent de terra : quia
magnus dies Jézrahel. Dí-
cite frátribus vestris : Pó-
pulus meus ; & soróri ve-
stræ : Misericórdiam con-
secúta. Judicáte matrem
vestram ; quóniam ipsa
non uxor mea, & ego non
vir ejus.

℟. Convértere, Israel ,
ad Dóminum Deum tuum ;
quóniam corruisti in ini-
quitáte tua. * Tóllite vo-
bíscum verba, & converti-
mini ad Dóminum , & dicite ei : Omnem aufer iniqui-
tátem. ℣. Vobis est repro-
míssio & filiis vestris : sal-
vámini à generatióne istâ
pravâ. * Tóllite. Os. 14.
Act. 2.

Lectio iij. Cap. 4.

Audite verbum Dómini, filii Israel, quia
judícium Dómino cum habitatóribus terræ : non est
enim véritas, & non est
misericórdia , & non est
sciéntia Dei in terra. Male-
dictum, & mendácium, &
homicídium & furtum, &
adultérium inundavérunt,
& sanguis sánguinem te-

tigit.... Contícuit pópulus meus, eò quòd non habúerit sciéntiam. Quia tu sciéntiam repulisti, repellam te, ne sacerdótio fungáris mihi: & oblíta es legis Dei tui, oblivíscar filiórum tuórum & ego. Secundùm multitúdinem eórum, sic peccavérunt mihi: glóriam eórum in ignomíniam commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, & ad iniquitátem eórum sublevábunt ánimas eórum. Et erit sicut pópulus, sic sacerdos: & visitábo super eum vias ejus, & cogitatiónes ejus reddam ei.

℞. Numquid placári potest Dóminus in míllibus aríetum? * Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te: Utique fácere judícium, & dilígere misericórdiam. ℣. Qui vult dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem, & sequátur eam. * Indicábo. Glória. * Indicábo. *Mich.* 6. *I. Petr.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei. *Libr.* 18. *Cap.* 27.

Lectio iv.

IN cápite libri Osée Prophétæ qui primus in duódecim pónitur, ita scriptum est: Verbum Dómini quod factum est ad Osée in diébus Ozíæ, & Jóathan, & Achaz, & Ezechíæ, regum Juda. Amos quoque, diébus regis Ozíæ, prophetasse se scribit..... Michæas étiam éadem suæ prophetíæ commémorat témpora post dies Ozíæ. Nam tres qui sequuntur, reges nóminat quos & Osée nominávit, Jóathan, & Achaz, & Ezechíam.... His adjúngitur Jonas, eódem Oziâ rege regnante; & Joel, cùm jam regnáret Jóathan qui successit Ozíæ.... Ac per hoc, per ea témpora isti, velut fontes prophetíæ, páriter erupérunt, quando regnum defécit Assyrium, cœpítque Románum: ut scílicet, quemádmodùm, regni Assyriórum primo témpore, éxtitit Abraham, cui promissiónes apertíssimæ fierent in ejus sémine benedictiónis ómnium géntium: ita, Occidentális Babylónis exórdio, quâ fúerat Christus imperante ventúrus, in quo impleréntur illa promissa, orácula prophetárum non solùm loquéntium, verùm étiam scribéntium, in tantæ rei futúræ testimónium solveréntur.

℞. Fílius honórat patrem, & servus dóminum suum: si Pater ego sum,

: honor meus? * Si
ıus ego ſum, ubi eſt
meus? ℣. Quid vo-
ıe: Dómine, Dómi-
non fácitis quæ dico?
ómminus. *Malach.* 1.

ctio v. Cap. 28.
ée ígitur Prophéta,
quantò profúndiùs
n lóquitur, tantò
iùs penetrátur. Sed
d indè ſumendum
: hîc ex noſtra pro-
ne ponendum. Et
inquit, in loco quo
n eſt eis: Non pópu-
:us vos, vocabuntur
fílii Dei vivi. Hoc
ónium prophéticum
catióne pópuli gén-
qui priùs non per-
.t ad Deum, étiam
oli intellexérunt.....
ómnia quæ prophé-
ıultis verbis compel-
óni, ut quæ pérti-
ıd Chriſtum & Ec-
n diluceſcant. Unum
ı quod étiam Apó-
commemoravérunt,
lo in congregátos cre-
s Spíritus ſanctus, ſi-
: Chriſto promiſſus
:, déſuper venit, non
rmittam. Et erit, in-
poſt hæc: & effun-
le Spíritu meo ſuper
m carnem: & pro
bunt *fílii veſtri* &
eſtræ.... *Amos* quo-
: rebus tálibus ſic

prophétat: Præpara, in-
quit, te, ut ínvoces Deum
tuum, Iſrael; quia ecce
ego formans tonítruum, &
creans ſpíritum, & annún-
tians in homínibus Chri-
ſtum ſuum.

℟. Judícium verum ju-
dicáte, & miſericórdiam
fácite unuſquiſque cum fra-
tre ſuo. * Et víduam & pu-
pillum, & páuperem nolíte
calumniári. ℣. Loquími-
ni veritátem unuſquiſque
cum próximo ſuo: eſtóte
ínvicem benigni, miſeri-
cordes. * Et víduam. *Zach.*
7. *Epheſ.* 4.

Lectio vj. Cap. 30. & 31.

ABdias, quantùm ad
ſcriptúram ejus átti-
net, ómnium breviſſimus
prophetárum, adversùs
Idumæam lóquitur, gen-
tem ſcílicet Eſaü, ex duó-
bus géminis fíliis Iſaac,
nepótibus Abrahæ, majó-
ris illíus reprobáti. Porrò
ſi Idumæam, modo locu-
tiónis quo intellígitur à
parte totum, accipiámus
pósitam eſſe pro géntibus;
de Chriſto agnóſcere póſ-
ſumus quod ait inter cé-
tera: In monte autem Sion
erit ſalus, & erit San-
ctum.... Jonas autem pro-
phéta non tam ſermóne
Chriſtum, quàm ſuâ qua-
dam paſſióne prophetávit;
profectò apértiùs, quàm
ſi ejus mortem & reſur-

rectiónem voce clamáret. Ut quid enim exceptus est ventre belluíno, & die tértio rédditus, nisi ut significáret Christum de profundo inferni die tértio reditúrum? .... Michæas prophéta Christum in figúra ponens cujusdam magni montis, hæc lóquitur: Erit in novíssimis diébus manifestus mons Dómini parátus super vértices móntium; & exaltábitur super colles... Prædícens iste prophéta & locum in quo natus est Christus: Et tu, inquit, Béthlehem domus Ephrata, mínima es, ut sis in míllibus Juda: ex te mihi pródiet, ut sit in Príncipem Israel: & egressus ejus ab inítio, & ex diébus æternitátis.

℟. Confortentur manus vestræ, qui audítis in his diébus sermónes istos per os Prophetárum. * Sicut erátis maledíctio in géntibus; sic † Salvábo vos, & éritis benedíctio. ℣. Vos estis fílii Prophetárum, & testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros. * Sicut erátis. Glória † Salvábo vos. *Zach.* 8 *Act.* 3.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

Léctio vij. Cap. 9.

IN illo témpore: Jesu loquénte ad discípulos Joannis ecce princeps unus accessit, & adorábat eum dicens: Dómine, fília mea modò defuncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam, & vivet Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi

Homil. 31. *in Matth.* §. 1. *aliàs Hom.* 32.

ET ecce múlier, quæ sánguinis fluxum patiebátur a duodecim annis, accessit retrò; & tétigit fimbriam vestimenti ejus: dicébat enim intra se: Si tetígero tantùm vestiméntum ejus, salva ero. Cur non fidenter ad Jesum accessit? Quòd pudéret de morbo; se enim immundam putábat. Neque públicè accessit, sed clam cum fide vestimenta tétigit: non dubitávit, neque in seipsa dixit: Num liberabor à morbo, necne? sed de sanitate recupera da confidens accessit. Quid igitur Christus? Non permisit eam latére, sed in médium addaxit, & multis de causis illam manifestam esse vóluit. Primò solvit mulíeris timórem, ne conscientiæ stímulis agitata, utpote quæ grátiam illam furatura esset, scrúpulo laboráret. Secundò ipsam corrigit quòd celáre se putáret. Tértiò, fidem ejus

ómnibus notam reddit, ut álii eam imitarentur.

℟. Credenti in eum qui justificat ímpium, * Reputátur fides ejus ad justítiam secundùm propósitum grátiæ Dei. ℣. Qui confídit in Deo, non minorábitur. * Reputátur. *Rom.* 4. *Eccli.* 32.

Lectio viij. §. 2.

IDeóque illam in médium addúcit, & ait: Confide, filia: sicut & paralytico dicébat: Confide, fili. Meticulósa quippè múlier erat, ideóque dicit: Confíde: & fíliam vocat; nam fides illam fíliam effécerat. Hinc in laudem ejus dicit: Fides tua te salvam feci. Lucas verò plura ália nobis de muliere narrat. Cùm enim accessisset, inquit, & curáta fuisset, non statim illam Christus vocávit, sed priùs dixit: Quis me tétigit? Petrus autem & álii respondébant: Præceptor, turbæ te constringunt & cómprimunt, & dicis: Quis me tétigit? quod máximum signum erat, ipsum carne verè circúmdatum fuisse, & faltum omnem calcasse.

℟. Qui timétis Dóminum, * Crédite illi; & non evacuábitur merces vestra. ℣. *Omnis qui credit in eum, non confundétur.* * Crédite. Glória. * Crédite. *Eccli.* 2. *Rom.* 9.

Lectio ix. Paulò post.

VIdes mulierem archisynagógo præstantiórem? Non retínuit, non apprehendit; sed summis tantùm dígitis tétigit; & cùm última venisset, prior sanáta discessit. Ille Médicum adduxit domum; huic tactus solus satis fuit. Nam, etsi ægritúdine ligabatur, fide ceu alis attollebátur. Perpende autem quómodò illam consolétur, dicens: Fides tua te salvam fecit. Hæc dixit ut archisynagógum ad credendum instituéret, & mulierem commendáret, atque his verbis voluptátem ipsi, utilitatémque præbéret córporis curatióne non minórem. Múlier verò, nisi id ita factum esset, latens, & tantis vácua láudibus abscessisset. Ideóque ipsam in médium adductam celebrávit, ejúsque timórem dépulit: nam tremens accessit, inquit, ipséque illi fidúciam índidit, & cum córporis valetúdine ália ipsi viática dedit dicens: Vade in pace.

Ad Bened. Ant. 7. d. Cùm ejecta esset turba, intrávit Jesus, & ténuit manum puellæ; & surrexit: & exiit fama hæc in universam terram illam. Matth. 9.

Oratio.

ABsolve, quæsumus, Dómine, tuórum delícta populórum; ut à peccatórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tuâ benignitáte liberémur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Turonensi tértio.

Ann. 813. *can.* 37.

SCiendum est quòd, exceptis diébus Domínicis & illis Solemnitátibus, quibus & universális Ecclésia, ob recordatiónem Domínicæ resurrectiónis, solet stando oráre; fixis in terra génibus, supplíciter Dei cleméntiam nobis profutúram, nostrorúmque críminum indulgéntiam deposcendum est.

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Múlier quæ sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, dicébat intra se: Si tetígero tantùm vestiméntum ejus, salva ero. Jesus videns eam dixit: Confide, fília: fides tua te salvam fecit: & salva facta est ex illa hora. *Matth.* 9.

FERIA SECUNDA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN tribulatióne sua manè consurgent ad me: Veníte, & revertámur ad Dóminum: quia ipse cepit, & sanábit nos: percútiet, & curábit nos. Vivificábit nos post duos dies: in die tértia suscitábit nos, & vivémus in conspectu ejus. Sciémus, sequemúrque ut cognoscámus Dóminum: quasi dilúculum præparátus est egressus ejus, & véniet quasi imber nobis temporáneus, & serótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraïm? Quid fáciam tibi, Juda? Misericórdia vestra quasi nubes matutína, & quasi ros manè pertránsiens. Propter hoc dolávi in prophétis, occídi eos in verbis oris mei: & judícia tua quasi lux egredientur: Quia misericórdiam vólui, & non sacrifícium; & sciéntiam Dei plus quàm holocausta.

℟. Dies multos, *pag.* 321.

Lectio ij. Cap. 11.

SIcut manè tránsiit, pertránsiit rex Israel? Quia puer Israel, & dilexi eum: & ex Ægypto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt à fácie eórum: Báalim immolábant, & simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis: & nesciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis cari-

& ero eis quasi exalugum super maxillas
n: & declinávi ad
it vescerétur.
Convértere, Israel,
;21.
Ɛtio iij. Cap. 13.
rdítio tua, Israel:
ntúmmodò in me aun tuum. Ubi est rex
máximè nunc salvet
mnibus úrbibus tuis:
ices tui, de quibus
i: Da mihi regem,
ncipes. Dabo tibi rein furóre meo, & áu-
in indignatióne mea.
gáta est iníquitas E-
m; abscónditum pec-
1 ejus. Dolóres partus vénient ei: ipse fi-
on sápiens: nunc enim
tabit in contritióne
um. De manu mortis
bo eos, de morte
iam eos: ero mors
ô Mors: morsus tuus
Inferne: consolátio
ndita est ab óculis

Numquid placári po-
pag. 322.

C A N O N.

oncílio Tridentíno.
25. de invoc. Sanct.
Mnis superstítio in
Sanctórum invocatió-
Reliquiárum venera-
, & Imáginum sacro
llátur: omnis turpis
us eliminétur: om-
sníque lascívia vitétur, ita ut procáci venustáte Imágines non pingantur, nec ornentur; & Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum visitatióne hómines ad comessatiónes atque ebrietátes non abutantur.

FERIA TERTIA.

Incipit Joel Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini quod factum est ad Joel fílium Phátuel. Audíte hoc, senes, & áuribus percípite, omnes habitatóres terræ. Si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, & fílii vestri fíliis suis, & fílii eórum generatióni álteræ. Resíduum erúcæ comédit locusta, & resíduum locustæ comédit bruchus, & resíduum bruchi comédit rubígo..... Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerábilis: dentes ejus ut dentes leónis: & moláres ejus, ut cátuli leónis. Pósuit víneam meam in desertum, & ficum meam decorticávit: nudans spoliávit eam, & projécit: albi facti sunt rami ejus. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertátis suæ: périit sacrifícium & libátio de domo Dómini: luxérunt sacerdótes, minístri Dómini.

℟. Filius honórat patrem, *pag. 322.*

Lectio ij. Cap. 2.

NUnc ergo dicit Dóminus: Convertímini ad me in toto corde vestro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; & convertímini ad Dóminum Deum vestrum..... Noli timére, terra; exulta & lætáre, quóniam magnificávit Dóminus ut fáceret. Nolíte timére, animália regiónis: quia germinavérunt speciósa deserti, quia lignum átulit fructum suum, ficus & vínea dedérunt virtútem suam. Et filii Sion exultáte, & lætámini in Dómino Deo vestro: quia dedit vobis Doctórem justítiæ, & descéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & serótinum, sicut in princípio: & implebuntur áreæ fruménto, & redundábunt torculária vino & óleo. Et reddam vobis annos quos comédit locusta, bruchus, & rubígo, & erúca: fortitúdo mea magna quam misi in vos. Et comedétis vescentes, & saturabímini; & laudábitis nomen Dómini Dei vestri qui fecit mirabília vobiscum; & non confundétur pópulus meus in sempitérnum.

℟. Judícium, *pag. 323.*

Lectio iij. Cap. 3.

COnsurgant, & ascendant gentes in vallem Jósaphat: quia ibi sedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit messis: veníte, & descéndite, quia plenum est tórcular, exúberant torculária: quia multiplicáta est malítia eórum. Pópuli, pópuli, in valle concisiónis: quia juxtà est dies Dómini in valle concisiónis. Sol & luna obtenebráti sunt, & stellæ retraxérunt splendórem suum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam: & movebuntur cœli & terra; & Dóminus spes pópuli sui, & fortitúdo filiórum Israel. Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester, hábitans in Sion monte sancto meo: & erit Jerúsalem sancta, & aliéni non transibunt per eam ámpliùs.

℟. Confortentur manus vestræ, *pag. 324.*

C A N O N.

Ex Concilio Tridentíno.
Sess. 25. de invoc. Sanct.

STatuit sancta Synodus, néminí licere ullo in loco, vel Ecclésiâ, etiam quomodólibet exemptâ, ullam insólitam pónere, vel ponendam curáre imáginem, nisi ab Epíscopo approbáta fuerit.

FERIA QUARTA.

Incipit Amos Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

VErba Amos qui fuit in pastóribus de Thécue, quæ vidit super Israel, in diébus Oxíæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam. Et luxérunt speciósa pastórum, & exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Damasci, & super quátuor non convertam eum, eò quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Azael, & devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damasci: & dispérdam habitatórem de campo idóli, & tenentem sceptrum de domo voluptátis; & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.

℟. Dies multos, *p.* 321.

Lectio ij. Cap. 5.

ODio habuérunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abomináti sunt. Idcircò pro eo quòd diripiebátis páuperem, & prædam electam tollebátis ab eo: domos *quadro lápide ædificábitis, & non habitábitis* in eis: víneas plantábitis amantíssimas, & non bibétis vinum eárum. Quia cognóvi multa scélera vestra, & fórtia peccáta vestra: hostes justi, accipientes munus, & páuperes depriméntes in porta. Ideò prudens in témpore illo tacébit, quia tempus malum est. Quærite bonum, & non malum, ut vivátis: & erit Dóminus Deus exercítuum vobiscum, sicut dixistis. Odíte malum, & dilígite bonum, & constitúite in porta judícium: si fortè misereátur Dóminus Deus exercítuum relíquiis Joseph.

℟. Convértere, Israel, *pag.* 321.

Lectio iij. Cap. 6.

VÆ qui opulenti estis in Sion, & confíditis in monte Samaríæ, optimátes, cápita populórum, ingredientes pompáticè domum Israel. Transíte in Chálane, & vidéte: & ite indè in Emath magnam, & descéndite in Geth Palæsthinórum, & ad óptima quæque regna horum: si látior términus eórum término vestro est. Qui separáti estis in diem malum, & appropinquátis sólio iniquitátis: qui dormítis in lectis ebúrneis, & lascivítis in stratis vestris: qui coméditis agnum de grege

& vítulos de médio armenti: qui cánitis ad vocem psaltérii: sicut David putavérunt se habére vasa cántici: bibentes vinum in phíalis, & óptimo unguento delibúti: & nihil patiebantur super contritióne Joseph. Quaproptér nunc migrábunt in cápite transmigrántium: & auferétur fáctio lasciviéntium.

℟. Numquid placári potest, *pag.* 322.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi.
Ann. 1584. *tit.* 11.

Colendæ sunt imágines, non quòd ab eis sit áliquid petendum, vel quòd in eis fidúcia sit constituenda, ut olim fiébat à géntibus qui in idólis spem suam collocábant; sed quóniam honor qui illis exhibétur, ad Deum & Sanctos refertur.

FERIA QUINTA.

Incipit Abdías Prophéta.
Lectio j.

Visio Abdíæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes misit. Súrgite, & consurgámus adversùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in géntibus: contemptíbilis tu es valdè. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitantem in scissúris petrárum, exaltantem sólium tuum. Qui dicis in corde tuo: Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, & si inter sídera posúeris nidum tuum; indè détraham te, dicit Dóminus.

℟. Fílius honórat patrem, *pag.* 322.

Lectio ij.

Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapientes de Idumæa, & prudéntiam de monte Esaü? Et timébunt fortes tui à Merídie, ut intéreat vir de monte Esaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúsio, & períbis in ætérnum. In die cùm stares adversùs eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, & extránei ingrediebantur portas ejus, & super Jerúsalem mittébant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Judícium verum, *pag.* 323.

Lectio iij.

In monte Sion erit salvátio, & erit sanctus: & possidébit domus Jacob eos qui se possédérant. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esaü stipula: & succendentur in eis, & devo-

tábunt eos: & non erunt relíquiæ domûs Esaü, quia Dóminus locútus est. Et hæreditábunt hi qui ad Austrum sunt, montem Esaü, & qui in campéstribus Philísthiim: & possidébunt regiónem Ephraïm, & regiónem Samaríæ. Et Bénjamin possidébit Gálaad, & transmigrátio exércitûs hujus filiórum Israel ómnia loca Chananæórum usque ad Sareptam; & transmigrátio Jerúsalem quæ in Bósphoro est, possidébit civitátes Austri. Et ascendent salvatóres in montem Sion judicáre montem Esaü: & erit Dómino regnum.

℟. Confortentur manus vestræ, *pag. 324.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. de invoc. Sanct.*

STátuit sancta Synodus, nulla admittenda esse nova miracula, nec novas Relíquias recipiendas, nisi recognoscente & approbante Epíscopo, qui simul atque de iis áliquid compertum habúerit, adhíbitis in consílium Theólogis, & áliis piis viris, ea fáciat quæ veritáti & pietáti consentánea judicáverit.

FERIA SEXTA.

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est verbum *Dómini ad* Jonam fílium Amathi, dicens: Surge & vade in Níniven civitátem grandem; prædica in ea: quia ascendit malítia ejus coram me. Et surrexit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à fácie Dómini, & descendit in Joppen, & invénit navem euntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad Deum suum; & misérunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis: & Jonas descendit ad interióra navis, & dormiébat sopóre gravi. Et accessit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu sopóre deprímeris? Surge, ínvoca Deum tuum, si fortè recógitet Deus de nobis, & non pereámus.

℟. Dies multos sedébunt, *pag. 321.*

Lectio ij. Cap. 1. & 2.

ET dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare, & cessábit mare à vobis: scio enim ego quóniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et remigábant vi-

ut reverteréntur ad áridam, & non valébant: quia mare ibat, & intumescébat super eos. Et clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Quæsumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri istíus, & ne des super nos sánguinem innocentem: quia tu, Dómine, sicut voluisti, fecisti. Et tulérunt Jonam, & misérunt in mare; & stetit mare à fervóre suo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum, & immolavérunt hóstias Dómino, & vovérunt vota. Et præparávit Dóminus piscem grandem ut deglutíret Jonam: & erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis.

℟. Convértere, *p.* 321.

Lectio iij. Cap. 2. *&* 3.

ET dixit Dóminus pisci: & evómuit Jonam in áridam. Et factum est verbum Dómini ad Jonam secundò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam: & prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, & ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna *itínere trium* diérum. Et *cœpit Jonas* introíre in civitátem itínere diéi uníus: & clamávit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum: & prædicavérunt jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive: & surrexit de sólio suo, & abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis & príncipum ejus, dicens: Hómines & jumenta, & boves, & pécora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiántur saccis hómines, & jumenta, & clament ad Dóminum in fortitúdine: & convertátur vir à via sua mala, & ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur & ignoscat Deus; & revertátur à furóre iræ suæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia conversi sunt de via sua mala: & misértus est Deus super malítiam quam locútus fúerat, ut fáceret eis, & non fecit.

℟. Numquid, *p.* 322.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. decret. *de Indulg.*

SAcrosancta Synodus indulgentiárum usum

Christiáno pópulo máximè salutárem, & sacrórum Conciliórum auctoritáte probátum, in Ecclésia retinendum esse docet & præcipit: eósque anathémate damnat, qui aut inútiles esse ásserunt, vel eas concedendi in Ecclésia potestátem esse negant: in his tamen concedendis moderatiónem, juxta véterem & probátam in Ecclésia consuetúdinem, adhibéri cupit; ne nímiâ facilitáte Ecclesiástica disciplína enervétur.

SABBATO.

Incipit Michæas Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini, quod factum est ad Michæam Morasthíten, in diébus Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda, quod vidit super Samaríam & Jerúsalem. Audíte, pópuli omnes, & attendat terra & plenitúdo ejus: & sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo: & descendet, & calcábit super excelsa terræ. Et consuméntur montes subtùs eum: & valles scindentur sicut cera à fácie ignis, & *sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scélere Jacob omne* istud, & in peccátis domûs Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samaría? & quæ excelsa Judæ? nonne Jerúsalem? Et ponam Samaríam quasi acervum lápidum in agro cùm plantátur vínea: & détraham in vallem lápides ejus, & fundamenta ejus revelábo.

Lectio ij. Cap. 4.

ET erit: In novíssimo diérum erit mons domûs Dómini præparátus in vértice móntium, & sublímis super colles. Et fluent ad eum pópuli, & properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos de viis suis, & íbimus in sémitis ejus: quia de Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit inter pópulos multos, & corrípiet gentes fortes usque in longinquum. Et concídent gládios suos in vómeres, & hastas suas in ligónes: non sumet gens adversùs gentem gládium, & non discent ultrà belligeráre. Et sedébit vir subtùs vitem suam, & subtùs ficum suam, & non erit qui detérreat: quia os Dómini exercítuum locútum est. Quia omnes pópuli ambulabunt unusquisque in nó-

mine dei sui : nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri in ætérnum & ultrà.

Lectio iij. Cap. 5.

ET tu, Béthlehem Ephráta, parvulus es in míllibus Juda : ex te mihi egrediétur qui sit Dominátor in Israel : & egressus ejus ab initio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet: & relíquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui : & convertentur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax.

CANON.

Ex Concílio Cameracensi.

Ann. 1565. cap. 22. de Indulg.

QUia per indiscrétas & supérfluas Indulgéntias, & claves Ecclésiæ contemnuntur, & pœnitentiális satisfáctio enervátur ; ideò próhibet sancta Synodus, ne quis ullas novas, aut ignótas Indulgéntias pópulo commendet, & promerendas ófferat, nisi priùs ab Ordinário visitátæ fúerint & probátæ.

Ad Magníf. Ant. 5. C. Prophetavérunt Aggæus & Zacharías ad Judæos, qui erant in Jerúsalem, in nómine Dei Israel ; & cœpérunt ædificáre templum Dei : & cum eis Prophétæ Dei adjuvantes eos. *I. Esdr. 5.*

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XXIV. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus Nínive. Liber visiónis Nahum Elcesæi. Deus æmulátor, & ulciscens Dóminus : ulciscens Dóminus, & habens furórem : ulciscens Dóminus in hostes suos, & irascens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocentem. Dóminus in tempestáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus : íncrepans mare, & exsiccans illud ; & ómnia flúmina ad desertum dedúcens. Infirmátus est Basan & Carmélus, & flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desoláti sunt : & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit ? & quis resistet in ira furóris ejus ? Indignátio ejus effusa est ut

& petræ dissolútæ
eo.
Dies multos, *pag.*

Lectio ij.
ıus Dóminus, & con-
:tans in die tribula-
: & sciens sperantes
:t in dilúvio præter-
, consummatiónem
loci ejus; & inimí-
s persequentur téne-
)uid cogitátis contra
ıum? consummatió-
ıse fáciet: non con-
duplex tribulátio.
sicut spinæ se ínvi-
:ompleсtuntur, sic
vium eórum páriter
:ium: consumentur
stípula ariditáte ple-
t te exíbit cógitans
Dóminum malítiam,
pertractans prævari-
ıem.
Convértere, Israel,
21.

Lectio iij.
Æc dicit Dóminus:
Si perfecti fúerint,
plures; sic quoque
lentur, & pertrans-
Afflixi te, & non afflí-
e ultrà. Et nunc cón-
ı virgam ejus de dor-
o, & víncula tua
mpam. Et præcípiet
te Dóminus: Non
ıábitur ex nómine
ámpliùs. De *domo*
ıi interfíciam scúlp-
t conflátile: ponam
sepulcrum tuum, quia inhonorátus es. Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: célebra, Juda, festivitátes tuas; & redde vota tua: quia non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial: universus intériit.

℟. Numquid placári potest, *pag.* 322.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

Libr. 18. *cap.* 31. §. 2. & 3.

Lectio iv.

NAhum prophéta, imò per illum Deus: Exterminábo, inquit, sculptília, & conflatília; ponam sepultúram tuam: quia velóces ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem. Célebra, Juda, dies festos tuos; redde vota tua; quia jam non adjícient ultrà, ut tránseant in vetustátem. Consummátum est: consumptum est: ablátum est. Ascendit qui insufflat in fáciem tuam, erípiens te ex tribulatióne. Quis ascénderit ab ínferis, & insuffláverit in fáciem Judæ, hoc est, Judæórum discipulórum, Spíritum sanctum? Récolat, qui méminit Evangélium.... Hábacuc de quo ália, quàm

de Christi adventu qui futúrus fúerat, intelligitur dícere: Et respondit Dóminus ad me, & dixit: Scribe visum apertè in buxo; ut assequátur qui legit ea: quia adhuc vísio ad tempus, & oriétur in fine, & non in vácuum: si tardáverit, sústine eum; quia véniens véniet, & non morábitur. In Oratióne autem sua cum Cántico, cui nisi Dómino Christo dicit: Dómine, audívi auditiónem tuam, & tímui: Dómine, considerávi ópera tua, & expávi. Quid enim hoc est, nisi præcógnitæ, novæ ac repentínæ salútis hóminum ineffábilis admirátio?

℟. Fílius honórat patrem, *pag.* 322.

Lectio v. Cap. 33. §. 2. *& Cap.* 35. § 1.

SOphoníæ autem prophétæ qui cum Jeremía prophetábat, hæc prædicta de Christo ínterim ponam: Expecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum; quia judícium meum, ut cóngregem gentes, & cólligam regna. Et íterùm: Horríbilis, inquit, Dóminus super eos, & exterminábit omnes deos terræ; & adorábit eum vir de loco suo, omnes ínsulæ géntium. Restant tres minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis: Aggæus, Zacharías, Malachías. Quorum Aggæus Christum & Ecclésiam hâc apértiùs brevitáte prophétat: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cœlum & terram, & mare, & áridam, & movébo omnes gentes; & véniet Desiderátus cunctis géntibus.

℟. Judícium verum judicáte, *pag.* 323.

Lectio vj. Cap. 35. §. 2. *&* 3.

ZAcharías de Christo & Ecclésia: Exulta, inquit, valdè, fília Sion; júbila, fília Jerúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi Justus & Salvátor; ipse pauper, & ascendens super ásinam, & super pullum fílium ásinæ; potestas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Hoc quando factum sit, ut Dóminus Christus in itínere jumento hujus géneris uterétur, in Evangélio légitur. Malachías prophétans Ecclésiam, quam per Christum cérnimus propagátam, Judæis apertíssimè dicit ex persóna Dei: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis

ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in géntibus, & in omni loco ſacrificábitur & offerétur nómini meo oblátio munda: quia magnum nomen meum in géntibus, dicit Dóminus. Hoc ſacrifícium per ſacerdótium Chriſti ſecundùm órdinem Melchíſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occáſum Deo jam videámus offerri: ſacrifícium autem Judæórum quibus dictum eſt: Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accípiam de mánibus veſtris munus, ceſſaſſe negáre non poſſunt; quid adhuc expectant álium Chriſtum; cùm hoc quod prophetátum legunt & implétum vident, impléri non potúerit, niſi per ipſum?

℟. Confortentur manus veſtræ, *pag.* 324.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis quæ dicta eſt à Daniéle Prophéta, ſtantem in loco ſancto; qui legit, *intélligat. Et réliqua.*

Homília ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Hom. 76. *in Matth.* §. 2. & 3. *aliàs Hom.* 77.

IMplétâ de Jeroſólymis narratióne, Chriſtus ad ſuum adventum póſteà pergit, ſignaque ipſis narrat, non ſolùm ipſis, ſed étiam nobis, & poſt nos futúris utília. Quómodò autem advéniet? Hâc transformátâ creatúrâ: nam ſol obſcurábitur, non delétus, ſed ſuperátus à lúmine illius adventûs. Et ſtellæ cadent: quis enim póſteà illárum uſus futúrus eſt, cùm nulla nox erit? Et virtútes cœlórum commovebuntur; & jure quidem, mutatiónem tantam vidéntes. Nam ſi quando ſtellæ factæ ſunt, ita exhorruérunt & mirátæ ſunt:... multò magis cùm víderint ómnia mutáta, & conſervos ſuos pœnas dantes, totum orbem ante tremendum tribúnal aſtantem; omnes ab Adam uſque ad adventum illum, ómnium óperum ratiónem reddentes; quómodò non horreſcent, & commovebuntur? Tunc apparébit ſignum Fílii hóminis in cœlo: id eſt, Crux ſole ſplendídior: ſíquidem ſol obtenebrátur & abſconditur, Crux autem appáret: neque apparéret, niſi ſolari-

bus longè rádiis splendídior esset.

℟. Ecce venit Dóminus cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt: * Et plangent se super eum omnes tribus terræ. ℣. Dicit Dóminus: Aspícient ad me quem confixérunt. * Et. *Apoc.* 1. *Zach.* 12.

Lectio viij.

CUr autem hoc signum appáret? Ut Judæórum impudéntia planè reprimátur. Justificatiónem quippè magnam habens Christus, nempè Crucem, in hoc tribúnal ádvenit: neque tantùm vúlnera, sed ignominiósam mortem ostendit. Tunc plangent tribus: nulla accusandi necéssitas erit; cùm víderint Crucem, plangent, quia, illo mórtuo, nihil indè fructûs percepérunt: quóniam crucifixérunt eum quem adorári oportébat. Vides quàm terribíliter suum adventum descríbat? quómodò discipulórum ánimos érigat? Idcircò tristia primò ponit, & post hæc bona, & jucunda, ut sic illos consolétur. Passiónem quoque rursùm commémorat, necnon resurrectiónem, atque splendidióre modo Crucem mémorat, ne pudor ipsos vel dolor invádat, cùm jam véniat illam pro signo positúrus. Alius verò dicit: Vidébunt in quem transfixérunt: ídeò plangent tribus, videntes eumdem ipsum esse.

℟. Magnus dies Dómini, & terríbilis valdè: & quis sustinébit eum? * Nunc ergo † Convertímini ad Dóminum Deum vestrum; quia benignus & miséricors est. ℣. Venit dies magnus iræ sedentis super thronum, & Agni: & quis póterit stare? * Nunc. Glória. † Convertímini. *Joel.* 2. *Apoc.* 6.

Lectio ix. §. 3. & 4.

POstquàm autem Crucem commemorávit, ádjicit: Vidébunt Fílium hóminis venientem, non in Cruce, sed in núbibus cœli cum potestáte & majestáte magna. Ne, quia Crucem audisti, inquit, putes adesse quid triste; nam cum potestáte & majestáte magna véniet. Crucem autem gestat, ut peccátum ipsórum hoc ipso & per se condemnétur: ut si quis lápide percussus, ipsum lápidem osténderet, vel vestimenta cruentáta. Et in nube véniet, sicut assumptus est. Hæcque videntes Tribus, flebunt. Neque intra fletum sistentur mala; sed ídeò fletus erit, ut senten-

tiam ferant, & seipsos damnent. Væ nobis à die illo terríbili: cùm oportérêt nos gaudére quando tália audímus, dolémus, & ánimo dejecto sumus, ac mœróre confícimur.... Ideò lácrymor, cógitans ex quanta glória delapsúri simus, ex quantórum spe bonórum, ídque perpétuò & semper; delapsúri autem, ne parùm stúdii impendámus. Nam, si multus esset labor, si gravis lex, sic quoque oportéret nihil non ágere.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. Ecce dies Dómini véniet, crudélis, & indignatiónis plenus, & iræ furorísque, ad ponendam terram in solitúdinem, & peccatóres ejus conterendos de ea. *Is.* 13.

Oratio.

FAc nos, quæsumus, Dómine, ita te expectando vigiláre, & parátos esse; ut, cùm in majestáte tua véneris, te non metuendum ac terríbilem víndicem, sed benignum sentiámus remuneratórem; Qui vivis.

C A N O N.

Ex Concílio Aquensi. *Ann.* 1585. *tit. de Fest. cult.*

CUm Festi dies potíssimùm ad celebrandas Dei & Sanctórum laudes, *salutáriter fúerint instituti; curandum est diligenter,* ut piè sanctéque ab ómnibus observentur, & ne iis ipsis hómines ad divínam offensiónem, & animárum suárum pernícicm abutantur. Prohibémus ígitur, ne diébus Domínicis, atque áliis Festis qui vel Ecclésiæ præcepto, vel loci consuetúdine colendi sint, quid servílis óperis fiat.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Sol obscurábitur, & luna non dabit lumen suum: stellæ cadent de cœlo, & virtútes cœlórum commovebuntur: & vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli, cum virtúte multa & majestáte. *Matth.* 24.

FERIA SECUNDA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquequò, Dómine, clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? Quare ostendisti mihi iniquitátem & labórem: vidére prædam, & injustítiam contra me? & factum est judícium & contradíctio poténtior. Propter hoc lacerata est lex, & non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet advérsùs justum, proptéreà egréditur judícium pervérsum.

℟. Dies multos, p. 32.

Lectio ij. Cap. 2.

SUper custódiam meam stabo, & figam gradum super munitiónem: & contemplábor ut vídeam quid dicátur mihi, & quid respóndeam ad arguentem me. Et respondit mihi Dóminus, & dixit: Scribe visum, & explána eum super tábulas, ut percurrat qui légerit eum. Quia adhuc visus procul, & apparébit in finem, & non mentiétur. Si moram fécerit, expecta illum, quia véniens véniet, & non tardábit. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.

℟. Convértere, Israel, *pag.* 321.

Lectio iij.

VÆ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali. Cogitasti confusiónem dómui tuæ, concidisti pópulos multos, & peccávit ánima tua: quia lapis de paríete clamábit: & lignum, quod inter junctúras ædificiórum est, respondébit. Væ qui ædíficat civitátem in sanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte.

℟. *Numquid placári potest, pag.* 322.

C A N O N.

Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Noviomensis.

Ann. 1698. *sub Francisco de Claromonte.*

CUm nos docúerit longa & felix experiéntia quàm útile sit quámque necessárium Sacerdótibus qui ad Parœcias sunt promovendi, in seminárium nostrum colligendi suî causâ se conferre, decérnimus ut nostræ Diœcésis Sacerdótes recèns ordináti, qui se sistunt ut collátæ sibi Curæ litteras obtíneant, ánimum suum in semináṙio nostro per dies quinque piis exercitatiónibus éxcolant; ii verò qui ante annum fúerint ordináti, vel qui ab una Cura ad álteram transíbunt, idem per dies decem fáciant; deníque ut omnes aliárum Diœcésium, nullo discrímine, eódem se recípiant, ut ibi Diœcésis nostræ disciplínam perdiscant sub seminárii nostri moderatóribus, nisi áliud Ecclésiæ bono, graves ob causas, expedíre judicavérimus.

FERIA TERTIA.

Incipit Sophonías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ,

filii Ezecíæ, in diébus Josíæ filii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus: cóngregans hóminem, & pecus, cóngregans volatília cœli, & pisces maris: & ruínæ impiórum erunt: & dispérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerúsalem: & dispérdam de loco hoc relíquias Baal; & nómina æditórum cum sacerdótibus; & eos qui adórant super tecta milítiam cœli, & adórant, & jurant in Dómino, & jurant in Melchom. Et qui avertuntur de post tergum Dómini, & qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum.

℟. Fílius honórat patrem, *pag.* 322.

Lectio ij.

IN témpore illo: scrutábor Jerúsalem in lucernis: & visitábo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in córdibus suis: Non fáciet benè Dóminus, & non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, & domus eórum in desértum: & ædificábunt domos, & non habitábunt; & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà est dies Dómini magnus, juxtà est & velox nimis: vox diéi Dómini amára; tribulábitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulatiónis & angústiæ, dies calamitátis & misériæ, dies tenebrárum & calíginis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris super civitátes munítas & super ángulos excelsos. Et tribulábo hómines, & ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt: & effundétur sanguis eórum sicut humus, & córpora eórum sicut stércora. Sed & argentum eórum & aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini.

℟. Judícium verum judicáte, *pag.* 323.

Lectio iij. Cap. 2.

EXpecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum: quia judícium meum, ut cóngregem gentes, & cólligam regna: & effundam super eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium electum, ut invocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. Ultrà flúmina Æthiópiæ, indè súpplices mei, fílii dispersórum meó-

rum déferent munus mihi. In die illa non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me: quia tunc áuferam de médio tuî magníloquos supérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámpliùs in monte sancto meo. Et derelinquam in médio tuî pópulum páuperem & egénum: & sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium, & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa: quóniam ipsi pascentur, & accubábunt, & non erit qui extérreat.

℟. Confortentur manus vestræ, *pag.* 324.

CANON.

Ex Concílio Venetensi.

Ann. 465. *Cap.* 11.

PResbyteri, Diáconi atque Subdiáconi, vel deinceps quibus ducendi uxóres licéntia non est, étiam alienárum nuptiárum evítent convívia; nec iis cœtibus admisceantur, ubi amatória cantantur & túrpia, aut obscéni motus córporum choris & sáltibus efferuntur: ne audítus, & obtútus, túrpium spectaculórum atque verbórum contágio polluátur.

FERIA QUARTA.

Incipit Aggæus Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

IN anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manum Aggæi Prophétæ ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jesum fílium Jósedec, sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum dicens: Pópulus iste dicit: Nondùm venit tempus domûs Dómini ædificandæ. Et factum est verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est, ut habitétis in dómibus laqueátis, & domus ista deserta?

℟. Dies multos, *pag.* 321.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus. Respexistis ad ámplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflávi illud: quam ob causam, dicit Dóminus exercítuum? quia domus mea deserta est, & vos festinátis unusquisque in domum suam. Propter hoc

ſuper vos prohíbiti ſunt cœli, ne darent rorem; & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum. Et vocávi ſiccitátem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper tríticum; & ſuper vinum, & ſuper óleum, & quæcumque profert humus, & ſuper hómines, & ſuper jumenta, & ſuper omnem labórem mánuum.

℟. Convértere, Iſrael, *pag.* 321.

Lectio iij. Cap. 2.

IN ſéptimo menſe, vigéſimâ & primâ menſis, factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ dicens: Lóquere ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jeſum filium Jóſedec, ſacerdótem magnum, & ad réliquos pópuli dicens: Quis in vobis eſt derelíctus, qui vidit domum iſtam in glória ſua prima? & quid vos vidétis hanc nunc? numquid non ita eſt quaſi non ſit in óculis veſtris? Et nunc confortáre, Zoróbabel, dicit Dóminus: & confortáre, Jeſu fili Jóſedec, ſacerdos magne: & confortáre, omnis pópulus terræ, dicit Dóminus exercítuum; & fácite, (quóniam ego vobiſcum ſum, dicit Dóminus exercítuum,) verbum quod pépigi vobiſcum, cùm egrederémini de terra Ægypti: & Spíritus meus erit in médio veſtrûm: nolíte timére.

℟. Numquid placári poteſt, *pag.* 322.

CANON.

Ex Concílio Remenſi. *Ann.* 1583. *tit. de Cleric. n.* 2.

PRohibémus ne Clérici ſacris initiáti, aut Beneficiáti, ſe ſuámque óperam láicis quantumvis nobílibus addícant, ad rerum domeſticárum diſpenſatiónem, negotiórum civílium procuratiónem, cellæ vináriæ vel annónæ régimen, aut áliquod áliud vile indecorúmque ſuo órdini miniſtérium; nec ſcurrília exérceant, & menſárum áſſeclas ſe exhíbeant: alióqui, pro delicti gravitáte, ſeveríſſimè coerceantur.

FERIA QUINTA.

Incipit Zacharías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

IN menſe octávo, in anno ſecundo Darii regis, factum eſt verbum Dómini ad Zacharíam, filium Barachíæ, filii Addo, Prophétam, dicens: Irátus eſt Dóminus ſuper patres veſtros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini

ad me, ait Dóminus exercítuum: & convertar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne sitis sicut patres vestri ad quos clamábant prophétæ prióres, dicentes: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis vestris malis, & de cogitatiónibus vestris péssimis: & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus. Patres vestri ubi sunt? & Prophétæ numquid in sempiternum vivent?

℟. Fílius honórat patrem, *pag.* 322.

Lectio ij. Cap. 3.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meam custodíeris; tu quoque judicábis domum meam, & custódies átria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hîc assistunt. Audi, Jesu sacerdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego addúcam servum meum Orientem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu: super lápidem unum septem óculi sunt: ecce ego cælábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum: & *áuferam iniquitátem* terræ *illíus in die* una. In die *illa, dicit* Dóminus exercítuum, vocábit vir amícum suum subter vitem, & subter ficum.

℟. Judícium verum judicáte, *pag.* 323.

Lectio iij. Cap. 9.

EXulta satis, fília Sion, júbila, fília Jerúsalem. Ecce Rex tuus véniet tibi, Justus, & Salvátor: ipse pauper, & ascendens super ásinam, & super pullum fílium ásinæ. Et dispergam quadrígam ex Ephraïm, & equum de Jerúsalem, & dissipábitur arcus belli: & loquétur pacem géntibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine testamenti tui emisísti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

℟. Confortentur manus vestræ, *pag.* 324.

CANON.

Ex Concílio Turonensi tértio.

Ann. 813. *can.* 29.

PResbyteris, Diacónibus ceterísque Cléricis, intra claustra monasteriórum puellárum non sit concessum habitáre. Neque étiam intrent in monastéria, nisi témpore quo Missárum solémnia celebranda sunt, vel ália quælibet Ecclesiástica Officia peragenda: quibus peractis, statim egrediantur,

nec ibi pósteà áliquam moram fáciant.

FERIA SEXTA.

De Zacharía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

TUli virgam meam quæ vocabátur Decus; & abscídi eam, ut írritum fácerem fœdus meum quod percússi cum ómnibus pópulis. Et in írritum dedúctum est in die illa, & cognovérunt sic páuperes gregis, qui custódiunt mihi, quia verbum Dómini est. Et dixi ad eos: Si bonum est in óculis vestris, afferte mercédem meam; & si non, quiéscite. Et appendérunt mercédem meam triginta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad statuárium, decórum prétium quo appretiátus sum ab eis. Et tuli triginta argénteos, & projéci illos in domum Dómini ad statuárium. Et præcídi virgam meam secúndam quæ appellabátur Funículus, ut dissólverem germanitátem inter Judam & Israel. Et dixit Dóminus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastóris stulti. Quia ecce ego suscitábo pastórem in terra, qui derelícta non visitábit, dispérsum non quæret, & contrítum non sanábit, & id quod stat, non enútriet: & carnes pínguium cómedet, & úngulas eórum dissolvet. O pastor & idólum, derelinquens gregem: gládius super bráchium ejus, & super óculum dextrum ejus: bráchium ejus ariditáte siccábitur, & óculus dexter ejus tenebréscens obscurábitur.

℟. Dies multos, *pag.* 321.

Lectio ij. Cap. 12.

IN die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem, & erit qui offénderit ex eis in die illa, quasi David; & domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspéctu eórum. Et erit in die illa: Quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, spíritum grátiæ & precum: & aspícient ad me quem confixérunt: & plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℟. Convértere, Israel, *pag.* 321.

Lectio iij. Cap. 13.

ET erit: In die illa confundéntur Prophétæ, unusquísque ex visióne sua cum prophetáverit: nec operiéntur pállio saccíno, ut mentiántur: sed dicet

Non sum Prophéta: homo agrícola ego sum; quóniam Adam exemplum meum ab adolescéntia mea. Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea, suscitáre super pastórem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, & dispergentur oves: & convertam manum meam ad párvulos.

℟. Numquid placári potest, *pag.* 322.

CANON.

Ex Concílio Epaonensi.

Ann. 517. *can.* 38.

MOnastéria puellárum, non nisi probátæ vitæ, & ætátis provectæ viri ad quascumque eárum necessitátes, vel ministratiónes permittantur intráre. Ad faciendas verò Missas qui ingressi fuerint, statim, exacto ministério, régredi festinábunt.

SABBATO.

Incipit Malachías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus verbi Dómini ad Israel in manu Malachíæ. Dilexi vos, dicit Dóminus: & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus; & dilexi Jacob, Esaü autem ódio hábui? & pósui montes ejus in solitúdinem, & hæreditátem ejus in dracónes deserti. Quòd si díxerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificábimus quæ destructa sunt; hæc dicit Dóminus exercítuum: Isti ædificábunt, & ego déstruam: & vocabuntur términi impietátis, & pópulus cui irátus est Dóminus usque in ætermum. Et óculi vestri vidébunt, & vos dicétis: Magnificétur Dóminus super términum Israel. Fílius honórat patrem, & servus dóminum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dóminus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dóminus exercítuum? Ad vos, ô sacerdótes: qui despícitis nomen meum, & dixistis: In quo despéximus nomen tuum? Offertis super altáre meum panem pollútum, & dícitis: In quo pollúimus te? In eo quòd dícitis: Mensa Dómini despecta est.

Lectio ij.

SI offerátis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offerátis claudum & lánguidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placúerit ei,

aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei ut misereátur vestrî, de manu enim vestra factum est hoc, si quo modo suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis qui claudat óstia, & incendat altáre meum gratúitò? Non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus: & in omni loco sacrificátur & offertur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in géntibus.

Lectio iij. Cap. 3.

INvaluérunt super me verba vestra, dicit Dóminus. Et dixistis: Quid locúti sumus contra te? Dixistis: Vanus est qui servit Deo. Et: Quod emolumentum, quia custodívimus præcepta ejus, & quia ambulávimus tristes coram Dómino exercítuum? Ergo nunc beátos dícimus arrogantes: siquidem ædificáti sunt facientes impietátem: & tentavérunt Deum, & salvi facti sunt. Tunc locúti sunt timentes Dóminum, unusquisque cum próximo suo: & attendit Dóminus, & audívit: & scriptus est liber monumenti coram eo timéntibus Dóminum, & cogitántibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait Dóminus exercítuum, in die quâ ego fácio, in pecúlium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Et convertémini, & vidébitis quid sit inter justum & ímpium: & inter servientem Deo, & non servientem ei.

CANON.

Ex Concílio Remensi.
Ann. 1583. *tit. de Regular. n.* 12.

LOcos monachórum reguláres, mulíeres non ingrediantur, vicissímque viri non intrent feminárum claustra, imò nec áliæ féminæ. Quisquis verò claustra moniálium sine superióris licéntia quam, non nisi in cásibus necessáriis, impertiétur, fúerit ingressus, senténtiam excommunicatiónis se incurrisse nóverit.

¶ *Si Dominica post Pentecosten fuerint plures quàm viginti quatuor, tunc post Hebdomadam vigesimam quartam fiet Officium Dominicarum quæ sequuntur, incipiendo à Vesperis Sabbati, ordine infrà posito. Si igitur fuerint* Dominicæ *viginti quinque, fiet* Of-

cium Dominicæ vigesimæ octavæ. Si fuerint Dominicæ viginti sex, fiet Officium Dominicæ vigesimæ septimæ, & vigesimæ octavæ. Si fuerint Dominicæ viginti septem, fiet Officium Dominicæ vigesimæ sextæ, vigesimæ septimæ, & vigesimæ octavæ. Si denique viginti octo, fiet Officium Dominicarum eo ordine quo infrà sunt pósitæ.].

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu crédimus ut justificémur ex fide Christi. *Galat.* 2.

Orátio infrà ad Laudes.

DOMINICA XXV.
post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem qui suscitávit eum à mórtuis; & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ. Grátia vobis, & pax a Deo Patre, & Dómino nostro Jesu Christo qui dedit semetipsum pro peccátis nostris; ut eríperet nos de præsenti século nequam, secundùm voluntátem Dei & Patris nostri, cui est glória in sécula seculórum. Amen. Tu autem, &c.

℟. Nihil intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. * Habentes autem alimenta, & quibus tegámur: his contenti simus. ℣. Dives, cùm dormíerit, nihil secum áuferet: apériet óculos suos, & nihil invéniet. * Habentes. *I. Tim.* 6. *Job.* 27.

Lectio ij.

MIror quòd sic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium, quod non est áliud: nisi sunt áliqui qui vos conturbant, & volunt convértere Evangélium Christi. Sed, licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis præterquàm quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædiximus & nunc íterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepistis, anáthema sit. Modò enim homínibus suádeo, an Deo? an quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Tempus breve est; réliquum est, ut qui gaudent, tanquàm non gaudentes (sint;) & qui utuntur hoc mundo, tanquàm

non utantur : * Præterit enim figúra hujus mundi. ℣. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas. * Præterit. *I. Cor. 7. Eccl. 1.*

Lectio iij.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum est à me, quia non est secundùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audistis enim conversatiónem meam aliquando in Judaïsmo; quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaïsmo supra multos coætáneos meos in género meo, abundántiùs æmulátor existens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus; contínuò non acquiévi carni & sánguini: neque veni Jerosólymam ad antecessóres meos Apóstolos: sed ábii in Arábiam, & iterùm reversus sum Damascum. Deindè post annos tres veni Jerosólymam vidére Petrum, & mansi apud eum diébus quíndecim: álium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini.

℟. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur: * Non enim qui seipsum commendat, ille probátus est; sed quem Deus commendat. ℣. Hæc dicit Dóminus: Non gloriétur sápiens in sapiéntia sua; sed in hoc gloriétur, scire & nosse me. * Non. Glória. * Non. *II. Cor. 10. Jerem. 9.*

IN II. NOCTURNO.

De expositióne sancti Augustini Epíscopi in Epístolam ad Gálatas.

Lectio iv. Præfat. initio.

CAusa propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas hæc est, ut intélligant grátiam Dei id secum ágere ut sub lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne quamvis Christiáni nómine, nondùm tamen tenentes ipsum grátiæ benefícium, & adhuc volentes esse sub onéribus legis quæ Dóminus Deus imposúerat, non justítiæ serviéntibus, sed peccáto; justam scílicet legem injustis homínibus dando ad demonstranda peccáta eórum, non auferenda. Non enim aufert peccáta nisi grátia

fidei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Si spíritu vívimus; spíritu & ambulémus; * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocantes, ínvicem invidentes. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum. * Non efficiámur. *Gal.* 5. *Ps.* 132.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas constitútos illi volébant constitúere sub onéribus legis: asseverantes nihil eis prodesse Evangélium, nisi circumciderentur, & céteras carnáles Judáici ritûs observatiónes subírent. Et ídeò Paulum Apóstolum suspectum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquàm non tenentem disciplínam ceterórum Apostolórum qui gentes cogébant judaïzáre.

℟. Cáritas pátiens est, benigna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperàm, non quærit quæ sua sunt: * Omnia suffert, ómnia sústinet. ℣. Odium súscitat rixas, & univérsa delicta óperit cáritas. * Omnia. *I. Cor.* 13. *Prov.* 10.

Lectio vj.

TAlis quidem quæstio est & in Epístola ad Romános: verúmtamen vidétur áliquid interesse, quòd ibi contentiónem ipsam dírimit, litémque compónit quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex géntibus credíderant, orta erat: cùm illi tanquàm ex méritis óperum legis sibi rédditum Evangélii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcísis tanquàm imméritis nolébant dari: illi contrà Judæis se præferre gestírent, tanquàm interfectóribus Dómini. In hac verò epístola ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant, & ad observatiónes legis cogébant.

℟. Díriget Dóminus mansuétos in judício: docébit mites vias suas; * Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas requiréntibus testaméntum ejus. ℣. Sectáre justítiam, fidem, caritátem & pacem; stultas autem & sine disciplína quæstiónes devíta. * Univérsæ. Glória. * Univérsæ. *Ps.* 24. *II. Tim.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm descendisset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens adorábat

eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Libr. 1. Expos. super Marc. cap. 1.

QUia Dóminus ait: Non veni sólvere legem, sed adimplére; ille qui excludebátur à lege, purgári se Dómini potestáte præsúmens, non ex lege, sed supra legem esse grátiam judicábat, quæ leprósi máculam posset ablúere. Verùm ut in Dómino potestátis auctóritas, ita in illo fídei constántia declarátur. Ille in fáciem prócidit, quod humilitátis est, & pudóris, ut unusquisque de suæ vitæ máculis erubescat. Sed confessiónem verecúndia non repressit. Ostendit vulnus, remédium postulávit: & ipsa religiónis & fídei plenâ conféssio est: Si vis, inquit, potes me mundáre.

℟. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs; * Perficientes sanctificatiónem in timóre Dei. ℣. Mundi estóte, auferte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis: quiéscite ágere perversè, díscite benefácere, dicit Dóminus. * Perficientes sanctificatiónem. *II. Cor. 7. Is. 1.*

Lectio viij.

IN voluntáte Dómini tríbuit potestátem. De voluntáte autem Dómini non quasi pietátis incrédulus dubitávit, sed quasi colluviónis suæ cónscius non præsumpsit. Jesus autem misertus ejus extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo; mundáre. Et cùm dixisset, statìm discessit ab eo lepra, & mundátus est. Nihil médium est inter opus Dei, atque præceptum, quia in præcepto est opus.

℟. Ait Jesus lepróso: Vide némini díxeris: sed * Vade, ostende te Sacerdóti, & † Offer munus quod præcépit Móyses in testimónium illis. ℣. Hic est ritus leprósi quandò mundandus est; adducétur ad Sacerdótem. * Vade. Glória. † Offer munus. *Matth. 8. Levit. 14.*

Lectio ix. circa finem.

QUia typicè vir iste peccátis lánguidum genus designat humánum, rectè non solùm leprósus, verùm étiam juxta Evangélium Lucæ plenus leprâ fuisse descríbitur. Omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei; illâ scílicet ut externâ manu Salvatóris, hoc est, incarnáto Dei Verbo, humanámque contingente natúram, ab ex-

róris prisci varietáte mundentur; posníntque cum Apóstolis audíre: Jam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis: & qui diútiùs abominábiles à pópulo Dei erant, à castris secréti, jam aliquando templo reddi, & sacerdóti queant offerri, illi útique cui dícitur: Tu es sacerdos in ætérnum: audientes ab Apóstolo, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; offerántque pro emundatióne suî sicùt præcépit Móyses, id est exhíbeant córpora sua hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, & curábo eum. *Matth.* 8.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice, atque ad protegendum nos déxteram tuæ majestátis extende; Per.

CANON.

Ex Concílio Burdigalensi. *Ann.* 1583. *tit.* 6. *de Festis.*

Omnibus Provínciæ nostræ Párochis indícimus; pópulum suum frequenter & sério commonefáciant ut, diébus Festis, non solùm à quibúslibet prohíbitis opéribus sese contíneant, verùm étiam sacris ómnibus Ecclésiæ mystériis, & divíni verbi prædicatióni, quantùm fíeri possit, ex ánimo & religiósè intersint: nec pietátis ópera ítidem prætermittant, in paupéribus reficiendis, afflictis consolandis, aliísque piis rebus gerendis, in quibus Christiána proféssio, & cáritas máximè elúcet.

Ad Magníf. *Ant.* 8. g. Dixit Jesus Centurióni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: & sanátus est puer in illa hora. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 2.

Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi, & non ex opéribus legis: propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quòd si quærentes justificári in Christo, inventi sumus & ipsi peccatóres, numquid Christus peccáti miníster est? Absit. Si enim quæ destruxi, íterùm hæc ædifico: prævaricatórem me constítuo. Ego enim per legem legi

mórtuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei qui diléxit me, & trádidit semetipsum pro me. Non abjício grátiam Dei: si enim per legem justítia, ergo gratis Christus mórtuus est.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 3.

O Insensáti Gálatæ! quis vos fascinávit non obedíre veritáti? ante quorum óculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus? Hoc solùm à vobis volo díscere: Ex opéribus legis Spíritum accepistis? an ex audítu fidei? Sic stulti estis, ut, cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam; cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt fílii Abrahæ.

℟. *Tempus breve, pag.* 348.

Lectio iij.

PRóvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidéli Abraham: quicumque enim ex opéribus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permánserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

C A N O N.

Ex Capituláribus Ecclesiásticis Cároli Magni.

Libr. 5. num. 170.

EPíscopos & Sacerdótes quibus omnis terra caput inclínat, per quos & nostrum pollet impérium, ádmodùm honorári & ve

nerári, omnes monémus: nec eos lacerári, aut blasphemári, vel détrahi à quoquam vólumus, quia detráctio Sacerdótum ad Christum pértinet, cujus vice legatióne funguntur in Ecclésia.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 3.

PRiusquàm veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi, in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificémur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagógo. Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est másculus, neque fémina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissiónem hæredes.

℟. Si spíritu vívimus, pag. 350.

Lectio ij. Cap. 4.

SCitis quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jamprídem; & tentatiónem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitúdo vestra? Testimónium enim perhíbeo vobis, quia, si fieri posset, óculos vestros eruissétis, & dedissétis mihi. Ergo inimícus vobis factus sum verum dicens vobis? Æmulantur vos non benè; sed exclúdere vos volunt, ut illos æmulémini. Bonum autem æmulámini in bono semper, & non tantùm cùm præsens sum apud vos. Filíoli mei, quos íterùm partúrio, donec formétur Christus in vobis, vellem autem esse apud vos modò, & mutáre vocem meam, quóniam confundor in vobis.

℟. Cáritas pátiens est, pag. 350.

Lectio iij. Cap. 5.

STate, & nolite íterùm jugo servitútis continéri. Ecce ego Paulus dico vobis: Quóniam si circumcidámini, Christus vobis nihil próderit. Testíficor autem rursùs omni hómini circumcidenti se, quóniam débitor est universæ legis faciendæ. Evacuáti estis à Christo, qui in lege justificámini: à grátia excidistis: nos enim spíritu ex fide, spem justítiæ expectámus. Nam in Christo Jesu neque circumcísio áli-

quid valet, neque præpútium; ſed fides quæ per caritátem operátur. Currebátis benè: quis vos impedívit veritáti non obedíre? persuásio hæc non eſt ex eo qui vocat vos. Módicum fermentum totam maſſam corrumpit.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Monſpelienſi.

Ann. 1258. *cap.* 1.

QUicumque témerè bona Eccleſiáſtica inváſerit, ſeu occupáverit, aut res Eccleſiárum, ſeu monaſteriórum rapúerit, perſoníſve Eccleſiáſticis injúrias intúlerit, aut Eccléſias, ſeu loca religióſa, vel earumdem Eccleſiárum libertátes & jura impedíverit uſurpando; ſciat ſe, ipſo facto, auctoritáte præſentis Concílii, anathématis vínculo innodátum.

FERIA QUARTA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ómnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidélibus in Chriſto Jeſu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Benedictus *Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti*, qui benedixit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto, ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem: ut eſsémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus in caritáte.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

QUi prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum; ſecundùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecundùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis, in omni ſapiéntia, & prudéntia: ut notum fáceret nobis ſacramentum voluntátis ſuæ, ſecundùm beneplácitum ejus quod propóſuit in eo, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

℟. Tempus breve, *pag.* 348.

Lectio iij.

IN quo étiam & nos ſorte vocáti ſumus, prædeſtináti ſecundùm propóſitum ejus qui operátur ómnia ſecundùm consílium volun-

tátis suæ: ut simus in laudem glóriæ ejus nos qui antè sperávimus in Christo: in quo & vos, cùm audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo & credentes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 949.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi secundo Œcuménico.

Ann. 1139. *can.* 15.

SI quis, suadente diábolo, hujus sacrilégii reátum incurrit; quòd in Cléricum vel Mónachum violentas manus injécerit, anathématis vínculo subjáceat: & nullus Episcopórum illum præsúmat absólvere, nisi mortis urgente perículo, donec Apostólico conspéctui præsentétur, & ejus mandátum suscípiat.

FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 2.

CUm essétis mórtui delictis, & peccátis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi hujus, secundùm príncipem potestátis áeris hujus, spíritûs qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ: in quibus & nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, facientes voluntátem carnis, & cogitatiónum, & erámus natúrâ fílii iræ, sicut & céteri. Deus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam quâ dilexit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátiâ estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in sǽculis supervenientibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij.

GRátiâ enim estis salváti per fidem: & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. Propter quod mémores estóte, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicímini præpútium ab ea quæ dícitur cir-

cumcísio in carne, manu facta; quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israel, & hóspites testamentórum, promissiónis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij.

IPse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ solvens inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem, fáciens pacem; & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetipso. Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuistis; & pacem iis qui propè. Quóniam per ipsum habémus accessum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi quarto Œcuménico.

Ann. 1215. *cap.* 18.

S*Enténtiam sánguinis nullus Cléricus dictet*, aut próferat; sed nec sánguinis vindíctam exérceat, aut, ubi exercétur, intersit.... Nec quisquam Cléricus lítteras scribat, aut dictet pro vindícta sánguinis destinandas.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 3.

MIhi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à sǽculis in Deo qui ómnia creávit: ut innotescat principátibus, & potestátibus in cœléstibus per Ecclésiam multiformis sapiéntia Dei, secundùm præfinitiónem sæculórum quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro: in quo habémus fidúciam, & accessum in confidéntia per fidem ejus. Propter quòd peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis, quæ est glória vestra.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 4.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti estis, cum omni humilitáte & mansuetúdine, cum patiéntia

portantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Tempus breve, *pag.* 348.

Lectio iij.

UNicuíque autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi.... Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi; donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jàm non simus párvuli fluctuantes, & circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem facientes in *caritáte*, crescámus in illo *per ómnia* qui est caput *Christus*: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem suî in caritáte.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

Ann. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

NE, cùm neces & cruciamenta ímprobis homínibus Magistrátuum judício illáta, multitúdini spectanda proponuntur, ullo modo Ecclesiástici Ordinis viri intersint; nisi eórum pia ópera, consolandíque offícium úsui futúrum illis sit qui ad supplícium ducuntur.

SABBATO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 5.

EStóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus dilexit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitúdo, aut stul-

stultilóquium, aut scurrílitas quæ ad rem non pértinet; sed magìs gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligentes, quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hæreditátem in regno Christi, & Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino: ut filii lucis ambuláte. Fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo. Et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum; magìs autem argúite. Vidéte ítaque, fratres, quómodo cautè ambulétis.

Lectio ij. Cap. 6.

FIlii, obedíte paréntibus vestris in Dómino: hoc enim justum est. Honóra patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandátum primum in promissióne: ut benè sit tibi, & sis longævus super terram. Et vos, patres, nolíte ad iracúndiam provocáre filios vestros: sed educáte illos in disciplína & correptióne Dómini. *Servi, obedíte dóminis carnálibus* cum timóre & tremóre, in simplicitáte cordis vestri sicut Christo: non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placentes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo: cum bona voluntáte servientes, sicut Dómino, & non homínibus: sciéntes quóniam unusquisque, quodcumque fécerit bonum, hoc recípiet à Dómino, sive servus, sive liber. Et vos, dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas: sciéntes quia & illórum, & vester Dóminus est in cœlis, & personárum accéptio non est apud eum.

Lectio iij.

STate ergo succincti lumbos vestros in veritáte, & indúti lorícam justítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere. Et gáleam salútis assúmite, & gládium spíritûs, quod est verbum Dei: per omnem oratiónem, & obsecratiónem orantes omni témpore in spíritu: & in ipso vigilantes in omni instántia & obsecratióne pro ómnibus sanctis, & pro me; ut detur mihi sermo in apertióne oris mei cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangé-

lii : pro quo legatióne fungor in caténa ; ita ut in ipso áudeam, pro-ut oportet me loqui.

CANON.

Ex Concílio Turonensi secundo.

Ann. 567. *can.* 2.

DEcérnitur propter illud cœleste mandátum : Pacem meam do vobis ; ut Pontificális afféctus inter sacerdótes inviolabíliter consérvétur. Verùm si, pro peccátis, ut ássolet, ex causa livor emérserit, ut pendente certámine sibi ínvicem reconciliári non possint, eléctis ab utráque parte frátribus, id est Presbyteris, præponderante dulcédine, litis jácula fíniant, & vota pacis acquírant.

Ad Magníf. *Ant.* 4. D. Cáritas vestra magìs ac magìs abundet in sciéntia, & in omni sensu ; ut probétis potióra, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum. *Philipp.* 1.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA XXVI. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Epíscopis & Diacónibus. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestra in Evangélio Christi à prima die usque nunc. Confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis : eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defensióne, & confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

QUidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincérè, existimantes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim ? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem Christus annuntiétur ; & in hoc gáudeo, sed & gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem, per vestram oratiónem, & subministratiónem Spíritûs Jesu Christi, secundùm expectatiónem,

tiónem, & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fidúcia, sicut semper, & nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, & quid éligam ignóro. Coarctor autem è duóbus, desidérium habens dissolvi; & esse cum Christo multò magis mélius: permanére autem in carne, necessárium propter vos.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 1. & 2.

VObis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini: idem certámen habentes, quale & vidístis in me, & nunc audístis de me. Si qua ergo consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua sócietas Spíritûs, si qua víscera miseratiónis: impléte gáudium meum; ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: sed in humilitáte superióres sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt sínguli considerantes, sed ea quæ aliórum.

℟. Qui gloriátur, *p.* 349.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium sancti Gregórii Papæ.

Libr. 4. *cap.* 34.

Lectio iv.

REplémus refectiónibus corpus, ne extenuátum defíciat: extenuámus abstinéntiâ, ne nos replétum premat. Vegetámus hoc mótibus, ne situ immobilitátis intéreat: sed cítiùs hoc collocando sístimus, ne ipsâ suâ vegetatióne succumbat. Adjumentis hoc véstium tégimus, ne frigus intérimat: & quæsíta adjumenta projícimus, ne calor exúrat. Tot ígitur diversitátibus occurrentes, quid ágimus? nisi corruptibilitáti servímus; ut saltem multiplícitas impensi obséquii corpus sustíneat; quod anxíetas infirmæ mutabilitátis gravat?

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio v.

UNdè benè per Paulum dícitur: Vanitáti enim creatúra subjecta est non volens, sed propter eum qui subjécit eam in spe: quia & ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis in libertátem glo-

riæ filiórum Dei. Vanitáti quippè creatúra non volens súbditur: quia homo qui ingénitæ constántiæ statum volens deséruit, pressus justæ mortalitátis póndere, nolens mutabilitátis suæ corruptióni servit. Sed creatúra hæc tunc à servitúte corruptiónis erípitur, cùm ad filiórum Dei glóriam incorrupta resurgendo sublevátur.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio vj.

HIc ítaque electi moléstiâ vincti sunt: quia adhuc corruptiónis suæ pœnâ deprimuntur. Sed, cùm corruptíbili carne exúimur, quasi ab his quibus nunc astríngimur, moléstiæ vínculis relaxámur. Præsentári namque jam Deo cúpimus: sed adhuc mortális córporis obligatióne præpedímur. Jure ergo vincti dícimur: quia adhuc incessum nostri desidérii ad Deum líberum non habémus. Undè benè Paulus æterna desíderans, sed tamen adhuc corruptiónis suæ sárcinam portans, vinctus clamat: Cúpio dissolvi, & esse cum Christo. Dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dúbio vinctum vidéret.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Ascendente Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipse verò dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Enarr. in Ps. 93. §. 24. & 25.

SI Deus non miscéret amaritúdines felicitátibus sæculi, oblivisceémur eum. Sed ubi angóres molestiárum fáciunt fluctus ánimæ, fides illa quæ ibi dormiébat, excitétur. Tranquillum enim erat, quando dormívit Christus in mari: illo dormiente, tempestas orta est, & cœpérunt periclitári. Ergo in corde Christiáno & tranquíllitas erit & pax, sed quándiù vígilat fides nostra; si autem dormit fides nostra, periclitámur. Hoc enim signíficat dórmiens Christus, quia quidam obliviscuntur fidem suam, & periclitantur.

℟. Ecce motus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, Jesus verò dormiébat; & discípuli ejus suscitavérunt eum dicentes: * Dómine, salva

erímus. ℣. Tu domi-
ıoteſtáti maris, mo-
utem flúctuum ejus
.tigas. * Dómine.
:. 8. *Pſ.* 88.

Lectio viij.

quómodò, illa na-
cùm fluctuáret, ex-
; eſt Chriſtus à flu-
ibus & dicéntibus:
ıe, perímus. Surre-
:, imperávit tempe-
ıs, imperávit flúcti-
ceſsávit perículum,
eſt tranquíllitas: ſic
cùm turbant concu-
ıtiæ malæ, perſuaſió-
ıalæ; fluctus ſunt:
ıillabuntur. Jam de-
ı, putas te non perti-
ıd Dóminum: evígi-
es tua, éxcita Chri-
ın corde tuo; ſurgen-
:, jam agnoſcis ubi
:, ſi fortè tentant flu-
oncupiſcéntiæ, intué-
ıid promíſit Deus; &
do promiſsórum fá-
e contemptórem dul-
um ſǽculi.

Exurgens Jeſus ait
ulis: * Quid tímidi
? necdùm habétis fi-
℣. Qui timet Dómi-
, non pavébit; quó-
ipſe eſt ſpes ejus.
ıid. Glória. * Quid.
:. 4. *Eccli.* 34.

Lectio ix.

arr. in Pſ. 45. §. 3.

*Ultæ ſunt tribulatiónes, & in omni tri*bulatióne ad Deum confugiendum eſt: ſive ſit tribulátio in re familiári, ſive ſit in ſalúte córporis, ſive de perículo cariſſimórum, ſive de áliqua re ad hujus vitæ ſuſtentáculum neceſſária, omnínò áliud refúgium non debet eſſe hómini chriſtiáno, quàm Salvátor ejus, quàm Deus ejus, quò cùm confúgerit, fortis ſit. Non enim ipſe in ſe fortis erit, aut ſibi ipſe fortitúdo erit: ſed ille illi fortitúdo er[illegible], qui refúgium ejus factus eſt.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Surgens Jeſus imperávit ventis & mari, & facta eſt tranquíllitas magna. *Matth* 8.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitútos pro humána ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere: da nobis ſalútem mentis & córporis, ut ea quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvante, vincámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

C A N O N.

Ex Synodo Ebroïcenſi.
Ann. 1576. *apud L. Bochel.*

QUemádmodùm non ſolùm únicum Sábbati feſtum Judæis imperabátur; ſed quóties áliqua exímia benefícia Deus per Móyſen & álios ſancto

viros illis elargiebátur, tóties Festa ad perpétuam illórum colendam memóriam & contemplatiónem decernebantur : ita pópulo christiáno non únicum Festum diéi Domínici fuit relinquendum, sed plura constituenda pro singuláribus donis per Christum, Vírginem ejus matrem, Apóstolos atque álios Sanctos & Sanctas receptis; ne simus immémores eórum & ingráti.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Hómines miráti sunt dicentes : Qualis est hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 2.

CAríssimi mei, (sicut semper obedistis,) non ut in præséntia mei tantùm, sed multò magìs nunc in abséntia mea cum metu & tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim, qui operátur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus & hæsitatiónibus : ut sitis sine queréla & símplices filii Dei sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo, verbum vitæ continentes ad glóriam meam in die Christi, quia non in vácuum cucurri, neque in vácuum laborávi. Sed & si ímmolor supra sacrifícium, & obséquium fídei vestræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 3.

DE cétero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis scríbere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessárium. Vidéte canes, vidéte malos operários, vidéte concisiónem. Nos enim sumus circumcísio, qui spíritu servímus Deo, & gloriámur in Christo Jesu, & non in carne fidúciam habentes : quanquàm ego hábeam confidéntiam & in carne. Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magìs, circumcísus octávo die, ex génere Israel, de Tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulatiónem pérsequens Ecclésiam Dei, secundùm justítiam quæ in lege est, conversátus sine queréla. Sed, quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 4.

DE cétero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobíscum. Gavísus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquandò refloruistis pro me sentíre, sicut & sentiebátis: occupáti autem crátis. Non quasi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliári, scio & abundáre: ubíque & in ómnibus institútus sum: & satiári, & esuríre, & abundáre, & penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Chalcedonensi Œcuménico.

Ann. 451. *part.* 2. *Act.* 15. *cap.* 9.

SI quis Cléricus habet cum Clérico litem aut negótium, próprium Epíscopum ne relinquat, & ad seculária judícia ne excurrat: sed causam priùs apud próprium Epíscopum agat, vel de Epíscopi senténtia, apud eos quos utraque pars elégerit, judícium agitétur.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Timótheus frater: Eis qui sunt Colôssis, sanctis & fidélibus frátribus in Christo Jesu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo, & Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem quæ repósita est vobis in cœlis: quam audistis in verbo veritátis Evangélii quod pervénit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructíficat, & crescit, sicut in vobis ex ea die quâ audistis, & cognovistis grátiam Dei in veritáte.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij.

NOn cessámus pro vobis orantes, & postulantes ut impleámini a-

gnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntia & intellectu spirituáli: ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntia Dei: in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia, & longanimitáte cum gáudio, grátias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ; in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum: qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ; quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cœlis, & in terra, visibília & invisibília, sive throni, sive dominatiónes, sive principátus, sive potestátes: ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt: & ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij.

ET ipse est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis: ut sit in ómnibus ipse primátum tenens, quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum: pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos, cùm essétis aliquandò alienáti, & inimíci sensu in opéribus malis, nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipso: si tamen permanétis in fide fundáti, & stábiles & immóbiles à spe Evangélii quod audístis, quod prædicátum est in universa creatúra quæ sub cœlo est.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Chalcedonensi Œcuménico.

Ann. 451. *part.* 2. *Act.* 15. *cap.* 8.

CLérici qui præficiuntur Paróchiis, vel qui ordinantur in monastériis & Basílicis Mártyrum, sub potestáte Episcopórum qui sunt in unaquáque civitáte, ex sanctórum Patrum traditióne, permáneant; & non per arrogántiam se à próprio Epíscopo, impérium ejus detrectantes, subdúcant.

FERIA QUARTA.
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.
Lectio j. Cap. 3.

MOrtificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam, & avarítiam quæ est simulacrórum sérvitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitátis; in quibus & vos ambulastis aliquandò, cùm viverétis in illis. Nunc autem depónite & vos ómnia; iram, indignatiónem, malítiam, blasphémiam, turpem sermónem de ore vestro. Nolíte mentíri ínvicem: expoliantes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induentes novum, eum qui renovátur in agnitiónem secundùm imáginem ejus qui creávit illum: ubi non est Gentílis, & Judæus, circumcísio & præpútium, Bárbarus, & Scytha, servus, & liber; sed ómnia & in ómnibus Christus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

OMne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo & Patri per *ipsum. Mulíeres*, súbditæ estóte viris, sicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras, & nolíte amári esse ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusillo ánimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes quasi homínibus placentes, sed in simplicitáte cordis timentes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino, & non homínibus: sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit: & non est personárum accéptio apud Deum.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 4.

DOmini, quod justum est & æquum, servis præstáte; sciéntes quòd & vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte, vigilantes in ea in gratiárum actióne: orantes simul & pro nobis, ut Deus apériat nobis óstium sermónis ad loquendum mystérium Christi, (propter quod étiam vinctus sum) ut ma-

nifestem illud ita ut oportet me loqui. In sapiéntia ambuláte ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in grátia sale sit condítus, ut sciátis quómodò opórteat vos unicuíque respondére.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Epaonensi.

Ann. 517. *can.* 5.

NE Présbyter territórii aliéni, sine consciéntia sui Epíscopi, in altérius civitátis território præsúmat Basílicis atque Oratóriis inservíre, nisi fortè Epíscopus suus illum cedat Epíscopo illi, in cujus território habitáre dispósuit.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, & Dómino Jesu Christo. Grátia vobis, & pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestrî faciéntes in oratiónibus nostris, sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, & labóris, & caritátis, & sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum: sciéntes, fratres dilecti à Deo, electiónem vestram. Quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm; sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa: sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij. Cap. 2.

EXhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur: non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquandò fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quærentes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis; cùm possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrûm, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderantes vos cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémo-

res enim estis, fratres, labóris nostri, & fatigatiónis: nocte ac die operantes, ne quem vestrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij.

VOs testes estis, & Deus, quàm sanctè, & justè, & sine queréla, vobis, qui credidistis, fúimus: sicut scitis, quáliter unumquemque vestrûm, sicut pater filios suos, deprecantes vos, & consolantes, testificáti sumus ut ambularétis dignè Deo qui vocávit vos in suum regnum & glóriam. Ideò & nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam, cùm accepissétis à nobis verbum audítûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hóminum, sed sicut est verè verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidistis. Vos enim imitatóres facti estis, fratres, Ecclesiárum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia éadem passi estis & vos à contribúlibus vestris, sicut & ipsi à Judæis: qui & Dóminum occidérunt Jesum & Prophétas, & nos persecúti sunt, & Deo non placent, & ómnibus homínibus adversantur, prohibentes *nos géntibus* loqui, ut salvæ fiant, ut ímpleant peccáta sua semper: pervénit enim ira Dei super illos usque in finem.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *c.* 103.

ADmonendi sunt súbditi, ne Præpositórum suórum vitam temerè júdicent, si quid eos fortassè ágere reprehensibíliter vident; ne, undè rectè mala redárguunt, indè per elatiónis impulsum in profundióra mergantur.

FERIA SEXTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 5.

IPsi diligenter scitis quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint: Pax & secúritas: tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tanquàm fur comprehendat. Omnes enim vos fílii lucis estis, & fílii diéi; non sumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus sicut & cæteri; sed vigilémus, & sóbrii simus

Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt: & qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt. Nos autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fídei, & caritátis, & gáleam spem salútis: quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis: ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

PRopter quod consolámini ínvicem, & ædificáte altérutrum, sicut & fácitis. Rogámus autem vos, fratres, ut nověritis eos qui labórant inter vos, & præsunt vobis in Dómino, & monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórum. Pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patientes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: sed semper quod bonum est, sectámini in ínvicem & in omnes.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij.

SEmper gaudéte: sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere: prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est ténete. Ab omni spécie mala abstinéte vos. Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia; ut íntegre spíritus vester, & ánima, & corpus, sine queréla in adventu Dómini nostri Jesu Christi servétur. Fidélis est qui vocávit vos: qui étiam fáciet. Fratres, oráte pro nobis. Salutáte fratres omnes in ósculo sancto. Adjúro vos per Dóminum, ut legátur epístola hæc ómnibus sanctis frátribus. Grátia Dómini nostri Jesu Christi vobíscum. Amen. Tu autem, &c.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *c.* 102.

ADmonendi sunt Cléríci ne, cùm culpam suórum Præpositórum consíderant, contra eos audacióres fiant; sed sic eórum prava apud semetipsos dijúdicent, ut tamen divíno timóre constricti, ferre sub

eis jugum reveréntiæ non recúsent.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre nostro & Dómino Jesu Christo. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercréscit fides vestra, & abúndat cáritas uniuscujúsque vestrûm in ínvicem: ita ut & nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra, & fide, in ómnibus persecutiónibus vestris, & tribulatiónibus, quas sustinétis in exemplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini. Si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant: & vobis qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus, in flamma ignis dantis vindíctam iis qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas, à fácie Dómini & à glória virtútis ejus; cùm vénerit glorificári in sanctis suis, & admirábilis fíeri in ómnibus qui credidérunt.

Lectio ij. Cap. 3.

DEnuntiámus autem vobis, fratres, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, ut subtrahátis vos ab omni fratre ambulante inordináte, & non secundùm traditiónem quam accepérunt à nobis. Ipsi enim scitis quemádmodum opórteat imitári nos: quóniam non inquiéti fúimus inter vos, neque gratis panem manducávimus ab áliquo; sed in labóre & in fatigatióne, nocte & die operantes, ne quem vestrûm graverémus. Non quasi non habuérimus potestátem, sed ut nosmetipsos formam darémus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis, quóniam, si quis non vult operári, nec mandúcet.

Lectio iij.

AUdívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiéte, nihil operantes, sed curiósè agentes. Iis autem qui ejúsmodi sunt, denuntiámus, & obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum siléntio operan-

tes, suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefaciéntes. Quòd si quis non obédit verbo nostro per epístolam, hunc notáte, & ne commisceámini cum illo, ut confundátur. Et nolíte quasi inimícum existimáre, sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempitérnam in omni loco. Dóminus sit cum ómnibus vobis.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 16.

NUllus Cléricus peregrínus sine commendatítiis sui Ordinárii lítteris ab ullo Epíscopo ad divína celebranda, & Sacramenta administranda, admittátur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus: Quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. *I. Tim.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XXVII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi secundùm impérium Dei Salvatóris nostri, & Christi Jesu spei nostræ, Timótheo dilécto fílio in fide. Grátia, misericórdia & pax à Deo Patre & Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephési cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibusdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, & genealógiis interminátis: quæ quæstiónes præstant magìs quàm ædificatiónem Dei quæ est in fide. Finis autem præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntia bonâ, & fide non fictâ.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

GRátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit ponens in ministério: qui priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus: sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia Dómini nostri cum fide & dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus: Quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Sed ídeò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus om-

nem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætcrnam.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 2.

OBsecro ígitur primùm ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro Régibus, & ómnibus qui in sublimitáte sunt, ut quiétam, & tranquillam vitam agámus, in omni pietáte & castitáte. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus: unus & mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis.

℟. Qui gloriátur, *p.* 349.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 175. *aliàs* 9. *de Verb. Apost. cap.* 1.

Lectio iv.

FIdélis sermo, & omni acceptióne dignus; quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere, *quorum primus* ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Dómino, nisi peccatóres salvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla causa est medicínæ. Si venit de cœlo magnus Médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus: ipse ægrótus genus humánum est.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Serm. 176. *aliàs* 10. *de Verb. Apost. cap.* 4.

Lectio v.

DIcit Paulus unicuíque ægróto, & de se volenti desperáre: Qui curávit me, misit me ad te, & dixit mihi: Illi desperanti vade, & dic quid habuisti, quid in te sanávi, quàm citò sanávi? De cœlo vocávi, unâ voce percussi & dejéci, áliâ erexi & elégi, tértiâ implévi & misi, quartâ liberávi & coronávi. Vade: dic ægrótis, clama desperátis: Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus, Quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere. Quid timétis? quid trepidátis? Quorum primus ego sum. Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotántibus, stans jacéntibus, secúrus desperántibus. Ideò enim misericórdiam consecutus sum, ut in me osténderet Chri-

stus Jesus omnem longanimitátem.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio vj. Cap. 5.

NOlíte ergo desperáre. Ægróti estis: accédite ad eum, & sanámini: cæci estis, accédite ad eum, & illuminámini. Et qui sani estis, ei grátias ágite: & qui ægrotátis, ad eum sanandi cúrrite. Dícite omnes: Veníte, adorémus, & prosternámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos, & hómines, & salvos. Nam si ille nos fecit hómines, nos autem ipsi nos fécimus salvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior est enim salvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te fecisti bonum hóminem, quod tu fecisti mélius est. Noli te extóllere super Deum: subde te Deo, adóra, prostérnere, confítere illi qui fecit te: quia nemo récreat, nisi qui creat; nemo réficit, nisi qui fecit.

℟. Díriget, *pag.* 350.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Parábolam propósuit turbis *Jesus, dicens*: Símile factum est regnum cœlórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo: cùm autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, & superseminávit zizánia in médio trítici, & ábiit. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 46. *in Matth.* §. 1.

HÆc diáboli versútia est, ut cùm veritáte semper commísceat errórem, cui veritátis colórem & similitúdinem affingit, ita ut símplices fácilè circumveníre possit. Ideò non ália sémina quàm zizánia dixit, quod semen spécie quidem frumento símile est: deindè modum insidiárum dicit: Cùm dormírent hómines, inquit. Non parvum hîc Præsúlibus propónitur præcipítium & perículum, quibus máximè arvi cura demandáta est; neque illis tantùm, sed étiam súbditis. Osténdit autem errórem post veritátem venisse: id quod étiam rerum eventus testificátur; nam post Prophétas pseudoprophétæ, post Apóstolos pseudoapóstoli, & post Christum antichristus. Nisi enim diábolus víderit, quid imitári possit, aut quibus insidiári, nihil insidiárum ponit.

℟. Símile factum est regnum cœlórum hómini qui

* Seminávit bonum semen in agro suo: cùm autem dormírent hómines, inimícus superseminávit zizánia. ℣. Ad imáginem similitúdinis suæ Deus fecit hóminem: invídiâ autem diáboli, mors introívit in orbem terrárum. * Seminávit. *Matth.* 13. *Sap.* 2.

Lectio viij.

Sicut álibì per viam, per petram, & per spinas, sic & hìc per somnum perníciçs áccidit: Quapropter assíduâ opus est custódiâ. Ideò Christus dicébat: Qui persçveráverit usque in finçm hic salvus erit.... Et quómodò fieri potest, ínquies, ut non dórmiant hómines? Naturáli quidem somno fieri nequit; voluntátis somno, secùs. Quapropter Paulus dicébat: Vigiláte, state in fide. Inimícum hóminem vocat illum, ob damna quæ infert homínibus: damnum enim nos ímpetit: damni verò inítium non ódio nostrì, sed ódio Dei factum est. Undè palàm est, Deum nos magìs dilígere, quàm nos à nobis ipsis diligámur. Sed aliundè vidére est diáboli versútiam: non enim ántehàc seminávit, quia nihil quod pérderet hábuit; sed cùm ómnia plena essent, ut totum agrícolæ stúdium labefactáret: sic inimíco erga illum ánimo cuncta faciébat.

℟. Vigiláte, quia adversárius vester diábolus tanquàm leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret: * Cui resístite fortes in fide. ℣. Dentes leónis dentes ejus, interficientes ánimas hóminum. * Cui resístite. *I. Petr.* 5. *Eccli.* 21.

Lectio ix.

Vide autem servórum diligéntiam. Nam zizánia citò evéllere cúpiunt, etiamsi id non consideráte fáciant: quod illórum circa sémina sollicitúdinem declárat, arguítque ipsos ad unum tantùm respícere, non quo pacto ille pœnas det, neque enim illud ita urget; sed ne jacta sémina péreant. Ideò id cógitant, ut morbum celériter avellant. Illud verò non statìm efficere conantur, neque enim id sibi árrogant; sed Dómini senténtiam expectant dicentes: Vis? Quid ígitur Dóminus? id vetat dicens: Non: ne fortè eradicétis simul & tríticum.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Dómine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? undè ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit. *Matth.* 13.

Oratio.

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, conti-

nuâ pietáte custódi; ut quæ in sola spe grátiæ cœlestis innítitur, tuâ semper protectióne muniátur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Aquileïensi. *Ann.* 1596. *rubricâ* 14.

Tempus diéi Festi in audiendis conciónibus, Missæ sacro, & divínis Offíciis ponendum est; non in comessatiónibus. Multò minùs, peracto prándio, ad saltatiónes & lusus declinandum; cùm sit in Ecclésias, ad Horas vespertínas audiendas, divertendum; & nomen Dei concórditer & devótè, vel siléntii meditatióne, vel vocis exultatióne laudandùm.

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in fascículos ad comburendum; tríticum autem, congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

Fidélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem: non vinolentum, non percussórem; sed modestum: non litigiósum, non cúpidum; sed suæ dómui benè præpósitum, filios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne, in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum & testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, & in láqueum diáboli.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

Diáconos simíliter pudícos, non bilingues, non multo vino déditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mystérium fídei in consciéntia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic minístrent, nullum crimen habentes. Mulíeres simíliter pudícas, non detrahentes, sóbrias, fidéles in ómnibus. Diáconi sint uníus uxóris viri, qui fíliis suis benè præsint, & suis dómibus: qui enim benè ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu. Hæc tibi scribo, sperans me ad te veníre citò: si autem

tardávero, ut scias quómodò opórteat te in domo Dei conversári, quæ est Ecclésia Dei vivi, columna, & firmamentum veritátis.

℟. Tempus breve est, pag. 348.

Lectio iij. Cap. 4.

INeptas autem, & aníles fábulas devíta: exerce autem teipsum ad pietátem. Nam corporális exercitátio ad módicum útilis est: píetas autem ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ, quæ nunc est, & futúræ. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus: in hoc enim laborámus, & maledícimur, quia sperámus in Deum vivum qui est salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescéntiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni & doctrinæ. Noli négligere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre: in his esto, ut proféctus tuus maniféstus sit ómnibus. Attende tibi, & doctrínæ; insta in illis. *Hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt.*

℟. Qui gloriátur, pag. 349.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 25. de Ref. c. 3.

QUamvis excommunicatiónis gládius nervus sit Ecclesiásticæ disciplínæ, & ad continendos in officio pópulos valdè salutáris; sóbriè tamen magnâque circumspectióne exercendus est: cùm experiéntia dóceat, si témerè, aut lévibus ex rebus incutiátur, magis contemni, quàm formidári; & perníciem pótiùs párere, quàm salútem.

FERIA TERTIA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 5.

QUi benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máximè qui labórant in verbo & doctrínâ. Dicit enim Scriptúra: Non alligábis os bovi trituranti; &: Dignus est operárius mercéde suâ. Adversùs Presbyterum accusatiónem noli recípere, nisi sub duóbus aut tribus téstibus. Peccantes coram ómnibus árgue, ut & céteri timórem hábeant. Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Ange-

lis, ut hæc custódias sine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinando. Manus citò némini imposúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teipsum castum custódi. Noli adhuc aquam bíbere, sed módico vino útere propter stómachum tuum, & frequentes tuas infirmitátes.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij. Cap. 6.

SI quis áliter docet, & non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundùm pietátem est, doctrínæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiónes & pugnas verbórum: ex quibus oriuntur invídiæ, contentiónes, blasphémiæ, suspiciónes malæ, conflictatiónes hóminum mente corruptórum, & qui veritáte priváti sunt, existimántium quæstum esse pietátem. Est autem quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. Habentes autem aliménta & quibus tegámur, his contenti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diáboli, & desidéria multa inutília, & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, & perditiónem: radix enim ómnium malórum est cupíditas.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij.

DIvítibus hujus sǽculi præcipe non sublímè sápere, neque sperâre in incerto divitiárum, sed in Deo vivo qui præstat nobis ómnia abundè ad fruendum, benè ágere, dívites fíeri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundaméntum bonum in futúrum, ut apprehendant veram vitam. O Timóthee, depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promittentes circa fidem excidérunt. Grátia tecum. Amen. Tu autem.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

C A N O N.

Ex Synodo Ebroïcensi.

Ann. 1576. *apud L. Bochel.*

EXcommunicátio plerumque in hoc mundo corpus, atque ómnia quæ póssidet homo, malè perdit; semper verò ánimæ vitam ferit, non solùm in hoc sǽculo, sed in futúro; nec tantùm coram homínibus, sed coram Deo. Id-

circò longè ómnium pœnárum graviſſima eſt, nec niſi pro ſummis delictis, atque ómnibus remédiis tentátis, exerenda, ac ſupra quodcumque tormentum vitæ hujus pertimeſcenda.

FERIA QUARTA.

Incipit Epiſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ſecundùm promiſſiónem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Timótheo caríſſimo fílio, grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Grátias ago Deo cui sérvio à progenitóribus in conſciéntia pura, quòd ſine intermiſſióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die: deſíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear: recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitávit primùm in ávia tua Lóide, & matre tua Eunice; certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admóneo te, ut resúſcites grátiam Dei, quæ eſt in te per impoſitiónem mánuum meárum. Non enim *dedit nobis Deus ſpíritum timóris; ſed* virtútis, & dilectiónis, & ſobrietátis.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 1. *&* 2.

NOli itaque erubéſcere teſtimónium Dómini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabóra Evangélio ſecundùm virtútem Dei: qui nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ; non ſecundùm ópera noſtra, ſed ſecundùm propóſitum ſuum, & grátiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante témpora ſeculária: manifeſtáta eſt autem nunc per illuminatiónem Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti: qui deſtruxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem per Evangélium: in quo póſitus ſum ego prædicátor, & Apóſtolus, & Magiſter Géntium. Ob quam cauſam étiam hæc pátior, ſed non confúndor: ſcio enim cui crédidi; & certus ſum quia potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem. Formam habe ſanórum verbórum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectióne in Chriſto Jeſu.... Labóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo mílitans Deo ímplicat ſe negótiis ſeculáribus, ut ei pláceat cui ſe probávit. Nam & qui certat in agóne,

non coronátur, nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm de frúctibus percípere.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij.

INtéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse à mórtuis ex sémine David secundùm Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula quasi malè óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideò ómnia sustíneo propter eléctos, ut & ipsi salútem consequántur quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlesti. Fidélis sermo: Nam si commórtui sumus, & convivémus: si sustinébimus, & conregnábimus: si negavérimus, & ille negábit nos: si non crédimus, ille fidélis pérmanet, negáre seipsum non potest. Hæc cómmone, testíficans coram Dómino.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Nicæno primo Œcuménico.

Ann. 325. *can.* 5.

DE iis qui communióne privantur, seu ex Clero, seu ex láico órdine ab Epíscopis, per unamquamque províncias, senténtia reguláris obtíneat, ut hi qui abjiciuntur, ab áliis non recipiantur: examinétur autem num pusillanimitáte, aut contentióne, aut álio quólibet Epíscopi vítio, videántur à congregatióne seclúsi.

FERIA QUINTA.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 2.

NOli conténdere verbis: ad nihil enim útile est, nisi ad subversiónem audiéntium. Sollícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis. Profána autem, & vanilóquia devíta: multùm enim profíciunt ad impietátem; & sermo eórum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes resurrectiónem esse jam factam, & subvertérunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus; &, Discédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij.
ília autem desidé-
ıge : sectáre verò
n , fidem , caritá-
pacem cum iis qui
ıt Dóminum de cor-
›. Stultas autem &
ciplina quæstiónes
sciens quia géne-
es. Servum autem
non oportet litigá-
mansuétum esse ad
docíbilem, patien-
ım modéstia corri-
ı eos qui resistunt
; nequandò Deus
s pœniténtiam ad
cendam veritátem ,
iscant à diáboli lá-
quo captivi tenen-
psíus voluntátem.
:áritas pátiens est ,
o.
ctio iij. Cap. 3.
autem assecútus es
eam doctrínam , in-
nem , propósitum ,
, longanimitátem ,
ónem , patiéntiam ,
itiónes , passiónes ;
mihi facta sunt An-
, Icónii, & Lystris;
persecutiónes susti-
. ex ómnibus eripuit
minus. Et omnes qui
lunt vívere in Chri-
su , persecutiónem
tur ; mali autem hó·
, & seductóres pro-
in pejus ; errantes ,
errórem mittentes.
rò pérmane in iis
quæ didicisti , & crédita
sunt tibi , sciens à quo di-
díceris : & quia ab infán-
tia sacras litteras nosti ,
quæ te possunt instrúere ad
salútem per fidem quæ est
in Christo Jesu. Omnis
scriptúra divínitùs inspirá-
ta útilis est ad docendum ,
ad arguendum , ad corri-
piendum , ad erudiendum
in justítia : ut perfectus sit
homo Dei , ad omne opus
bonum instructus.

℞. Diriget Dóminus , *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Narbonensi.
Ann. 1551. *can.* 60.

NUllus Cléricus , aut étiam láicus à jure , vel hómine excommunicátus & declarátus , ad públicα múnera admittátur. Indignum est enim , ut qui à grege Domínico segregátus , & separátus est, públicis offíciis fungátur.

FERIA SEXTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus servus Dei , Apóstolus autem Jesu Christi secundùm fidem electórum Dei , & agnitiónem veritátis quæ secundùm pietátem est , in spem vitæ ætérnæ , quam promísit qui non mentítur Deus , ante témpora seculária ; manifestávit autem tempóribus

ſuis verbum ſuum in prædicatióne, quæ crédita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatóris noſtri Dei; Tito dilecto filio ſecundùm commúnem fidem, grátia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatóre noſtro. Hujus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, córrigas, & conſtítuas per civitátes Presbyteros, ſicut & ego diſpóſui tibi.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent ſanam doctrínam: ſenes ut sóbrii ſint, pudíci, prudentes, ſani in fide, in dilectióne, in patiéntia: anus ſimíliter in hábitu ſancto, non criminatríces, non multo vino ſervientes; benè docentes, ut prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos díligant, prudentes, caſtas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris ſuis, ut non blaſphemétur verbum Dei. Júvenes ſimíliter hortáre ut sóbrii ſint. In ómnibus teipſum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum, irreprehensíbile: ut is qui ex adverſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 3.

ADmone illos princípibus, & poteſtátibus súbditos eſſe, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos eſſe: néminem blaſphemáre: non litigióſos eſſe; ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetúdinem ad omnes hómines. Fidélis ſermo eſt; & de his volo te confirmáre: ut curent bonis opéribus præeſſe, qui credunt Deo. Hæc ſunt bona, & utília homínibus. Stultas autem quæſtiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta; ſunt enim inútiles, & vanæ. Hæréticum hóminem, poſt unam & ſecundam correptiónem, devíta: ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejúſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit próprio judício condemnátus.

℟. Qui gloriátur, *p.* 349.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 134.

DElinquéntibus & excommunicátis frátribus, nequáquàm céteri fratres debent favére, aut eos ſuis adulatiónibus decípere, aut eórum erráta defendere: ſed pótiùs opem ferre ut æquitátis censúrâ diſtrictè corrigantur.

SABBATO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philémonem.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus vinctus Christi Jesu, & Timótheus frater, Philémoni dilecto, & adjutóri nostro, & Appiæ soróri caríssimæ, & Archippo commilitóni nostro, & Ecclésiæ quæ in domo tua est. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, & fidem quam habes in Dómino Jesu, & in omnes sanctos: ut communicátio fidei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. Gáudium enim magnum hábui, & consolatiónem in caritáte tua: quia víscera sanctórum requievérunt per te, Frater.

Lectio ij.

PRopter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pértinet: propter caritátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex; nunc autem & vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo filio, quem génui in vínculis, Onésimo, *qui tibi aliquandò inútilis fuit*, *nunc* autem & mihi & tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum ut mea víscera súscipe: quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii: sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, ut ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium.

Lectio iij.

FOrsitàn enim ideò discessit ad horam à te, ut æternùm illum recíperes; jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magìs tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me: si autem áliquid nócuit tibi, aut debet; hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes. Ita, frater, ego te fruar in Dómino: réfice víscera mea in Dómino. Confídens in obediéntia tua, scripsi tibi, sciens quóniam & super id quod dico, fácies. Simul autem & para mihi hospítium; nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini nostri

Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen. Tu autem.

CANON.

Ex Concílio Ebroicensi. *Ann.* 1576. *apud L. Bochel.*

NOminus Excommunicatiónes perfunctóriè, & quasi plebéium áliquod mandátum à Curátis seu Vicáriis cursìm legi, & publicári; sed semper cum horróre, & interminatióne divíni judícii, ac públicæ in totam Paróchiam afflictiónis, si excommunicátus in illa tolerátur; ob ídque differri jubémus, quam diutíssimè póterit, excommunicatiónis fulminatiónem.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Pacem sequímini cum ómnibus, & sanctimóniam, sine qua nemo vidébitDeum. *Hebr.* 12.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA XXVIII. post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1.

MUltifáriàm multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula. Qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram Majestátis in excelsis: tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Nihil intúlimus, *p.* 348.

Lectio ij. Cap. 2.

NOn enim Angelis subjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Testátus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo, quòd memor es ejus: aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronasti eum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum: ómnia subjecísti sub pédibus ejus. In eo enim quòd ómnia ei subjécit, nihil dimísit non subjectum ei. Nunc autem necdùm vidémus ómnia subjécta ei. Eum autem qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum, ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre.

℟. Tempus, pag. 348.

Lectio

Lectio iij.

QUi enim sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum; & íterum: Ecce ego, & púeri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse símiliter participávit eísdem: ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum; & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquàm enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: undè débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis qui tentantur, auxiliári.

℟. Qui gloriátur, *p.* 349.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Athanásii Epíscopi.

Orat. 1. contra Arianos, Edit. Bened. §. 55.

Lectio iv.

SI persónam, *rem & tempus verbórum Apóstoli* cognovíssent hærétici, non ea quæ ad humánam pértinent natúram, transtulíssent in divinitátem, nec eò impietátis insáni deveníssent. Id autem is fácilè perspíciet, qui inítium hujus loci rectè intelléxerit. Hæc enim sunt Apóstoli verba: Multifáriàm multísque modis olim Deus locútus pátribus per Prophétas, hisce últimis diébus locútus est nobis in Fílio: deindè paulò pòst ait: Per seipsum, purgatióne peccatórum nostrórum factâ, sedet ad déxteram Majestátis in excelsis, tantò præstántior factus Angelis, quantò excelléntius præ illis nomen hæreditávit. Itaque Apóstoli dictum témporis méminit quo nobis Deus in Fílio locútus est, & peccatórum facta purgátio est.

℟. Si Spíritu vivímus, *pag.* 350.

Lectio v.

DEindè cùm sermo fit de dispensatióne quæ nostrî causâ suscepta est; de últimis tempóribus verba fáciens, conveniénter ádmonet, neque prióribus tempóribus Deum tacuísse: síquidem per Prophétas locútus est. Quóniam ígitur Prophétæ ministravére, & lex promulgáta per Angelos est, deindèque advénit Fílius ut ipse ministráret; ne

cessáriò hæc verba íntulit: Tantò præstántior factus Angelis; ut scílicet osténderet quantò servo major est Fílius, tantò étiam Fílii administratiónem servórum administratióne præstantiórem fuisse.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio vj.

VEterem ítaque & novam administratiónem distinguens Apóstolus, fidenter hæc ad Judæos scribit: Tantò præstántior factus Angelis. Quapropter nullâ hîc usus est comparatióne, nec dixit: Major, vel honorátior, ne quis illum ejusdem atque illos esse géneris suspicarétur; sed Præstántior dixit, ut natúræ Fílii & rerum creatárum differéntiam demonstráret.

℟. Díriget, *pag.* 350.

IN II. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comm. in Matth. l. 2. *c.* 13.

REgnum cœlórum prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet: ab áliis ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetipso & in corde suo. Quis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus; qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fídei, facit in agro sui péctoris pullulare?

℟. Locútus est Jesus in parábolis ad turbas, ut implerétur quod dictum est per prophétam; * Eructábo abscóndita à constitutióne mundi. ℣. Apériam in parábolis os meum; loquar propositiónes ab inítio. * Eructábo. *Matth.* 13. *Ps.* 77.

Lectio viij.

PRædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippè doctrínam fídei non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum, & scándalum Crucis prædicans. Confer hu-

jusmódi doctrínam dogmátibus philosophórum & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum; & vidébis quantò minor sit céteris semínibus semen itis Evangélii. Sed illa cùm créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonstrant; sed totum flaccidum marcidúmque, & mollítum ebullit in ólera, & in herbas quæ citò arescunt, & córruunt.

℟. Vobis datum est nosse mystéria regni cœlórum: * Vestri beáti óculi quia vident, & aures vestræ quia aúdiunt. ℣. Beátus qui in istis versátur bonis! qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper. * Vestri. Glória. * Vestri óculi. *Matth.* 13. *Eccli.* 50.

Lectio ix.

HÆc autem prædicátio quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credentis, vel in toto mundo sata fúerit, non exurgit in ólera, sed crescit in árborem: ita ut vólucres cœli, quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei servítio mancipátas, sentíre debémus, véniant & hábitent in ramis ejus.... Assumámus & nos pennas columbæ, ut, volitantes ad altióra, possímus *habitáre in ramis hujus árboris*, & nídulos nobis fácere doctrinárum, terrénaque fugientes ad cœléstia festináte.

Ad Bened. *Ant.* 7. *d.* Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut, semper rationabília meditantes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur & factis; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Synódo Ebroïcensi.

Ann. 1576. *apud L. Bochel.*

CEssáre oportet Christiánum sicut Judæum in die Festo, máximè à vítiis, & peccátis; quóniam servíre debet Deo, cui díspliceat omne peccatum & vítium: sed ultrà decet ipsum cessáre ab omni ópere seculári, corpóreo, servíli, atque áliis diébus lícito & consuéto: quóniam Festa à creatióne mundi fuérunt introducta, ut ánimus cùm córpore cessáret à século, & avocarétur à sollicitudínibus, & labóribus hujus mundi: occuparétur verò in Dei obséquio, recognoscendis ejus benefíciis, & grátiis referendis.

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Símile est regnum cœlórum fermento quod accéptum múlier abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 3.

UNdè, fratres sancti, vocatiónis cœlestis partícipes, consideráte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum: qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò amplióorem honórem habet domûs qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo: qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquàm fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant; Christus verò tanquàm fílius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei, usque ad finem, firmam retineámus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

VIdéte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedendi à Deo vivo; sed adhortámini vosmetipsos per síngulos dies, donec Hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis falláciâ peccáti. Partícipes enim Christi effecti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus, dum dícitur: Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodùm in illa exacerbatióne. Quidam enim audientes exacerbavérunt; sed non univérsi qui profecti sunt ex Ægypto per Móysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccavérunt, quorum cadávera prostráta sunt in deserto? Quibus autem jurávit non introíre in réquiem ipsíus, nisi illis qui incréduli fuérunt? Et vidémus, quia non potuérunt introíre propter incredulitátem.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 4.

FEstinémus ergo íngredi in illam réquiem, ut ne in idipsum quis íncidat incredulitátis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertingens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs,

compágum quoque ac medullárum, & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus: ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontíficem magnum qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei, teneámus confessiónem.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 135.

IN adolescéntibus Cléricis custodiendis, & spiritáliter erudiendis, talis à Prælátis cónstituendus est vitæ probábilis frater, qui eórum curam summâ gerat indústriâ, eósque ita arctíssimè constringat, quáliter Ecclesiásticis doctrínis imbúti, & armis spirituálibus indúti, & Ecclésiæ utilitátibus decenter parére, & ad gradus Ecclesiásticos quandóque dignè possint promovéri.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.

QUapropter intermitténtes inchoatiónis *Christi sermónem, ad perfectióra ferámur,* non rursùm jacientes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fídei ad Deum, baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum, ac resurrectiónis mortuórum, & judícii ætérni. Et hoc faciémus, síquidem permíserit Deus. Impossíbile est enim eos qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœléste, & partícipes facti sunt Spíritûs sancti, gustavérunt nihilóminùs bonum Dei verbum, virtutésque sǽculi ventúri, & prolapsi sunt; rursùs renovári ad pœniténtiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Fílium Dei, & osténtui habentes. Terra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo: próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est, & maledícto próxima; cujus consummátio in combustiónem.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij.

COnfídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra & vicinióra salúti, tametsi ita lóquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam

ostendistis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis & ministrátis. Cúpimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem: ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes. Abrahæ namque promittens Deus, quóniam néminem hábuit per quem juráret, majórem, jurávit per semetipsum, dicens: Nisi benedícens benedícam te, & multíplicans multiplicábo te: & sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij. Cap. 10.

HAbentes ítaque, fratres, fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, & viventem per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum super domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspersi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, *fidélis enim est qui repromísit:* & considerémus invicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum: non deserentes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibusdam; sed consolantes, & tantò magìs quantò vidéritis appropinquantem diem.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *tit. de Seminar.*

QUemádmodùm agrícola, nisi serat tempestívè, non potest métere; ita Ecclésia Dei ex Sacramentis fructus úberes per idóneos operários afferre nequit, nisi Semenária juventútis erudiendæ, & móribus informandæ causâ, fóveat.

FERIA QUARTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 10.

VOluntáriè peccántibus nobis post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia, terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur: quantò magìs putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum

dúxerit in quo sanctificátus est, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam: & íterùm: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horrendum est incídere in manus Dei viventis.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij.

REmemorámini autem prístinos dies, in quibus illumináti magnum certámen sustinuístis passiónum: & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti; in áltero autem sócii táliter conversántium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes vos habére meliórem & manentem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est, ut voluntátem Dei facientes reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet & non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit; quòd si subtráxerit se, non placébit ánimæ meæ. Nos autem non sumus subtractiónis fílii in perditiónem, sed fídei in acquisitiónem ánimæ.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij. Cap. 11.

EST autem fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium: in hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sécula verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília fierent. Fide plúrimam hóstiam Abel quàm Caïn, óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc lóquitur. Fide Enoch translátus est ne vidéret mortem, & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo: sine fide autem impossíbile est placére Deo; crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquiréntibus se remunerátor sit.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

C A N O N.

Ex Concílio Remensi. *Ann.* 1583. *tit. de Seminar.*

QUóniam vultus morum index esse solet, eligantur púeri bonâ índole prædíti, & aptâ membrórum compositióne consp

cui : nec sint notábili deformitáte signáti, qui spirent ab infántia pietátem, & ad sacros Ordines promovéri optent, quósque omnínò spes sit, Ecclesiásticis ministériis perpétuò inservitúros.

FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 11.

FIde Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; & justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus. Fide, qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem; & éxiit, néfciens quò iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tanquàm in aliéna, in cásulis habitando cum Isaac & Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem. Expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. Fide & ipsa Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis, accépit, étiam præter tempus ætátis: quóniam fidélem crédidit esse eum qui repromíserat. Propter quod & ab uno orti sunt, &, hoc emórtuo, tanquàm sídera cœli in multitúdinem, & sicut aréna quæ est ad oram maris, innumerábilis. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissiónibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregríni & hóspites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, signíficant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminissent de qua exiérunt, habébant útique tempus revertendi. Nunc autem meliórem áppetunt, id est, cœlestem: ídeò non confúnditur Deus vocári Deus eórum: parávit enim illis civitátem.

℟. Si Spíritu vívimus, *pag.* 350.

Lectio ij.

FIde óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur, & unigénitum offerébat qui suscéperat repromissiónes; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocábitur tibi semen: árbitrans quia & à mórtuis suscitáre potens est Deus; undè eum & in parábolam accépit. Fide & de futúris benedixit Isaac, Jacob & Esaü. Fide Jacob móriens síngulos filiórum Joseph benedixit, & adorávit fastígium virgæ ejus. Fide Joseph, móriens, de profectióne filiórum Israel memorátus est, & de óssibus suis mandávit.

℟. Cáritas pátiens est, *pag.* 350.

Lectio iij.

FIde Móyses natus occultátus est ménsibus tribus à paréntibus suis, eò quòd vidíssent elegantem infantem, & non timuérunt regis edíctum. Fide Móyses grandis factus negávit se esse fílium fíliæ Pharaónis, magìs éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum impropérium Christi; aspiciébat enim in remuneratiónem. Fide relíquit Ægyptum, non véritus animositátem regis; invisíbilem enim tanquàm videns sustínuit. Fide celebrávit Pascha, & sánguinis effusiónem; ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. Fide transiérunt mare rubrum tanquàm per áridam terram; quod experti Ægyptii devoráti sunt.

℟. Díriget Dóminus, *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Remensi.

Ann. 1583. *tit. de Seminar.*

SEminário præficiétur ab Epíscopo & viris seléctis, moderátor móribus íntegris, & eruditióne célebri: qui præceptóres cláfficos probos & doctos assúmet, ad erudiendam juventútem, propósitis stipéndiis honestis; eósque eísdem Epíscopo & seléctis sistet & ófferet, priusquàm admittantur.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 11.

FIde muri Jéricho corruérunt, circúitu diérum septem. Fide Rahab méretrix non périit cum incrédulis, excípiens exploratóres cum pace. Et quid adhuc dicam? defíciet enim me tempus enarrantem de Gédeon, Barac, Samson, Jephte, David, Sámuel & Prophétis: qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exteróirum; accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii verò ludíbria, & vérbera experti, ínsuper & víncula, & cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt

℟. V.

in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflícti; quibus dignus non erat mundus, in solitudínibus errantes, in móntibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 12.

IDeóque & nos tantam habentes impósitam nubem téstium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspicientes in auctórem fídei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gaúdio sustínuit crucem, confusióne contemptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Nondùm enim usque ad sánguinem restitistis, adversùs peccátum repugnantes; & obliti estis consolatiónis quæ vobis tanquàm filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus castígat: flagellat autem omnem fílium quem récipit.

℟. Tempus breve est, *pag.* 348.

Lectio iij.

IN disciplína perseveráte. Tanquàm fíliis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non córripit pater? Quòd si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes; ergo adúlteri, & non fílii estis. Deindè patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magìs obtemperábimus Patri spirítuum, & vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum, secundùm voluntátem suam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile est, in recipiendo sanctificatiónem ejus. Omnis autem disciplína, in præsenti quidem vidétur non esse gaúdii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ. Propter quod remissas manus, & solúta génua erígite, & gressus rectos fácite pédibus vestris; ut non claúdicans quis erret, magìs autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, & sanctimóniam,

ſine qua nemo vidébit Deum.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 349.

CANON.

Ex Concílio Rotomagenſi. *Ann.* 1581. *cap. de Schol. & Seminar. fundat. n.* 17.

QUóniam ſeminariórum fundátio eò tendit, ut Clérici ad pietátem, religiónem, Eccleſiáſticam diſciplínam, bonos mores, & lítteras erudiantur; ad eum finem ſunt ipſis præficiendi viri pii ac religióſi, graves & prudentes, quíque ſuo exemplo & cohortatiónibus tam privátis quàm públicis, omnes ſibi commiſſos ad ſtúdium illárum rerum accendant.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis: & hoſpitalitátem nolíte oblivíſci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio receptis. Mementóte vinctórum, tanquàm ſimul vincti; & laborántium, tanquàm & ipſi in córpore morantes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus: fornicatóres enim, & adúlteros judicábit Deus. Sint mores ſine *avarítia, contenti præséntibus; ipſe* enim dixit: Non te déſeram, neque derelinquam: ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte Præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Lectio ij.

JEſus Chriſtus heri, & hódie, ipſe & in sécula. Doctrínis váriis, & peregrinis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infertur ſanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus ígitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portantes: non enim habémus hîc manentem civitátem, ſed futúram inquírimus.

Lectio iij.

PEr ipſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, & communiónis n

líte oblivísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte Præpósitis vestris, & subjacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris reddi-túri, ut cum gaúdio hoc fáciant, & non gementes: hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis: confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus benè volentes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quò celériùs restítuar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mórtuis Pastórem magnum óvium, in sánguine testamenti ætemi, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in sécula secu-lórum.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

Ann. 1579. *part.* 3. *tit.* 1.

IN omni Províncíæ Seminário, ubi cómmodè potest, præter cétera quibus & ad pietátis exercitatiónem, & ad litterárum doctrínam adolescéntium ánimi erudiuntur, stúdia étiam sacrórum rituum, historiæque omnis Ecclesiásticæ certis statis diébus instituantur, quæ Clericális Ordinis homínibus máximè accommodáta sunt ad óptimam religiósæ disciplínæ ratiónem.



PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

In Festo

SANCTI LUPI, Episcopi.

Simplex.

[IN CATHEDR. *de S. Ægidio*, Duplex. *Omnia ut in Commun. SS. Abb. p. lj. except. quæ seq. In I. Noct. Lect. de Script. occurr. In II. Noct. Lect. iv.* * Ægidius. *infrà, p. 398. Lect. v. & vj.* Sermo S. Paulíni, &c. Bona. *p. liij.* Quámobrem, *p. liv. In III. Noct. Lect. ix. de S. Lupo, infrà, usque ad* ¶ Eódem. *Ad Laud. Comm. S. Lupi.*]

Extra Cathedr. *Omnia de Commun. SS. Pontific. pag.* xxv. *exceptis quæ sequuntur. Oratio*, Ostende. *infrà. Commem. S. Ægidii, Abbatis. Ant.* Egrédere. ℣. Potens. *pag.* lij. *Oratio* Sancti Abbatis. *infrà.*

AD NOCT. *Lectiones duæ priores de Scriptur. occurr. tribus redactis in duas (è duabus posterioribus fit ij.) & sic in omnibus Simplicib. nisi aliter notetur.*

Lectio iij.

LUpus in território Aurelianensi natus est ex nobilíssimis paréntibus; ab avúnculis suis Austréno Aurelianensi, & Aunachário Autissiodorensi Epíscopis, adhuc puer in Clerum cooptátus est. Crescéntibus cum ætáte, sciéntiâ, pietáte ac méritis, Artémio in Cáthedra Senonensi suffectus est. Quo in múnere admirandis cùm pietátis, tùm sollicitúdinis pastorális opéribus eluxit. Váriis calúmniis proscissus in aula Theodoríci Burgundiónum Regis, contra detrahentes hæc reponébat: Nihil aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia. Post Theodoríci mortem, à Clotário secundo in quemdam Vinemacensis agri vicum, Andegásinam nómine, ad Brisélam amnem, relegátus, pagános quàm plúrimos ad veri Dei cultum adduxit. Rex eum, cognitâ innocéntiâ, ab exílio revocávit, & ad ejus pede

advolútus véniam deprecátus est. In prædio Briennonensi suæ Diœcésis, quod ipsi pro património contígerat, óbiit Lupus vitæ sanctitáte ac miráculis clarus, anno círciter sexcentésimo vicésimo tértio. Sepultus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio véteris Basílicæ sanctæ Columbæ Vírginis & Mártyris, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus. ¶ Eódem die cólitur* Ægídius, Athénis natus; adolescens pátriam propter Christum relíquit; & Massíliam appulsus, Arelátem ad beátum Cæsárium se cóntulit. Per biénnium ejus magistério erudítus, cùm vitæ solitáriæ desidério æstuáret, erémum primùm ad ripam Wardónis amnis in agro Ucetiensi cum sancto Veredémio pétiit: mox, cum illîc quoque frequentióri hóminum concursu gravarétur, ad oram Rhódani reversus, qualem optábat locum in valle Flaviána réperit. Ibi diútiùs solis ferè herbárum radícibus víctitans, demùm per magnátes quosdam de Família Regis, qui tunc Gothórum tenébat monárchiam detectus est, & omni detrectáto múnere, vix eò adductus est ut in loco speluncæ Monastérium extrui paterétur. Hujus Abbas, jubente rege factus est, ibíque obdormivit in Dómino, die Domínicâ, anno quingentésimo quadragésimo séptimo. Corpus ejus, grassante Albigénsium furóre, Tolósam, ad Basílicam sancti Saturníni, delátum est.

Oratio.

Ostende nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam, intercedente beáto Lupo Pontífice; &, quæcumque præcipis ut agámus, ipse ádjuva ut implére possímus; Per

Pro Commemor. S. Ægidii, Ant. Ecce ego. *p.* lviij. ℣. Veníte. *pag.* lvij.

Oratio.

Sancti Abbátis Ægídii supplicatiónibus, tríbue nos, Deus, adjuvári; ut quæ piè crédidit, appetámus; & quod juste sperávit, consequámur; Per

Vespera de sequenti.

[In Cath. *VESPER. à Capitulo de sequenti. Commem. S. Ægidii*].

DIE II.

In Festo

SS. LAZARI,

à Christo suscitati, ac Mariæ & Marthæ sororum, Christi hospitum.

Duplex.

Psalmi de Feria.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 7. *toni* G.

Transíbat Eliséus per Sunam; erat autem

ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem. *IV. Reg.* 4.

Ant. 1. D. Dixit: Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter. *IV. Reg.* 4.

Ant. 6. F. Faciámus ei cœnáculum parvum, ut, cùm vénerit ad nos, máneat ibi. *IV. Reg.* 4.

Ant. 8. g. Véniens divertit in cœnáculum, & requiévit ibi. *IV. Reg.* 4.

Ant. 5. a. Ecce sédulè in ómnibus ministrasti nobis; quid vis ut fáciam tibi? *IV. Reg.* 4.

Capitulum. Hebr. 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis: & hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio recepti.

Hymnus.

FLAGRANS amóre, pérditos,
Dum nos Redemptor quæreret,
Defessus ad Martham Deus
Sese recépit hóspitam.

BEATA quæ tantum suis
Amíca tectis hóspitem
Fovére gaudet, ac Deo
Inferre convívæ dapes!

DUM Martha pascit, páscitur
María felix, ac sedens
Magnóque tuta Júdice,
Partem potítur óptimam.

NUNC, Martha, nunc sedens, Deo
Et ipsa Verbo pásceris;
Et juge se tuus tibi
Convíva dat convívium.

DA, Christe, Sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa; posthàc óptimâ
Ut parte possímus frui.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum: ℟. Ambulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat. *Ps.* 100.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Diligébat Jesus Martham & sorórem ejus Maríam, & Lázarum. *Joann.* 11.

Oratio, Deus, qui, *ut infrà ad Laudes.*

[*Ubi fit Annuale, propter Festum Patr. Antiphonæ ad Complet. & ad* Nunc dimittis, *ut in Commun. Justorum. pag.* lxj. *Et sic in Die*].

AD MATUTINUM.

Invit. Deùm cum homínibus conversantem: * Veníte, adorémus. *Baruch.* 3.

Ps. Veníte. *pag.* 2.

Hymnus, Flagrans, *in I. Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ, & Marthæ sorór is ejus *Joann.* 11.

℣. Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: ℟. Universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus. *Ps.* 40.

Lectiones de Script. occurr.

℟. Aúdiens Jesus quia Lázarus infirmabátur, dixit: * Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei: ut glorificétur Fílius Dei per eam. ℣. Tentat vos Dóminus Deus vester, ut palàm fiat utrùm diligátis eum, an non, in toto corde & in tota ánima vestra. * Infirmitas. *Joann.* 11. *Deut.* 13.

℟. Dixit Jesus discípulis suis: Lázarus amícus noster dormit; sed * Vado ut à somno éxcitem eum: díxerat autem de morte ejus. ℣. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? * Vado. *Joann.* 11. *Ps.* 40.

℟. Dixit Jesus manifestè: * Lázarus mórtuus est; & gaúdeo, ut credátis, quóniam non eram ibi: sed † Eámus ad eum. ℣. Sciétis quia ego Dóminus, cùm aperúero sepulcra. * Lázarus. Glória. † Eámus ad eum. *Joann.* 11. *Ezech.* 37.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Venit Jesus, & invénit Lázarum quátuor dies jam in monumento habentem. *Joann.* 11.

℣. Defecérunt óculi mei, Dómine, ℟. Dicentes: Quando consolàberis me? *Ps.* 118.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Lectio iv.

Serm. 3. in Assumptione, num. 1. 2. & 4.

Martha in domum suam éxcipit Salvatórem in terris: María pótiùs cógitat quemádmodùm suscipiátur ab eo in domo non manufacta, ætérnâ in cœlis. María tacet, & pro ea lóquitur Christus. Optimam, inquit, partem elégit sibi María, quæ non auferétur ab ea in ætérnum: hoc Unum illud quod necessárium est; hæc Una quam Prophéta tam sédulò requirébat: Unam, inquit, pétii à Dómino, hanc requíram. Sed considerémus, fratres, quemádmodùm tria hæc distribúerit ordinátio caritátis, Marthæ administratiónem, Maríæ contemplatiónem, Lázari pœniténtiam. Habet hæc simul quæcumque perfecta est ánima: magìs tamen videntur ad síngulos síngula pertinére, ut álii vacent sanctæ contemplatióni, álii déditi sint fraternæ administratióni, álii in amaritúdine ánimæ suæ recógitent annos suos, tanquàm vulneráti dor-

ſientes in ſepulcris. Sic planè: ſic opus eſt, ut María piè & ſublímiter séntiat de Deo ſuo, Martha benignè & miſericórditer de próximo, Lázarus míſerè & humíliter de ſeipſo.

℟. Dixit Martha ad Jeſum: Dómine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mórtuus: ſed & nunc * Scio quia quæcumque popóſceris à Deo, dabit tibi Deus. ℣. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: áuribus pércipe lácrymas meas.* Scio. *Joann.* 11. *Pſ.* 38.

Lectio v. n. 4. 5. & 7.

QUibus nulla crédita eſt diſpensátio, adminiſtrátio nulla commiſſa; his omnínò ſedendum erit, aut ſecùs pedes Jeſu cum María, aut certè cum Lázaro intra ſepta ſepulcri. Quidni erga multa turbétur Martha, quæ ſollícita eſt pro multis? tibi verò cui necéſſitas hæc non incumbit, è duóbus unum eſt neceſsárium; aut non turbári pénitùs, ſed delectári magis in Dómino; aut, ſi id necdùm potes, turbári non erga plúrima, ſed ut de ſe Prophéta lóquitur, ad teipſum. Sed & ipſam quoque Martham admónitam eſſe neceſſe eſt; id máximè quæri inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. Erit autem fidélis, ſi, neque quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti, ut ſit inténtio pura; nec ſuam fáciat, ſed Dómini voluntátem, ut ſit áctio ordináta.

℟. Dixit Jeſus Marthæ: Reſurget frater tuus. Dicit ei Martha: * Scio quia reſurget in reſurrectióne in noviſſimo die. ℣. Repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. * Scio. *Joann.* 11. *Job.* 19.

Lectio vj.

VIdeat María quemádmodùm vacet, & vídeat quóniam ſuávis eſt Dóminus. Vídeat, inquam, quàm devótâ mente, quàm tranquillo sédeat ánimo ſecus pedes Jeſu, próvidens eum ſemper in conſpectu ſuo, & verba ex ore ejus excípiens, cujus & aſpectus delectábilis, & elóquium dulce. Gaude, & grátias age, María, quæ partem óptimam elegiſti. Beáti enim óculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audíre quod audis. Beáta planè, quæ venas ſuſurri divíni pércipis in ſiléntio, in quo útique bonum eſt hómini Dóminum expectáre.

℟. Dixit Marthæ Jeſus: Ego ſum reſurréctio & vita: qui credit in me, etiamſi

mórtuus fúerit, vivet; * Et † Omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in ætérnum. ℣. Apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepúlcris vestris. *Et. Glória. † Omnis. *Joann.* 11. *Ezech.* 37.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Abiit Martha, & vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens: Magister adest, & vocat te. *Joann.* 11.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ pósuit prodígia super terram. *Ps.* 45.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ, & Marthæ sorória ejus. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 62. *in Joann. n.* 1.

MUlti cùm vident hómines Deo diléctos in ærumnam quámpiam, ut morbum, paupertátem, aut quid símile incidisse, perturbantur, néscii amícis Dei id máximè compétere. Jesus amábat, inquit Evangelista, Martham, & sorórem ejus, & Lázarum: & tamen Lázarum mori permisit: ne unquàm indignémur, vel ægrè ferámus, si viri virtúte præditi, & Dei amíci, in morbum íncidant. Ecce quem amas, ínquiunt, infirmátur: in commiseratiónem Christum pertráhere volébant: adhuc enim hóminem esse putábant: neque dixérunt: Ecce Lázarus infirmátur; sed, Ecce quem amas, infirmátur. Quid ergo Christus? Hæc infírmitas non est ad mortem; sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Vide quómodò rursùm eamdem dicat glóriam suam, & Patris; cùm enim dixisset Dei, súbdidit: Ut glorificétur Fílius Dei; hæc infirmitas non est ad mortem. Cùm enim illîc bíduò mansúrus esset, remittit eos ut hæc núntient. Quâ in re mirandum est, quòd soróres, cùm audissent morbum hunc non esse ad mortem, & pósteà fratrem mori vidíssent, offensæ non fúerint, rem contrà cessisse cernentes. Verùm accessérunt, nec putârunt illum esse mentítum.

℟. María, cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, & dicit ei: * Dómine, si fuisses hîc, non esset mórtuus frater meus. ℣. Tu es, Dómine, qui vitæ & mortis

habes potestátem. * Dómine. *Joann* 11. *Sap.* 16.

Lectio viij. n. 2. & 3.

Multi ex Judæis ádverant, qui consolarentur Maríam & Martham. Hæc dicit Evangelista, ut Lázari mortem confirmet. Cur porrò Martha Christo óbviàm venit sine soróre cómite? Vult seorsìm illum audíre, & rem nuntiáre. Postquàm autem Christus spem bonam indíderat, tunc abit, & Maríam vocat; & hæc occurrit illi, luctu adhuc vigente. Vidéte quanta sit mulíerum philosóphia, etiamsi imbecillâ mente essent. Viso namque Christo, non statìm in luctum, in planctum, in gémitum erumpunt, ut nos solémus, quandò notos quóspiam ad luctum venientes conspícimus. Sed statìm illæ Magistrum mirantur. Credébant útique ambæ in Christum; sed non ut par erat: nondùm enim perfectè sciébant, nec Deum esse, neque suâ potestáte & auctoritáte hæc fácere: quod utrumque ipsas edócuit. Venit ergo ad monumentum, & ait: Tóllite lápidem. Cur non absens vocávit, & súrgere jussit? imò cur non, adhuc *superpósito lápide, suscitávit?* Nam *qui póterat, & corpus* mórtuum voce movére, & animárum ostèndere, multò magìs voce lápidem removisset. Cur non fecit? Ut Judæos miráculi testes fáceret; ne illud idem dícerent quod de cæco: Hic est: Non est hic.

℟. Jesus ut vidit Maríam plorantem, & Judæos qui vénerant cum ea, plorantes, infrémuit spíritu, & turbávit seipsum, & dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: * Dómine, veni & vide. ℣. Homo, cùm mórtuus fúerit, & nudátus atque consumptus, ubi quæso est? * Dómine. Glória Patri. * Dómine. *Joann.* 11. *Job.* 14.

Lectio ix.

Ipsímet Judæi, eò quòd ad sepulcrum venissent, testimónio erant eum quem indè exeuntem vidébant, ipsíssimum esse Lázarum. Quare si eò non venissent, putatúri erant aut phantasma esse, aut álium, & non illum esse quem vidébant. Nunc autem, cùm ad sepulcrum vénerint, lápidem remóverint, jussíque ligátum à vínculis sólverint, & amíci qui ad sepulcrum deportáverant, ex pannis illum agnóverint, quòd soróres non abscésserint, quòd áltera díxerit, Jam fœtet; quatriduánus enim est: jam hæc omni

abundè póterant ímprobos ipsíus miráculi testes cohibére. Ideò præcépit illis ut lápidem à sepulcro amovérent, ostendens seipsum suscitáre: ídeò étiam intérrogat: Ubi posuistis eum? ut qui díxerant, Veni & vide; & qui intúlerant illum, dícere non possint álium fuisse suscitátum: ut & vox, & manus testificarentur; vox, dicendo: Veni & vide; manus, lápidem tollendo, & fáscias solvendo: visus quoque, & audítus; hic vocem audiendo, ille exeuntem videndo: olfactus quoque testis, qui odórem excépit; Jam fœtet, inquit: quatriduánus enim est. Res enim stupenda erat, quatriduánum & corruptum cadáver suscitáre.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona 3. toni, a.

JEsus venit ad monumentum, & ait: Tóllite lápidem. Elevátis autem sursùm óculis, dixit: Pater, grátias ago tibi, quóniam audisti me. *Joann.* 11.

Ant. 5. a. Voce magnâ clamávit: Lázare, veni foràs: & statìm pródiit qui fúerat mórtuus. *Joann.* 11.

Ant. 4. D. Jesus venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit: & fecérunt ei cœnam ibi. *Joann.* 12.

Ant. 8. g. Martha.

Canticum. Sap. 8.

INtrans in domum meam, * conquiescam cum Sapiéntia.

Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus: * nec tædium convictus illíus:

Sed lætítiam, & gaúdium; * quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ.

Et in amicítia illíus delectátio bona: * & in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne.

Et in certámine loquélæ illíus sapiéntia, * & præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus.

Ant. Martha ministrábat; Lázarus verò unus erat ex discumbéntibus cum eo. *Joann.* 12.

Ant. 6. C. María accépit libram unguenti nardi pístici, pretiósi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impléta est ex odóre unguenti. *Joann.* 12.

Capitulum. Cant. 1.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum.

Hymnus.

QUi cuncta pascit próvidus,
Humána cùm factus caro

Terris videndum se dedit;
Hunc Martha pascit sédula.

Felix domus quæ pérfrui
Tanto merétur hóspite!
Felix, abundè cui sua
Rependit hospes múnera!

O singularis grátia!
Quarto sepultus jam die
Soróris ad vitam prece
Frater redíre jussus est.

Da, Christe, Sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa; posthàc óptimâ
Ut parte possímus frui.
Amen.

℣. Dilígite Dóminum omnes sancti ejus, ℟. Quóniam veritátem requíret Dóminus. *Ps.* 30.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Jesus dixit: María bonum opus operáta est in me: prævénit úngere corpus meum in sepultúram. Amen dico vobis: Ubicumque prædicátum fúerit Evangélium istud, in universo mundo, & quod fecit hæc, narrábitur in memóriam ejus. *Marc.* 14.

Oratio.

Deus, qui in terris conversátus, in domo Lázari, Marthæ & Maríæ hospitári dignátus es; præsta, quæsumus, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, *te in tuis cum Martha páscere, & à te* cum María verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Jesus venit.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Voce magnâ.

Capitulum. I. Cor. 15.

Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus?

℟. *br.* Conversus * Vivificasti me: ℣. Et de abyssis terræ íterùm reduxisti me: * Vivificasti me. Glória. ℟. Conversus. *Ps.* 70.

℣. Exaltas me de portis mortis, ℟. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas. *Ps.* 9.

AD SEXTAM.

Ant. 4. D. Jesus venit.

Capitulum. Apoc. 3.

Ecce sto ad óstium, & pulso: si quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipse mecum.

℟. *br.* Non privábit bonis eos qui ámbulant * In innocéntia. ℣. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. * In innocéntia. Glória Patri. ℟. Non privábit. *Ps.* 83.

℣. Dóminus amat judícium; ℟. Non derelínquet sanctos suos. *Ps.* 36.

AD NONAM.

Ant. 6. *C.* María accépit.

Capitulum. Cant. 1.

OLeum effúsum nomen tuum: ideò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

℟. *br.* Exultent * Fíliæ Judæ. ℣. Propter judícia tua, Dómine. * Fíliæ Judæ. Glória. ℟. Exultent. *Ps.* 47.

℣. Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, ℟. Ex quibus delectavérunt te fíliæ regum. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Antiphona 6. toni, F.

INtrávit Jesus in quoddam castellum; & múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. *Luc.* 10.

Ant. 8. g. María sedens secùs pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. *Luc.* 10.

Ant. 3. *a.* Stetit Martha, & ait: Dómine, non est tibi curæ quòd soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi ut me ádjuvet. *Luc.* 10.

Ant. 5. a. Dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, & turbáris erga plúrima: porrò unum est necessárium. *Luc.* 10.

Ant. 1. D. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. *Luc.* 10.

A CAPIT. *de sequenti: Commemorat. SS. Lazari, Marthæ & Mariæ, &c. ut infrà.*

[*Si Festum SS. Lazari, Marthæ & Mariæ, transferatur, tunc habet II. Vesp. integras, quæ continuantur ut sequitur.*

Capitulum. Prov. 8.

DElíciæ meæ, esse cum fíliis hóminum; nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti, qui custódiunt vias meas.

Hymnus, Qui cuncta, *suprà, pag.* 404.

℣. Non discédimus à te, Dómine; ℟. Vivificábis nos. *Ps.* 79.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Veníte, benedícti Patris mei: possidéte parátum vobis regnum; esurívi enim, & dedistis mihi manducáre: sitívi, & dedistis mihi bíbere: hospes eram, & collegistis me. *Matth.* 25. *Oratio suprà ad Laudes*].

DIE III.

In Festo

S. GREGORII,

Papæ, & Ecclesiæ Doct.

Duplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, xxxiv. *exceptis quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. F. Vir éloquens erat, edóctus viam Dómini, & fervens spíritu loquebátur. *Act.* 18.

℣. In lege Dómini voluntas ejus; ℟. Et in lege ejus meditábitur. *Ps.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Ipse tanquàm imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ. *Eccli.* 39.

℣. Déxteram tuam, Dómine, sic notam fac, ℟. Et erudítos corde in sapiéntia. *Ps.* 89.

Lectio iv.

Gregórius Magnus, Románus, Gordiáni ex senatório génere, & sanctæ Sílviæ fílius, urbánâ præfectúrâ functus, patre mórtuo, ex própriis facultátibus sex in Sicília monastéria, séptimum Romæ sub sancti Andréæ nómine, in suis ædibus ad clivum Scauri extruxit; ubi, sub Valentióne Abbáte, mónachi vitam proféssus, póstea Abbas fuit. Evocátus indè à Pelágio secundo, Diáconus ordinátur: nec multò pòst Constantinópolim míttitur, Sedis Apostólicæ respónsa factúrus: ubi ne aulæ consuetúdine, & curis seculáribus píetas refrigésceret, Scripturárum meditatióni, & conscribendis Morálium libris ánimum adhíbui. Eâ in urbe Eutychium Patriarcham, qui contra veram & contrectábilem córporum resurrectiónem scrípserat, ita convícit, ut & Imperátor Eutychii librum in ignem conjécerit, & ipse pauló pòst Eutychius, cùm in morbum incidisset, instante morte, pellem manûs suæ contrectans, multis astántibus díxerit: Confíteor, quia omnes in hac carne resurgémus.

Lectio v.

Gregórius Romam revérsus, Pelágio pestiléntiâ sublàto, ómnium votis Póntifex elígitur anno Christi quingentésimo nonagésimo; totísque licèt víribus renítens, consecrátur hâc die tértiâ Septembris. Joanni Ravennensi, fugâ suâ & nímiâ, ut aiébat, resisténtiâ offenso inscripsit librum illum admirábilem de Cura Pastoráli, imitátus Gregórium Nazianzénum in oratióne fugæ suæ apologéticâ, & Joannem Chrysóstomum in libris de Sacerdótio. In Epístola synódica, quam pro more tunc scripsit ad Patriarchas, proféssus est se, sicut sancta quátuor Evangélia, sic suscípere quátuor Concília, Nicænum nempe, Constantinopolitánum, Ephe-

sínum, & Chalcedonense; quintum quoque páriter venerári: quas illa Concília persónas réspuunt, se respúere; quas venerantur, se amplecti. Vétuit ne ullus in Sicília Subdiáconus fíeret, nisi qui continéntiam servatúrum se pollicerétur. Joanni Patriarchæ Constantinopolitáno fórtiter óbstitit, qui sibi universális Epíscopi nomen arrogábat. Quâ de re ad Constantínam Augustam ita scripsit: Etsi peccáta Gregórii tanta sunt, ut pati tália débeat; Petri tamen peccáta nulla sunt, ut vestris tempóribus pati ista mereátur. Imò, ut refert Joannes Diáconus, se primus in princípio Epistolárum suárum Servum servórum Dei humíliter definívit: quod humilitátis documentum, ait hæreditário jure in Ecclésia Románа fuisse cónservátum. Cum Imperatóre Maurítio gráviter expostulávit de lege quam túlerat, ne mílites in monastériis reciperentur; cùm pleríque sint, inquit, qui, nisi ómnia relíquerint, salvári nullátenùs possunt.

Lectio vj.

DIvíni Offícii órdinem, cantúsque ecclesiástici méthodum melióri formæ restítuit. Scripsit ad Theodoricum & Theodebertum reges, ut Synódum in Gálliis congregárent, in qua constituerétur ne quis pro Ecclesiástico órdine quidquam unquam daret, aut accíperet; nec quisquam de láicis ad Sacerdótium continuò transíret; prohiberéntque ne Judæi christiána mancípia possidérent. Scripsit ad Eulógium Alexandrínum contra Agnoítas. Recarédo Gothórum in Hispánia regi, Góthicæ gentis ab Ariána hæresi conversiónem gratulátus est. Donatistas repressit in Africa: Manichæos, in possessiónibus suis in Sicília degentes, ab erróre revocávit. Cénsuit ut Judæi prædicatióne pótiùs quàm vi ac necessitáte ad baptismum compellerentur. Anglórum gentem, missis in Británniam viris Apostólicis, Augustino & áliis mónachis, ad fidem adduxit: undè Anglórum Apóstolus à Venerábili Beda vocátus est. Admirabília sunt quæ fecit, scripsit, decrévit, præsertìm infirmâ semper valetúdine. Non quærébat verbis prosperári, sed móribus: nec honórem esse deputábat, in quo fratres suos honórem suum pérdere cognoscébat. Meus namque, inquiébat, honor, est ho-

nor

nor universális Ecclésiæ: meus honor est fratrum meórum sólidus vigor. Dénique, multis éditis mirá-culis, Pontificátûs anno décimo tértio, mense sexto, ad cœlestem beatitúdinem evocátus est anno sexcentésimo quarto, ferè sexagenárius.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Stare fecit cantóres contra altáre, & in sono eórum dulces fecit modos. *Eccli.* 47.

℣. Jubiláte Deo, omnis terra: ℟. Cantáte & exultáte & psállite. *Ps.* 97.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. *in Evang. n.* 16.

VOs estis sal terræ. Si cibus Dei est pópulus, condiméntum cibi sacerdótes esse debuérunt. Pensémus ergo qui unquàm per linguam nostram convérsi, qui de pervérso suo ópere nostrâ increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex nostra eruditióne desé-ruit? quis avarítiam? quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui, accepto talento, ab eo ad negótium missi sumus: étenim dicit: Negotiámini, dum vénio. Ecce jam venit, ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus?

Lectio viij. n. 17.

POnámus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, & ratiónem cum servis suis quibus talenta crédidit, ponet. In illo tanto exámine, electórum ómnium, & reprobórum multitúdo deducétur; & unusquisque quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæa convérsa, quam post se traxit, apparébit: ibi Paulus convérsum, ut ita díxerim, mundum ducet: ibi Andréas post se Achaíam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspéctu sui Regis convérsam ducet. Ibi omnes Domínici gregis aríetes, cum animárum lucris apparébunt, qui sanctis suis prædicatiónibus, Deo post se súbditum gregem trahent. Cùm ígitur tot pastóres cum grégibus suis ante ætérni Pastóris óculos ve-

nerint, nos míseri, quid dictúri sumus, qui ad Dóminum nostrum post negótium vácui redímus, qui pastórum nomen habúimus, & oves quas ex nutrimento nostro debeámus ostēndere, non habémus? Hîc pastóres vocáti sumus, & ibi gregem non dúcimus.

Lectio ix.

ET per nos quidem fidéles ad sanctum baptísma véniunt, nostris précibus benedicuntur, & per impositiónem nostrárum mánuum à Deo Spíritum sanctum percípiunt, atque ipsi ad regnum cœlórum pertingunt: & ecce nos per negligéntiam nostram deorsùm téndimus. Ingrediuntur elécti, sacerdótum mánibus expiáti, cœléstem pátriam; & sacerdótes ipsi per vitam réprobam ad inferni supplícia festínant. Cui ergo rei, cui símiles díxerim sacerdótes malos? nisi aquæ baptísmatis, quæ peccáta baptizatórum díluens, illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa pósteà in clóacas descendit? Timeámus hæc, fratres: convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum.

Oratio.

DEus, qui beátum Gregórium Ecclésiæ tuæ providísti Pontíficem & Doctórem; quæsumus, ut ejus nos semper & exemplis erúdias, & documentis informes; Qui vivis.

Ad Vesper. *Commem. S. Marcelli, Martyr. Ant.* Qui vícerit. ℣. Justus. *p.* ix. *Orat.* Deus, qui nos. *infrà.*

Deindè S. Genebaldi Ep. Ant. Ipsum. ℣. Elégit. *in Communi, pag.* xxvj. *Orat.* Concéde, *infrà.*

DIE IV.
In Festo
S. MARCELLI,
Cabillonensis Martyris.

Simplex.

Lectio iij.

MArcellus, in persecutióne Antoníni Veri, unus ex quinquaginta Martyribus qui in ergástulis Lugdúni sub arcta custódia detinebantur, patefacto divínitùs cárcere, unà cum Valeriáno aufúgit. Cúmque Latínum quemdam à quo Cabillóne hospítio suscéptus fúerat, cum omni domo convertisset ad Christum, Argentomagensis ággeris vicum pétiit. Ibi fortè in Priscum Præsidem diis suis immolantem incúrrens; ab eóque ad profánum convívium invitátus, non abnuit modò, sed étiam convívas ácriter reprehendit. Quamobrem irátus vehe-

menter Præses, inaudíto supplícii génere, vivum in terram ad renes usque défodi jussit, sícque rectum stare. In hunc modum, secundo ab urbe milliário, tértio die, in Dei láudibus persevérans réddidit spíritum. Guntchramnus Rex super ejus túmulum Basílicam cum Monastério extruxit. ¶ In eamdem diem íncidit festívitas sancti Genebaldi, quem sanctus ipse Remígius primum Ecclésiæ Laudunensi præfécit Antístitem, quíque Laudúni, morte plácidâ, suis dilectus óbiit.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Marcelli Mártyris tui natalítia gloriósa celebráre concédis: tríbue, quæsumus, ejus nos semper & beneficiis præveníri, & oratiónibus adjuvári; Per Dóminum.

Pro Commem. S. Genebaldi, Episc. Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas, *pag.* xxxij.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam sancti Genebaldi Pontíficis exempla nos próvocent; quátenùs cujus memóriam ágimus, étiam corónis accendámur; *Per Dóminum nostrum.*

DIE V.

In Festo

SANCTI BERTINI, Abbatis Sithiensis.

Simplex.

Omnia de Communi Abbatum, pag. lj. *Oratio,* Intercéssio, *pag.* lviij.

Lectio iij.

BErtínus, Constántiæ ad Rhenum natus, cùm esset adhuc puer, relictis paréntibus, in monastério Luxoviensi sub beáto Eustáfio monásticam vitam amplexus est. Indè, post áliquot annos, unà cum sanctis Mummoléno & Ebertramno populáribus suis Teruannam missus est, Audomárum illîc Epíscopum adjuvandi grátiâ. Post Mummolénum præfuit Sithiensi monastério quod extrúxerat Audomárus, ut ipse & sócii habérent, ubi se post evangélicas excursiónes recíperent ac reficerent. Ibi mórtuus est Bertínus bonis opéribus plenus, nonis Septembris, pauló ante mortem Childeberti tértii.

DIE VII.

In Festo

S. ADRIANI, MARTYR.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *Oratio,* Præsta, p. xv.

Lectio iij.

CUm Christiani tres & viginti ad Maximiá-

num Galérium Nicomedíæ adducti essent, variaque tormenta constantíssimè tolerassent, Adriánus qui apud eumdem Maximiánum milítiæ gradum honestum obtinébat, horum in fídei confessióne, & tormentórum perpessióne constántiam demirátus, sciscitátus ab iis est, quænam esset eórum spes quamóbrem tam immánia sustinérent, quæ, si vellent, possent tam fácilè evitáre. A quibus cùm audisset ipsos solâ æternæ felicitátis spe duci, statìm, Deo movente, Christiánum se esse professus est; fidémque coram Imperatóre confessus in víncula conjectus est. Quò cùm ad eum ventitáret Natália uxor, fémina fortíssima, quæ & ipsa in Christum jam antè credébat, admirábili eum martyrii desidério inflammávit. Itaque è vínculis eductus, támdiù flagellis cæsus est, donec intestína difflúerent. Postrémò fractis crúribus, mánibus, pedibúsque præcísis, præcláro cum áliis tribus & viginti functus martyrio migrávit ad Christum. Celebérrimus est sancti Mártyris cultus, tum apud Græcos, tum apud Latínos, idémque longè antiquíssimus.

Vesperæ de sequenti.

DIE VIII.

IN NATIVITATE B. M. VIRGINIS.

DUPLEX II. CLASSIS.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona 7. toni d.

ORiétur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel. *Num.* 24.

Ant. 1. G. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet. *Isaï.* 11.

Ant. 3. a. Dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium. Isaï. 7.

Ant. 8. g. Partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus convertentur ad fílios Israel. *Mich.* 5.

Ant. 5. a. Glória Líbani data est ei, decor Carméli & Saron: Deus ipse véniet. *Is.* 35.

Capitulum. Rom. 15.

ISaías ait: Erit radix Jesse, & qui exurget régere gentes; in eum gentes sperábunt.

℟. Benedícam ei, & * Ex illa dabo fílium cui benedictúrus sum: constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Páriet María Fílium; ipse salvum fáciet pópulum suum. * Ex illa dabo. Glória. * Ex illa. *Gen.* 17. *Matth.* 1.

Hymnus.

O Virgo, quanta núntias
Mundo gementi gáudia!
Dum te creantis Fílii
Mater futúra náսceris.

Infans supernæ prævio
Dono coruscas grátiæ;
Et quot decet refúlgeas,
Tot es repléta dótibus.

Venturus in te Spíritus
Sedem sibi te cónsecrat,
Et dignitátis ínserit
Mox nuntiandæ gérmina.

Virtus potens Altíssimi
Suo fovet te númine,
Quo roboráta vérticem
Anguis dolósi cónteris.

Clemens ab ortu, déxterâ
Nos liberáli prótege,
Et nascitúro péctora
Fac consecrémus Fílio.

Sit Trinitáti glória,
Verbo Dei quæ débitam
Matrem replens virtútibus
Orbis salúti cónsulit.
Amen.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem: ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131.

[*Duplicatur Antiphona ad* Magníficat, *in utrisque Vesperis*, & *ad* Benedictus *in Laudibus: & sic in omni Annuali, & in Duplicib. I. & II. Classis*].

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Magnificábo nomen tuum: benedícam benedicéntibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ: allelúia. *Gen.* 12.

Oratio, Deus, qui, *infrà*, *pag.* 419.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Hymnus, Virgo, Dei génitrix, *pag.* xciv.

[*Ubi sit Annuale, propter festum Patr. Ant.* 6. F. Tu, Dómine, susceptor meus es, glória mea, & exaltans caput meum. *Ps.* 3.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 1. A. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. Thren. 3. *Et sic in Die*].

AD MATUTINUM.

Invit. Deum, cui præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. *I. Paral.* 29.

Psalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymn. O Virgo, *suprà in I. Vesperis.*

Ps. de Offic. parvo, p. cj.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non combureréttur. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Cùm virgas posuiffet Móyfes coram Dómino, invénit germinaffe virgam Aaron. *Num.* 17.

Ant. 5. a. Abfciffus eft lapis de monte fine mánibus: lapis autem factus eft mons magnus; & implévit univerfam terram. *Dan.* 2.

℣. Mons in quo beneplácitum eft Deo habitáre in eo; ℟. Etenim Dóminus habitábit in finem. *Pf.* 67.

Lectiones de Script. occurr.

℟. Noli timére; quia redémi te, & vocávi te nómine tuo. * Ego Dóminus Deus tuus, Sanctus Ifrael, Salvátor tuus. ℣. Dóminus tecum: ne tímeas; invenifti enim grátiam apud Deum. * Ego Dóminus. *If.* 43. *Luc.* 1.

℟. Hæc dicit Dóminus, *fáciens & formans te ab útero:* * Effundam Spíritum meum fuper femen tuum, & benedictiónem meam fuper ftirpem tuam. ℣. Quod nafcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Effundam Spíritum. *If.* 44. *Luc.* 1.

℟. Benedícam tibi, complens juramentum quod fpopondi Abraham patri tuo: * Et † Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. * Et Glória. † Benedicentur. *Gen.* 26. *Luc.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Dixit Gédeon: Si ros in folo véllere fúerit, & in omni terra síccitas; fciam, Dómine, quòd ficut locútus es, liberábis Ifrael. *Judic.* 6.

Ant. 8. g. Ecce nubécula parva quafi veftígium hóminis afcendébat de mari, & facta eft plúvia grandis. *III. Reg.* 18.

Ant. 6 F. Fons parvus crevit in flúvium: lux & fol ortus eft, & húmiles exaltáti funt. *Efther.* 11.

℣. Defcendet Dóminus ficut plúvia in vellus: ℟. Et ficut ftillicídia ftillántia fuper terram. *Pf.* 71.

Sermo fancti Bernardi Abbátis.

De duod. prærog. B. V.

Lectio iv.

QUid micat in generatióne Maríæ? Planè quòd

quòd ex régibus orta, quòd ex sémine Abrahæ, quòd generósâ ex stirpe David. Si id parùm vidétur, adde quòd generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitùs nóscitur esse concessa; quòd longè antè eísdem pátribus cœlitùs repromissa; quòd mysticis præfiguráta mirácu-lis; quòd oráculis prænuntiáta prophéticis.

℟. Exultáte in lætítia, Jacob: personáte & cánite; quia creávit Dóminus novum super terram: * Fémina circúmdabit virum. ℣. Non erit impossíbile apud Deum omne verbum. * Fémina. *Jerem.* 31. *Luc.* 1.

Lectio v.

HAnc sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit; hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli unquàm pátuit, præsignábat. Hanc dénique præ céteris Isaías nunc virgam de radíce Jesse oritúram promittébat; nunc evidéntiùs Vírginem paritúram. Méritò signum hoc magnum in cœlo apparuisse scríbitur, quod tantò antè de cœlo nóscitur fuisse promissum. Dóminus, ait, *ipse dabit* vobis *signum: Ecce Virgo concípiet.* Magnum profectò signum dedit; quia & magnus ipse qui dedit.

℟. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: justítia & pax osculátæ sunt: * Etenim Dóminus dabit benignitátem, & terra nostra dabit fructum suum. ℣. Propósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt: * Etenim. *Ps.* 84. *Ephes.* 1.

Lectio vj. §. 9.

NIhilóminùs fulget étiam novus ille conceptiónis modus, ut non in iniquitáte, quemádmodùm céteræ omnes, sed superveniente Spíritu sancto, sola, & de sola sanctificatióne María conciperet. Nam quòd verum Deum, & Dei Fílium génuit, ut idem ipse Dei atque hóminis Fílius, unus omnínò Deus & homo prodíret ex María, abyssus est lúminis: nec fácilè díxerim, quòd vel Angélicus óculus ad hujus fulgóris veheméntiam non calíget. De cétero sanè & virginitátem carnis, & propósitum virginitátis, máximè & ipsíus quoque propósiti nóvitas evidenter illustrat: quòd vidélicet in libertáte spíritûs, legis Mosáicæ decréta transcendens, illi

bátam Deo córporis simul, & spíritûs sanctimóniam vovit.

℟. Ego sum, ego sum quæ Dómino canam:* Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt, donec súrgeret mater in Israel. ℣. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redímeret. * Cessavérunt. Glória. * Cessavérunt. *Judic.* 5. *Gal.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Egressa est glória Dómini: & stetit in intróitu portæ domûs Dómini orientális. *Ezech.* 10.

Ant. 2. D. Dixit Dóminus: Porta hæc clausa erit, & non aperiétur; quóniam Dóminus Deus Israel ingressus est per eam. *Ezech.* 44.

Ant. 3. c. Erit clausa príncipi: princeps ipse sedébit in ea. *Ezech.* 44.

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et Sancti Israel regis nostri. *Ps.* 88.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac; Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

Serm. 9. *de Nativit. Dom. cap.* 1.

EXcédit quidem, dilectíssimi, multúmque superéminet humáni elóquii facultátem divíni óperis magnitúdo; & indè óritur difficultas fandi, undè adest rátio non tacendi. Quia in Christo Jesu Fílio Dei, non solùm ad divínam esséntiam, sed étiam ad humánam spectat natúram quod dictum est per Prophétam: Generatiónem ejus quis enarrábit? Utramque enim substántiam in unam convenisse persónam, nisi fides credat, sermo non éxplicat: & ídeò nunquàm matéria déficit laudis, quia nunquam súfficit cópia laudatóris. Gaudeámus ígitur, quòd ad eloquendum tantæ misericórdiæ sacraméntum ímpares simus: & cùm salútis nostræ altitúdinem prómere non valeámus, sentiámus nobis bonum esse quòd víncimur.

℟. Abrahæ promittens Deus, jurávit per semetipsum dicens: Benedícens benedícam te: * Et sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem. ℣. Dixit Abrahæ Deus: Reges ex te egredientur, & státuam pactum meum in-

ter me & te, & semen tuum post te. * Et sic. *Hebr. 6. Gen. 17.*

Lectio viij.

NEmo enim ad cognitiónem veritátis magìs propinquat, quàm qui intélligit in rebus divínis, etiamsi multùm profíciat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id in quod tendit, pervenisse præsúmit: non quæsíta répérit, sed in inquisitióne déficit. Ne autem infirmitátis nostræ perturbémur angústiis, Evangélicæ nos & Prophéticæ ádjuvant voces, quibus ita accéndimur & docémur, ut nos Nativitátem Dómini, quâ Verbum caro factum est, non tam prætéritam recólere, quàm præsentem videámur inspícere.... Interclusistis vobis, ô Judæi, intelligéntiæ viam;&, dùm solam natúram carnis aspícitis, totâ vos veritátis luce privastis. Expectantes enim secundùm vestræ persuasiónis fabulósa figmenta, David Fílium de sola stirpe corpórea, dum spem vestram in hómine tantùm constituitis, Deum Dei Fílium repulistis, ut quod nobis confitéri gloriósum est, vobis prodesse non possit.

℟. *Semel jurávi in Sancto meo, si David méntiar:* * Semen ejus in ætérnum manébit, & thronus ejus sicut sol in conspectu meo. ℣. Antè promíserat Deus per Prophétas de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem: * Semen ejus. Glória. * Semen ejus. *Ps. 88. Rom. 1.*

Lectio ix.

NAm & nos interrogáti cujus fílius sit Christus, voce Apóstoli confitémur, quòd factus est ex sémine David secundùm carnem. Et de inítio ipso Evangélicæ prædicatiónis instrúimur legentes: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David. Sed ídeò à vestra impietáte discérnimur, quia quem ex progénie David hóminem nóvimus natum, eumdem secundùm quod Verbum caro factum est, Deum Deo Patri crédimus coætérnum. Undè, si tenéres, ô Israel, tui nóminis dignitátem, & prophéticas denuntiatiónes, non obcæcáto corde percúrreres; Isaías tibi Evangélicam pánderet veritátem, & non surdus audíres divínâ inspiratióne dicentem: Ecce Virgo concípiet in útero, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel, quod est interpretátum Nobiscum Deus.

Te Deum, pag. 9.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona 1. *toni*, G.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? *Cant.* 6.

Ant. 4. E. Una est columba mea: perfecta mea, una est matris suæ, electa genitríci suæ. *Cant.* 6.

Ant. 6. c. Vidérunt eam filiæ, & beatíssimam prædicavérunt; reginæ, & laudavérunt eam. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Surge.

Canticum. Judicum. 5.

AUdíte, reges; áuribus percípite, príncipes: * Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel.

Dómine, cùm exíres de Seïr, * & transíres per regiónes Edom;

Terra mota est, * cœlíque ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sínaï à fácie Dómini Dei Israel.

Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt; * donec súrgeret mater in Israel.

Nova bella elégit Dóminus; * & portas hóstium ipse subvertit.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli: * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Benedicta inter mulíeres: * benedicátur in tabernáculo suo.

Qui autem díligunt te, Dómine, * sicut sol in ortu suo splendet, ita rútilent.

Ant. Surge & veni, columba mea: ostende mihi fáciem tuam. *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Quàm pulchra es, & quàm decóra, caríssima, in delíciis! *Cant.* 7.

Capitulum. Baruch. 5.

DEus ostendet splendórem suum in te, omni quæ sub cœlo est: nominábitur enim tibi nomen tuum à Deo, Pax justítiæ, & Honor pietátis.

Hymnus.

AURORA quæ Solem paris,
Et ipsa Solis fília,
Quàm spléndidum, cùm násceris,
Affers diem mortálibus!

TE luce Sol vestit suâ,
Tibique Luna stérnitur:
Aptáta sacro vértici,
Nectunt corónam sídera.

TE mille virtútum chorus,
Te turma cingit cœlitum:
Ambit suo te Númine,
Qui te facit matrem Deus.

UTI potens exércitus,
Tu Virgo terror hóstium:
Te sic obumbrátam Deo
Pavent tremúntque tártara.

Qui tabe nos infécerat,
Serpentis elídis caput:
Attrítus æterno jacet
Non jam timendus vúlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terris hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc
Nostri sit hospes péctoris.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Adjuvábit eam Deus. ℟. Manè dilúculo. *Ps.* 45.

Ad Bened. Ant. 7. G. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob; quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te, Deus Israel: allelúia. *Judith.* 13.

Oratio.

Deus, qui in beneplácito tuo mundum tibi reconciliáre voluisti; præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem sanctæ Dei Genitrícis celebrámus, ipsam, quam Fílius ejus operátus est, salútem, Matris intercessióne, consequámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologiæ,

¶ Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. G. Quæ est ista. *In* ℟. *brev.* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *de Justificat. can.* 23.

Si quis hóminem semel justificátum díxerit..... posse in tota vita peccáta ómnia, étiam veniália, vitáre, nisi ex speciáli Dei privilégio, quemádmodùm de beáta Vírgine tenet Ecclésia; anáthema sit.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Una est.

Capitulum. Cant. 1.

Ecce tu pulchra es, amíca mea: ecce tu pulchra es: óculi tui columbárum.

℟. *br.* De ventre matris meæ Deus meus es tu, * Allelúia, allelúia. ℣. Spes mea ab ubéribus, * Allelúia, allel. Glória. ℟. De ventre. *Ps.* 21.

℣. Dómine, spes mea juventúte mea; ℟. In

cantátio mea semper. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Ant. 6. *c.* Vidérunt.

Capitulum. Judith, 13.

LAudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se, & in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel.

℟. *br.* Prope timentes Dóminum salutáre ipsíus, * Allelúia, allelúia. ℣. Ut inhábitet glória in terra nostra. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Prope.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Quàm pulchra es.

Capitulum. Isaï. 41.

ELégi te, & non abjéci te: ne tímeas, quia ego tecum sum.

℟. *br.* Pópuli confitebuntur tibi in æternum, * Allelúia, allelúia. ℣. Mémores erunt nóminis tui, * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Pópuli.

℣. Concupíscet rex decórem tuum, ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo, pag. cxiv. & cxv.

Antiphona 6. toni, F.

LAuda & lætáre, fília Sion, quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2.

Ant. 8. g. Rex Israel Dóminus in médio tuî; non timébis malum ultrà. *Soph.* 3.

Ant. 1. J. Dóminus Deus tuus in médio tuî: fortis, ipse salvábit. *Soph.* 3.

Ant. 5. C. Gaudébit super te in lætítia: silébit in dilectióne sua: exultábit super te in laude. *Soph.* 3.

Ant. 4. E. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa: & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî. *Zach.* 2.

Capitulum. Apoc. 21.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

Hymnus, Ave, maris stella, *pag.* xciij.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Ex te egrediétur qui sit dominátor in Israel: & egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis: & erit iste pax; allelúia. Mich. 5.

Commem. S. Audomari, Episc. Ant. Ipsum. ℣. Elégit, *pag.* xxvj. *Orat.* Da, quæsumus, *in Communi*, *pag.* xxxij.

AD COMPLET. *Psalmi de Dominica. Hymnus*, Virgo, Dei Génitrix, *pag.* xciv.

DIEBUS
Intra Octavam
NATIVITATIS
B. M. Virginis.

Simplex.

Omnia ut in Die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria.

Ad Matutinum tres Ant. ℣. & ℟℟. è Nocturno Festi, secundùm Feriam.

Lectiones j. & ij. de Script. occurr. Lectio iij. propria est diei cujuslibet. Si occurrat Commem. de Sancto, fit pridiè ad Vesperas, & in Laudibus diei, sine Lectione ad Nocturnum.

Ad Laudes, unica Ant. quæ est quarta Laudum. Canticum ut in Die.

Ad Vesperas, unica itidem Ant. quæ est prima II. Vesperarum.

Dominicâ intra Octavam, aut in ipsa die Octava occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à I. Vesperis, cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis & in Laudibus.

DIE IX.
DE OCTAVA.
Simplex.

Ex libro sancti Fulgéntii, Epíscopi, de fide ad Petrum.

Lectio iij. Cap. 2.

DEus factus est fílius vírginis Maríæ, & María virgo facta est mater Unigéniti Dei; ut quem Pater génuit ex æternitáte, ipsum virgo conceptum proferret in témpore. Illa útique est Virgo, quam Deus qui de ea füerat nascitúrus, ita singulári grátiâ prævénit atque replévit, ut ipsa habéret ventris sui fructum, quem ex inítio hábuit univérsitas Dóminum, & ipsum sibi vidéret nascendi solemnitáte súbditum, quem in unitáte paternæ substántiæ, non solùm humána, sed étiam Angélica creatúra cognoscit, & adórat Altíssimum.

[*De S. Audomaro Episcopo, si sit Dominica*].

Lectio ix.

AUdomárus, in loco cui nomen Aurea-vallis prope Constántiam ad Rhenum, Friulfo & Domittâ natus, defunctâ matre, patri auctor fuit ut secum in Luxoviensi Monastério sub sancto Eustásio mónachus vestirétur. Cùm

autem virtútis ejus fama latè spargerétur, à rege Dagoberto accitus, id agente Achário Noviomensi Epíscopo, summo pópuli consensu ad Teruannensem Episcopátum assúmitur. Quo in múnere ita per annos triginta se gessit, ut gentem illam, quæ magnâ ex parte ad idolórum cultum redíerat, ad Christi fidem revocáverit. Tres viros exímiæ sanctitátis, Mummolénum, Ebertramnum & Bertínum, in partem sollicitúdinis assumpsit. Beátum Vandregísilum Presbyterum ordinávit. Austrebertam velo religiónis consecrávit. Sénio confectus, ut patiéntia ejus probarétur, óculis captus est. Et post áliquot annos febre correptus, cùm diem óbitûs sui instáre cognosceret, surgens è léctulo, Ecclésiam ingressus est, ibique córpori ac sánguini Dómini communicávit. Tum ad léctulum revérsus, felíciter expirávit, anno Christi sexcentésimo sexagésimo octávo, sepultúsque in Ecclésia vírginis Deíparæ, quam ibi primam ipse extrúxerat; quæque nunc est Cathedrális ejus nómine nuncupáta].

Ad Laud. *Pro Commem. S. Audomari Episc. Ant.* Sacerdótes. ℣. Véritas. *Oratio,* Da, quæsumus. *in Communi Pontificum, pag.* xxxij.

Vesp. *de S. Eunucio: de Commun. SS. Pont. p.* xxv. *Orat.* Omnípotens, *infrà.*

Commemor. de Octava: deindè SS. Sixti & Sinicii Pontificum.

Ant. Jerúsalem, ponam præpósitos tuos justítiam. Non audiétur iníquitas in terra tua, & occupábit salus muros tuos. *Isaï.* 60.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári, ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, interveniéntibus sanctis Pontifícibus Sixto & Sinício perpétuâ miseratióne proséquere; ut, inter séculi túrbines constitúta, & præsenti jucunditáte respíret, & ætérnæ beatitúdinis gáudia percípiat; Per Dóminum nostrum.

Die X.

In Festo

S. EUNUCII,

Noviomensis Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Commun. SS. Pontif. pag. xxv. *exceptis quæ sequuntur.*

Lectio j. de Script. occur. (*de tribus una*) *& sic in aliis* Semiduplicibus.

Lectio ij.

EUnúcius, nonus & vicésimus Epíscopus Noviomensis, Guidóni succéssit in gubernatióne Diœcésium Noviomensis ac Tornacensis. Vidétur fuisse ordinátus Epíscopus, cùm víveret adhuc Guido qui, propter sénium officii sui, partes obíre non póterat. Eunúcius Ecclésiam utramque rexit diligentíssimè, & útraque Ecclésia eum semper cóluit ut patrónum piíssimum. Obiit ante finem anni septingentésimi quadragésimi quarti, eique succéssit Eliséus. Corpus ejus ducentis ferè post óbitum annis è terra ritu sacro levátum in monastérium sancti Lupi tránstulit Rodulphus Epíscopus: undè nonnullis in actis monastérium sancti Eunúcii vocátum invenitur.

De SS. Sixto & Sinicio, Episcopis.

Lectio iij.

SIxtus & Sinícius, à Cáio Pontífice Románo missi, ut in beatórum mártyrum Crispíni & Crispiniáni labóres succéderent, apud Remos primùm consedére: ubi aliquándiù commoráti, cùm assíduo labóre parùm aut nihil profícerent, Suessiónem venérunt. *Hîc collectis, ubi primùm lícuit,* quas persecutiónis acérbitas dispérserat, fidélium relíquiis, apposuére sensìm gregi qui erat sanè exíguus, plebis à se conversæ multitúdinem. Huic erecto Episcopátûs título, primus præfuit Sixtus; sed brevì ad beátum Sinícium deláta est Episcopális auctóritas. Sixtus enim, Remos revocátus, plúrimis ibi à majórum superstitióne ad veri Dei cultum tradúctis, novæ Ecclésiæ fecit inítium; déniquè post annos decem in apostolátûs ópere consúmptos in pace requiévit Kalendis Septembris, & à Sinício, cui móriens Reménsem Ecclésiam commendáverat, sepultus est. Sinícius verò, ántequàm Suessióne decéderet, suum in locum Divitiánum ordinávit. Reménsem pópulum anno jam páverat Evangélicæ doctrínæ pábulo, cùm, morte óbitâ, ejúsdem cum Sixto decessóre, túmuli consórtium méruit.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Eunúcium Antístitem Ecclésiæ nostræ præesse, & quibus præerat, verbo & exemplo prodesse, voluísti; eódem intercedénte, dírige pópulum tuum in viam salútis ætérnæ; ut te donante, tibi pláceat

cúpiat, & totâ virtúte perfíciat; Per Dóminum.

Deindè fit Commemorat. Octavæ, pag. 419.

Posteà SS. Sixti & Sinicii.

Ant. Christus dedit Pastóres ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi. *Ephes.* 4.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, intervenientíbus sanctis Pontifícibus Sixto & Sinício perpétuâ miseratióne proséquere; ut, inter séculi túrbines constitúta, & præsenti jucunditáte respíret, & ætérnæ beatitúdinis gáudia percípiat; Per Dóminum.

Ad Vesp. *Commemorat. Octavæ, pag.* 420.

Die XI.

DE OCTAVA.

Simplex.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

Serm. 2. *de Nat. B. M. V.* §. 1. & 2.

Lectio iij.

Gratiárum actiónis cántica deprománus: cum Davíde exultémus Dómino, jubilémus Deo salvatóri nostro. Omnium Conditóri templum quo excipiátur, extructum est: quia Verbo rerum opífici hospítii domus est paráta... David Déiparens, gaude ánimo: Isáia Prophetárum primas, exhilaráre: alter quidem, quòd tuis ex lumbis, utì jurátum erat, Regína procédat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positúrum se promíserat: alter verò, quòd finem hábeat vaticínium istud tuum: Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ascendet. Virga virgo est, ex qua íntegro decóre mulíebri flóridus, perennísque flos Christus assurgit.

Die XII.

DE OCTAVA.

Simplex.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

In Nativit. B. M. V. num. 7.

Lectio iij.

Totis medullis córdium, totis præcordiórum afféctibus, & votis ómnibus Maríam venerémur; quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis. In ómnibus síquidem, & per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam abi-

git, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere; Jesum tibi dedit mediatórem: hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan & in ipso majestátem vereáre divínam, quòd licèt factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis & ad ipsum? Ad Maríam recurre: pura síquidem humánitas in María, non modò pura ab omni contaminatióne, sed & pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur & ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique matrem Fílius, & exáudiet Fílium Pater. Fílíoli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ.

DIE XIII.

DE OCTAVA.

Simplex.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

In Nativ. B. M. V.

Lectio iij.

Adeste gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujusvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis universi. Lætítiæ Natálem, lætis ánimis celebrémus: Dei Genitrícis Natálem compleCtámur, per quam mortálium genus redintegrátum est, per quam primigéniæ matris Evæ mœror in lætítiam mutátus est. Etenim illa per divínam senténtiam hoc audívit: In dolóre páries líberos; hæc, Ave, grátiâ plena: illa, Ad virum convérsio tua; hæc, Dóminus tecum.

Vesperæ de sequenti.

Et fit Commemoratio Octavæ, pag. 420.

DIE XIV.

In Festo

EXALTATIONIS

Sanctæ Crucis.

Duplex III. Classis.

[*In Cathedr. Duplex II. Classis. Post Capit. in I. Vesperis*, ℟. Commendat, *infrà post vj. Lection. Antiphonæ duplicantur ad utrumque* Magníficat, & *ad* Benedictus. *Cætera ut in Proprio, infrà*].

Psalmi de Feria.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 2. *toni*, D.

Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum. *Isaï.* 49.

Ant. 8. c. Sciet omnis caro quia ego Dóminus salvans te, & redemptor tuus Fortis Jacob. *Isaï.* 49.

Ant. 4. d. Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: Ego Dóminus locútus sum & feci. *Ezech.* 17.

Ant. 6. F. Dabit lignum fructum suum, & scien

quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum. *Ezech.* 34.

Ant. 5. a. Benedictum est lignum per quod fit justítia. *Sap.* 14.

Capitulum. Isaï. 11.

Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israel, & dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ.

Hymnus.

Crux alma, salve, Crux venerábilis,
Torrente Christi sánguinis ébria:
Testis dolórum tu supréma
Verba Dei morientis audis.

Tu celsa sedes undè suos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphantis, tribúnal
Júdicis, atque litantis ara.

Non rapta cæsis hóstibus ímpia
Hîc arma fulgent; nec dómiti duces
Graves caténis hîc trahuntur:
Nobílior crucis est triumphus.

Orbis redempti quália pígnora!
Crux tincta Christi sánguine adhuc, madet:
Speráte, mortáles; salútem
Plena necis monumenta præstant.

Crux certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum petenti pandit iter Deo:
Nunc álterâ nobis nefas est
Ire viâ malè delicátos.

Laus summa Patri, qui creat ómnia;
Natóque, mundum qui réparat cruce:
Qui cuncta replet, summa sancto
Spirítui: tribus una semper.
Amen.

℣. De torrente in via bibet; ℟. Proptéreà exaltábit caput. *Ps.* 109.

Ad Magnif. *Ant.* 8. g. Radix Jesse, qui stat in signum populórum: ipsum gentes deprecabuntur; & erit sepulcrum ejus gloriósum. *Isaï.* 11.

Oratio, Deus, qui, *ut infrà ad Laudes.*

[*Ubi fit Annuale, propter Festum Titul. Ad Complet. Antiphon. Ant.* 7. b. Absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 1. a. Per (Christum) mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal.* 6. *Et sic in Die*].

AD MATUTINUM.

Invitat. Jesum qui crucifixus est, * Venite, ado-

s. *Matth.* 28.
alm. Veníte. *pag.* 2.
Hymnus.
NCTA Crux Dei
cruóre,
n potens & éfficax!
s attáctu jacentes
int se mórtui:
tus olìm quâ pepen-
dit,
a vis fuit crucis.
BLICI fontes salútis,
Christi vúlnera,
erátos illa sanant
r anguis ænei:
quis æger speret, &
spe
suâ fraudábitur.
UX tribúnal quo se-
débit
s Ultor críminum:
tè sed nos judicémus,
t ira Júdicis:
ue primi puniámus,
cundus púniat.
TIUS fons sanctitá-
tis,
a quo sunt ómnia,
uo quodcumque cri-
nen
isti sánguine,
puros, Christe, ser-
ves
tiános móribus.
MPITERNA laus Pa-
enti,
reávit ómnia:
que qui redémit
e nos volens suâ;
iníque cujus almo
ámur hálitu.
en.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Cùm aqua deléret terram, sanávit Sapiéntia per contemptíbile lignum Justum gubernans. *Sap.* 10.

Ant. 2. D. Dóminus osténdit Móysi lignum: quod cùm misísset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. *Exod.* 15.

Ant. 3. a. Cùm leváret Móyses manus, vincébat Israel; Aaron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utráque parte. *Exod.* 17.

℣. Deus Rex noster ante sécula, ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73.

Lectiones de Script. occurr.

℟. Tentávit Deus Abraham: Tolle fílium tuum unigénitum, & ófferes eum in holocaustum. * Ligna holocausti impósuit Abraham super Isaac; & venérunt ad locum, ut immoláret fílium suum. ℣. Jesus bájulans sibi Crucem, exívit in Calváriæ locum, ubi crucifixérunt eum. * Ligna. *Gen.* 22. *Joann.* 19.

℟. De sánguine Agni ponent fílii Israel super utrumque postem, & in superlimináribus domórum. Erit autem sanguis vobis in signum: * Nec erit in vobis plaga dispérdens. ℣. Redempti estis pretiosa

sánguine quasi Agni immaculáti Christi. * Nec. *Exod.* 12. *I. Petr.* 1.

℟. Quorum animálium infertur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremantur extra castra : * Propter quod & † Jesus, ut sanctificáret per suum Sánguinem pópulum, extra portam passus est. ℣. Póntifex, pósitâ utrâque manu super hircum, universa delicta filiórum Israel imprecans cápiti ejus, emittet illum in desertum. * Propter. Glória. † Jesus. *Hebr.* 13. *Levit.* 16.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Mórsibus colubrórum exterminabantur; sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habentes salútis. *Sap.* 16.

Ant. 6. c. Qui conversus est, non per hoc quod vidébat, sanabátur; sed per te ómnium Salvatórem. *Sap.* 16.

Ant. 5. C. Misericórdia advéniens sanábat illos; in memória enim sermónum tuórum examinabantur. *Sap.* 16.

℣. Misit verbum suum, & sanávit eos; ℟. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. *Ps.* 106.

Lectio iv.

HEráclio imperante, Persæ Hierosólymam cepérunt; multísque ibi cæsis Christianórum míllibus, plúrimos in captivitátem abduxérunt cum Zacharía Patriarcha; Crucem étiam Dómini in Pérsidem asportârunt anno Christi sexcentésimo décimo quarto. Pacem bis petítam Chósroes Persárum rex recusávit, nisi Crucifixo abnegáto, Solem Heráclius adoráret. Quam impietátem detestátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quasi sácrum suscépit; militésque ad martyrium hortátus, signa cum hoste cóntulit. Post bellum diuturnum, anno demùm sexcentésimo vigésimo séptimo exeunte, Persas ingenti prælio fudit. Tértio deindè mense Chósroes ómnibus ob avarítiam, & crudelitátem invísus, à próprio filio Síroe captus, & míserè necátus est.

℟. In médio civitátis sanctæ Jerúsalem lignum vitæ : & fólia ligni ad sanitátem géntium : * Et omne maledictum non erit ámpliùs. ℣. Et si nobis Dóminus Deus noster irátus est, reconciliábitur servis suis. * Et omne. *Apoc.* 22. *II. Mach.* 7.

Lectio v.

TUm Síroes firmam cum Heráclio pacem iniit, captivósque, in pri-

Zacharíam Patriar-
ı dimísit, cum sacris
.s lignis, quorum the-
ırgénteam íntegram,
ıque sigilla Patriar-
ıgnóvit. Igitur Crux
a quatuórdecim post
s quàm vénerat in
tátem Persárum, re-
est, & deláta pri-
Constantinópolim:
autem sequente, ab
clio Hierosólymam
a, & in locum prísti-
restitúta; actæque
de victóriis grátiæ.
dè facta est multò il-
or sanctæ Crucis Fe-
as, quæ jam ante áli-
sécula celebrári cœp-
at, tum ob signi Cru-
ıanifestatiónem Con-
íno factam in Gállia,
pérgeret contra Ma-
ıum, tum ob ligni sa-
:ri inventiónem hâc
die celebrári sólitam;
que solémnitas póst-
ım in diem quintum
nonas Máias translá-
t.
. Christus crucifixus est
ıfirmitáte; sed vivit ex
ıte Dei: & nos infirmi
ıs in illo, sed * Vi-
us cum eo ex virtúte
℣. Ipse vulnerátus est
ter iniquitátes no-
, & livóre ejus sa-
sumus. * Vivémus
eo ex virtúte Dei.
v. 13. Isai. 53.

Lectio vj.

Hac eâdem die sanctus Ludovícus Francórum rex, anno millésimo ducentésimo quadragésimo primo, partem Domínicæ Crucis, quæ in Syria título pignoris apud Templários mílites remánserat, à Balduíno Orientis Imperatóre acceptam, cum ália non módica portióne, ex qua Imperatóres Ecclésiis & amícis partículas dare consuéverant, item ália multa Domínicæ Passiónis instrumenta Parísios, præcedente Clero, solémniter tránstulit. Tunc Rex piíssimus magnum exhíbuit Christiánæ pietátis argumentum, cùm, abjectis véstibus régiis, & pedes nudátus, in urbem íntulit instrumentum quo mundi prétium persolútum est. Demùm, constructâ in régio palátio magníficâ capellâ, sacro-sancta redemptiónis nostræ insígnia religiósè in ea asservári vóluit. Ejusdem sanctíssimæ Crucis portiónes in Ecclésiâ Noviomensi piíssimè, ac summâ reveréntiâ coluntur.

℟. Commendat caritátem suam Deus in nobis; quóniam, cùm peccatóres essémus, nunc * Justificáti in sánguine Christi, † Salvi érimus ab ira per ipsum.

℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * Justificáti. Glória Patri. † Salvi. *Rom.* 5. *Isaï.* 53.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Vidi Angelum habentem signum Dei vivi; & clamávit: Nolíte nocére quoadusque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 6. F. Dixit Dóminus ad virum qui indútus erat líneis: Signa Thau super frontes virórum geméntium super abominatiónibus quæ fiunt in médio Jerúsalem. *Ezech.* 9.

Ant. 1. a. Percútite & interfícite usque ad interneciónem: omnem autem super quem vidéritis Thau, ne occidátis. *Ezech.* 9.

℣. Dedísti metuéntibus te significatiónem, ℟. Ut fúgiant à fácie arcûs. *Ps.* 59.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Nunc judícium est mundi: nunc princeps hújus mundi ejiciétur forás: Et ego, si exaltátus fuero à terra, ómnia traham ad meipsum. *Et réliqua.*

Homília sancti Leónis Papæ.

Serm. 8. *de Pass. Domini, cap.* 6.

Exaltáto, dilectíssimi, per Crucem Christo, non illa tantùm spécies aspéctui mentis occurrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habentes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terráque radiantem, puro ac líbero corde suscípiat, & interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus, cùm de passiónis suæ loquerétur instántia, dixit: Nunc judícium mundi est: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; & ego si exaltátus fuero à terra, ómnia traham ad me.

℟. Nunc judícium est mundi: nunc princeps hújus mundi ejiciétur foràs. * Et ego, si exaltátus fuero à terra, ómnia traham ad meipsum. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac

:m æneum, & po-
pro signo; qui per-
spéxerit eum, vi-
:t ego. *Joann.* 12.
1.
io viij. Cap. 7.
lmirábilis poténtia
ıcis! ô ineffábilis
'assiónis: in qua &
l Dómini, & judí-
undi, & potestas
ifixi. Traxisti enim,
:, ómnia ad te; &,
pandisses totâ die
tuas ad pópulum
:dentem & contra-
:n tibi, confitendæ
tis tuæ sensum to-
ıdus accépit
ıcut Móyses exaltá-
>entem in desérto,
xaltári opórtet Fí-
ómminis; ut omnis
:dit in ipsum, non
, sed hábeat vitam
n. ℣. Móyses pó-
péntem æneum pro
quem cùm percússi
:ent, sanabantur:
taltári. Glória.* Ita.
3. *Num.* 21.
Lectio ix.
ıxisti, Dómine, óm-
a ad te; cùm in
iónem Judáici scé-
unam protulérunt
'eleméntra senténti-
cùm obscurátis lu-
bus cœli, & conver-
nóctem die; terra
: móttibus quateré-
blitis, univérsaque

creatúra impiórum úsui se negáret. Traxisti, Dómine, ómnia ad te: quóniam, scisso templi velo, Sancta Sanctórum ab indignis pontifícibus recessérunt; ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, & lex in Evangélium verterétur.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. toni, F.

PEccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut, peccátis mórtui, justítiæ vivámus. *I. Petr.* 2.

Ant. 3. a. Delens quod adversùs nos erat chirógraphum decréti, ipsum tulit de médio, affigens illud Cruci. *Coloss.* 2.

Ant. 1. a. Fecit útraque unum, solvens inimicítias in carne suâ; ut reconcíliet ambos in uno córpore Deo per Crucem. *Ephes.* 2.

Ant. 8. g. Vetus.

Canticum. Apoc. 5.

ECce vicit Leo de tribu Judâ, * radix David.

Dignus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre signácula ejus.

Quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo, * ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne;

Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdótes: * & regnábimus super terram.

Et vidi, & audívi * vocem Angelórum multórum in circúitu throni;

Et animálium & seniórum: * & erat númerus eórum míllia míllium,

Dicéntium voce magnâ: * Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem & divinitátem,

Et sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, * & glóriam, & benedictiónem.

Ant. Vetus homo noster simul crucifixus est; ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. *Rom.* 6.

Ant. 5. a. Oportébat Christum pati, & resúrgere; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes. *Luc.* 24.

Capitulum. I. Cor. 1.

PRædicámus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam.

Hymnus.

JEsu, manus, pedes, caput
Perfossus, & sacrum latus;
Fac, vox profúsi sánguinis
Ascendat ad thronum Patris.

Heu quanta, quorum grátiâ,
Quantúsque dignáris pati!
Occísus Agnus pro lupis,
Ut formet agnos de lupis.

Procul tepor, procul pigrum
Cordis fatiscentis gelu:
Immensa Christi nos trahit,
Urget, rapítque cáritas.

Quis jam tibi, vel vívere,
Jesu, recúset, vel mori?
Qui morte nos servos emis,
Et nos resurgens líberas.

Plagæ tui sint córporis
Ægris asylum méntibus:
A Patris ira nos tegas
Blando Redemptor in sinu.

Sit Trinitáti glória,
Tibi, Pater, qui Fílii
Mundum redemptum sánguine,
Sancto reformas Spíritu.
Amen.

℣. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

Ad Bened. Ant. 7. d. Patébit signum Fílii hóminis in cœlo: & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli, cum virtúte multa & majestáte. *Matth.* 24.

Oratio.

Oratio.

DEus, qui nos hodiernâ die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnuâ solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur; Per eumdem.

Commemorat. de Octava Nativ. B. M. Virginis, pag. 419.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Peccáta.

In ℞. *br.* ℣. Qui reconcílias nos Deo per Crucem. *Ephes.* 2.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Delens.

Capitulum. Philipp. 2.

CHristus Jesus semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus: humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

℞. *br.* Apud Dóminum misericórdia: * Allelúia, allelúia. ℣. Copiósa apud eum redémptio: * Allelúia, allel. Glória. Apud. *Ps.* 129.

℣. Redemptiónem misit Dóminus, ℞. Pópulo suo. *Ps.* 110.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Fecit útraque.

Capitulum. Coloss. 1.

IN ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum; pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

℞. *br.* Dóminus dominórum redémit nos: * Allelúia, allelúia. ℣. Ab inimícis nostris. * Allelúia, allelúia. Glória. ℞. Dóminus. *Ps.* 135.

℣. Deus noster, Deus salvos faciendi, ℞. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Oportébat.

Capitulum. Act. 5.

QUem interemistis suspendentes in ligno, hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterá suâ, ad dandam pœniténtiam Israéli, & remissiónem peccatórum.

℞. *br.* Remisisti iniquitátem plebis tuæ: * Allelúia, allelúia. ℣. Operuisti ómnia peccáta eórum. * Allelúia, allelúia. Glória. ℣. Remisisti. *Ps.* 84.

℣. Mitigasti omnem iram tuam; ℟. Avertisti ab ira indignatiónis tuæ. *Ps.* 84.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 7. *toni*, 5.

SI quis vult me sequi, déneget semetipsum, & tollat crucem suam. *Marc.* 8.

Ant. 5. a. Qui non áccipit crucem suam, & séquitur me, non est me dignus. *Matth.* 10.

Ant. 1. d. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis. *Gal.* 5.

Ant. 4. D. Próprio Fílio suo non pepercit (Deus), sed pro nobis ómnibus trádidit illum. *Rom.* 8.

Ant. 3. a. Si commórtui sumus, & convivémus; si sustinébimus, & conregnábimus. *II. Timoth.* 2.

Capitulum. Hebr. 12.

CUrrámus ad propósitum nobis certámen, aspicientes in auctórem fidei & consummatórem Jesum qui, propósito sibi gáudio, sustínuit Crucem, confusióne contemptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet.

Hymnus, Crux alma, salve, *ut suprà*, *in I. Vesperis*, *pag.* 426.

℣. Dícite in natiónibus: ℟. Quia Dóminus regnávit à ligno. *Ps.* 95. (*juxta 70 Interpr.*).

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Christo confixus sum Cruci: vivo jam non ego; vivit verò in me Christus: in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit semetipsum pro me. *Galat.* 2.

Deindè fit Commem. diei Octavæ Nativit. B. V. ut in I. Vesper. Festi, *p.* 413.

QUATUOR TEMPORA Septembris.

Celebrantur Feriâ iv. Feriâ vj. & Sabbato post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

Officium fit de Feria, exceptis quæ, pro tribus illis Feriis, infrà posita sunt.

FERIA QUARTA Quatuor Temporum Septembris.

¶ *Si, vel hodiè, vel Feriâ VI. sequente, vel Sabbato, occurrat Festum Semiduplex aut suprà, de eo fiet Officium cum ultima Lectione de Homilia in Evangelium hujus Feriæ, cum suo Responsorio, & ejusdem Commemoratione in Laudibus tantùm, per Antiphon.* ℣. *& Orationem ut infrà; Versus autem post Antiphonam sumetur de Psalterio*].

Lect. j. & ij. de Scriptura occurr. (*è tribus duæ*) *cum Responsoriis Feriæ IV. occurrentis.*

LECTIO

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 9.

IN illo témpore: Respondens Jesu unus de turba, dixit: Magister, átuli fílium meum ad te, habentem spíritum mutum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 57. in Matth. §. 4.

NE mihi raro exemplo dicas, quosdam sine jejúnio dæmonas ejecisse. Nam si unus aut alter increpando sic expulisse narrátur, fieri nequit, ut si is qui id pátitur, in delíciis vivat, ab hoc unquàm furóre liberétur. Jejúnio enim & oratióne máximè opus est ei qui hoc morbo labórat. Sed si fide opus est, ínquies, cur opus est & jejúnio? Quia cùm fídei jejúnium jungitur, non parva ei vis accédit: philosóphiam quippè magnam indit, & Angelum ex hómine éfficit, pugnátque cum incorpóreis virtútibus. Verùm non súfficit illud, sed addi debet orátio, quæ étiam præeat oportet. Vide ergo quanta bona ex utróque gignantur: quia enim qui, ut decet, precátur, & jejúnat, non multis índiget: qui autem non multis índiget, pecúniæ amans non erit: qui pecúniæ amans non est, ad eleemósynam pronus erit.... Qui orans jejúnat, binas habet alas, ipsis ventis leviores. Non enim óscitat, non expánditur, non torpet orando, ut multi solent: sed est igne ardéntior, & terrâ supérior: ideóque máximè dæmonum hostis & inimícus.

℟. Scitóte quóniam * Exáudiet Dóminus preces vestras, si manentes permanséritis in jejúniis & oratiónibus in conspectu Dómini. ℣. Vigilémus, & sóbrii simus: sine intermissióne orémus: hæc est enim volúntas Dei. * Exáudiet: Glória. * Exáudiet. *Judith. 4. I. Thess. 4.*

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Discípuli secrétò interrogábant Jesum: Quare nos non potúimus ejícere spíritum immundum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne & jejúnio. *Marc. 9.*

Preces, flexis genibus.

Oratio.

MIsericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, nostram ádjuva fragilitátem; ut quæ suâ conditióne attéritur, tuâ cleméntiâ reparétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

[*Hæc Oratio dicitur ad*

Tertiam, Sextam & Nonam tantùm].

Fiunt Suffr. de Cruce, &c.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *Ann.* 813. *can.* 35.

SI quis indíctum jejúnium superbiendo contémpserit, & observáre cum céteris Christiánis nolúerit, in Gangrensi Concílio præcípitur ut anathematizétur, nisi emendáre se stúdeat.

AD VESP. *Si fit de Feria, dicitur ad* Magníf. *Antiph. Psalterii, cum Precibus, flexis genibus, pag.* 155. *& Oratione Dominicæ præcedentis & Suffragiis.*

FERIA SEXTA Quatuor Temporum Septembris.

Lectio j. & ij. de Script. occurr. (è tribus duæ) cum Responsoriis Feriæ VI. occurrentis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore: Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo; &, ingressus domum Pharisæi, discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 33, *in Evang.*

SI recta ópera ágimus, *quibus opiniónis bonæ odóre Ecclésiam respergámus*, quid in Dómini córpore nisi unguentum fúndimus? Sed secùs pedes Jesu múlier stetit: contra pedes enim Dómini stétimus, cùm in peccátis pósiti, ejus itinéribus renitebámur: sed si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retrò secùs pedes stamus: quia ejus vestígia séquimur quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat: quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis affectum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam nostram putámus. Capillis múlier pedes quos rigáverat, tersit: capillis ergo pedes Dómini térgimus, quando sanctis ejus quibus ex caritáte compátimur, étiam ex his quæ nobis supérfluunt, miserémur: quátenùs sic mens per compassiónem dóleat, ut étiam larga manus affectum dolóris osténdat. Plorat, & non tergit, qui verba quidem dolóris tríbuit; sed non ministrando quæ desunt, vim dolóris mínimè abscindit.

℟. Sacrificium Deo spíritus contribulátus: * Cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. ℣. Múlier peccátrix stans re-

trò secùs pedes Jesu, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus. * Cor contrítum. Glória. * Cor. *Ps.* 50. *Luc.* 7.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. Conversus Jesus ad mulíerem, dixit Simóni: Vides hanc mulíerem? Dico tibi: Remittuntur ei peccáta multa: quóniam dilexit multùm. *Luc.* 7.

Preces, flexis genibus.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem corpóribus medéris, & méntibus; majestátem tuam súpplices exorámus ut, piâ jejunántium deprecatióne placátus, & præséntia nobis subsídia tríbuas, & futúra; Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam & Nonam tantùm.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

Ann. 1536. *part.* 1. *cap.* 21.

QUo affectu ac propósito accédant Ordinandi, videndum; accuratéque investigandum est, num videlicet Dei causâ tantùm, an pótiùs suæ commoditátis grátiâ ad Ordines capessendos aspírent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu *Christi.*

Ad Vesp. si fit de Feria, dicitur ad Magníf. Antiphona Psalterii, cum Precibus, flexis genibus, pag. 155. *& Oratione Dominicæ præcedentis, & fiunt Suffragia.*

SABBATO

Quatuor Temporum Septembris.

Lectio j. & ij. de Scriptura occurr. (è tribus duæ) cum Responsoriis Sabbati occurrentis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 13.

IN illo témpore: Dicébat Jesus hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua; & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 31. *in Evang.*

DUas res ex Evangélio, fratres, audistis; ficúlneam infructuósam, & mulíerem curvam: & utríque rei est píetas impensa. Sed hoc signíficat ficúlnea infructuósa, quod múlier inclináta; & hoc ficúlnea reservàta, quod múlier erecta. Quid arbor fici, nisi humánam natúram, designat? quid múlier inclináta, nisi eamdem natúram significando, denúntiat? quæ & benè plantáta est sicut ficus, & benè creáta sicut múlier; sed in culpam pr

priâ ſponte lapſa, neque fructum ſervat operatiónis, neque ſtatum rectitúdinis. Ad peccátum quippè ex voluntáte córruens, quia fructum obediéntiæ ferre nóluit, ſtatum rectitúdinis amíſit. Quæ ad Dei ſimilitúdinem cóndita, dum in ſua dignitáte non pérſtitit; quod plantáta, vel creáta fúerat, ſerváre contempſit. Tértiò dóminus víneæ ad ficúlneam venit: quia natúram géneris humáni ante legem, ſub lege, ſub grátia, expectando, admonendo, viſitando requisívit.

℟. Arborem fici habébat quidam in vínea ſua, & quærens fructum in illa non invénit: dixit ad cultórem víneæ: Succíde illam: * Ut quid terram óccupat? At ille reſpondens, dicit illi: † Dómine, dimitte illam & hoc anno, úſquedùm fódiam circa illam. ℣. Ecce Vigil & Sanctus de cœlo deſcendit: clamávit fórtiter, & ſic ait: Succídite árborem. * Ut quid. Glória. † Dómine. *Luc.* 13. *Dan.* 4.

Ad Bened. *Ant.* 3. c. Ecce múlier quæ habébat ſpíritum infirmitátis annis decem & octo, & erat inclináta, nec omninò póterat ſurſùm reſpícere: quam cùm vidéret Jeſus, vocávit eam ad ſe, & ait illi: Múlier, dimiſſa es ab infirmitáte tua. *Luc.* 13.

Preces, flexis genibus.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut, ſalutáribus jejúniis caſtigáti & mundáti, mereámur bonórum óperum frúctibus abundáre; Per.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam & Nonam tantùm.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ref. c.* 11.

CUm à minóribus Ordínibus ad altióres gradus, & ſacratíſſima myſtéria ſit ingreſſus; nemo iis initiétur, quem non ſciéntiæ ſpes majóribus Ordínibus dignum oſtendat. Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptióne poſtrémi gradûs minórum Ordinum ad ſacros Ordines promoveantur; niſi neceſſitas, aut Eccléſiæ utílitas, judício Epíſcopi, áliud expoſcat.

DIE XV.

Octava NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Semiduplex.

Omnia ut in *Die*, *exceptis quæ ſequuntur.*

Pſalmi de Feria.

[In Cath. *Dupl. In II. Noct. tres Lect. de duabus infrà positis, divisione factâ ad asteriscos **. Cetera ut in Die, servato ritu duplici*].

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 2, in Miss.

Lectio ij.

MAría aptíssimè síderi comparátur; quia sicut sine suî corruptióne sidus suum emittit rádium, sic absque suî læsióne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius universum orbem illúminat, cujus splendor & præfulget in supernis, & ínferos pénetrat; terras étiam perlustrans, & calefáciens magìs mentes quàm córpora, fovet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára & exímia stella, super hoc mare magnum & spatiósum necessáriò sublevata, micans méritis, illustrans exemplis. * O quísquis te intélligis in hujus séculi proflúvio magìs inter procellas & tempestátes fluctuáre; quàm per terram ambuláre; ne avertas óculos à fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procellis. Si insurgant venti tentatiónum, si incurras scópulos tribulatiónum; réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis; réspice stellam; voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis; réspice ad Maríam.

Lectio iij. **.

SI críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri trístitiæ, desperatiónis abyssso; cógita Maríam. In perículis, in angústiis, in rebus dúbiis, Maríam cógita; Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde: &, ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exemplum. Ipsam sequens non dévias; ipsam rogans non despéras; ipsam cógitans non erras; ipsâ tenente, non córruis; ipsâ protegente, non métuis; ipsâ duce, non fatigáris; ipsâ propítiâ, pérvenis.

Ad Vesp. Pro Commem. *SS. Cornélii Papæ, & Cypriani Episc. Martyrum*

Ant. Cùm vos óderint.

Multæ. *pag.* xvij & xviij. *Oratio*, Beatórum, *infrà*, *pag.* 441.

Posteà sanctæ Euphemiæ, Virg. & Mart. Ant. Infírma. ℣. Hæréditas, *pag.* lxix. *Oratio*, Omnípotens, *pag.* lxxvj.

Die XVI.

In Festo SS. CORNELII PAPÆ, ET CYPRIANI EPISCOPI, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, pag. xvij. *exceptis quæ sequuntur.*

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, ad Antoniánum.

Epist. 52. *aliàs* 55. *post init.*

Lectio ij.

FActus est Cornélius Epíscopus, de Dei & Christi ejus judício, de Clericórum penè ómnium testimónio, de plebis quæ tunc áffuit suffrágio, & de Sacerdótum antiquórum & bonórum virórum collégio..... Tum deindè post Episcopátum non ex-ambítum, nec extortum, sed de Dei qui Sacerdótes facit, voluntáte suscep-tum, quanta in ipso suscepto Episcopátu suo virtus! quantum robur ánimi! qualis fírmitas fídei, quod nos símplici corde & perspícere pénitùs & laudáre debémus: sedisse intrépidum Romæ in sacerdotáli Cáthedra eo témpore cùm tyrannus, infestus Sacerdótibus Dei, fanda atque infanda comminarétur; cùm multò patiéntiùs & tolerabíliùs audíret levári adversùs se æmulum príncipem, quàm constitui Romæ æmulum sacerdótem. Nonne hic summo virtútis & fídei testimónio prædicandus est? nonne inter glorióśos Confessóres & Mártyres deputandus, qui tantùm témporis sedit expectans córporis sui carnífices, & tyranni ferocientis ultóres?

De S. Cypriano.

Lectio iij.

CYpriánus Afer, primùm magnâ cum laude Rhetóricam Carthágine dócuit: exindè, suadente Presbytero Cæcílio, à quo & cognomentum sortítus est, Christiánus factus, omnem substántiam suam paupéribus erogávit; ac, post non multùm témporis electus in Presbyterum, étiam Carthaginensis Epíscopus constitútus est. In persecutióne Décii proscriptus, Ecclésiæ laboranti nec spíritu, nec actu, nec mónitis défuit. Recrudescente Valeriáni persecutióne, Cypriánus

ınte annum Curúbim
ílium missus, à Ga-
Máximo Procónsule
ıáginem, ut audiré-
·vocátus est. Quem
ıctum ita Proconsul
útus est: Jusséruntte
:ratóres sacrificáre:
ıle tibi, ne péreas.
tus Martyr respondit:
:um Cypriánus: Chri-
us sum, & diis sacri-
: non pótero. Tunc
s Proconsul decrétum
bella recitávit: Cy-
ıum gládio animad-
placet. Cypriánus
ındit: Deo grátias.
:ùm ducerétur, pópu-
plangens & éjulans,
ıat: Et nos decollé-
cum ipso. Perductus
n in agrum extra sub-
ım Sexti, cùm se la-
ì, byrro & dalmáti-
tpoliasset, stans in lí-
piculatórem expectá-
qui cùm venisset,
suis, ut spiculatóri
ıti quinque áureos da-
; pósteà verò manu
óculos sibi texit, &
.o percussus occúbuit.
ıus ejus ex Africa, rém-
Cároli Magni, in Gál-
aHátum, Lugdúni
ùm; deindè à Cárolo
o Compéndii in Sa-
ı régii palátii collocá-
est. ¶ Eódem die ce-
.tur *natális sanctæ* Eu-
iæ Vírginis & Már-
tyris quæ, teste sancto A-
stério Epíscopo, cùm ty-
rannus aliquandò pios per-
sequerétur, mortis perícu-
lum alácriter elégit. Ad
ejus memóriam, in subúr-
bio Chalcédonis pósitam,
celebrâtum est Concílium
generále quartum, atque
ob illíus honórem Mar-
ciánus Imperátor Chalce-
donensi civitáti Metrópo-
lis dignitátem cóntulit.

Oratio.

Beatórum Cornélii & Cypriáni, quæsumus, Dómine, nos tibi sancta commendet orátio; qui simul, & vigóre sacerdótii claruérunt, & gloriósæ passiónis triumpho refulsérunt; Per Dóminum.

Ad Laud. *Commem. S. Euphem. Virg. & Martyr. Ant.* Casta. ℣. Deus, *pag.* lxxv. *Orat.* Omnípotens, *pag.* lxxvj.

Ad Vesp. *Commem. S. Lamberti, Episc. & Mart. Ant.* Qui vícerit. ℣. Justus, *pag.* ix. *Oratio*, Fac nos, *pag.* xv.

Die XVII.
In Festo
S. Lamberti, Trajectensis Episcopi & Martyris.

Simplex.

Lectio iij.

Lambertus, seu Landebertus Trajecto ad Mo-

ſam oriundus, Theodardo Trajectenſi Epíſcopo & Mártyri, anno Chriſti ſexcentéſimo ſexagéſimo octávo, ſuffectus, juſtítiæ & libertátis públicæ víndicem ſe præbuit acérrimum eámque ob cauſam ab Ebroíno palátii Majóre ſub rege Theodoríco Epiſcopátu pulſus eſt. Cedendum témpori ratus, in monaſtérium Stabulenſe ſeceſſit; ex quo poſt ſepténnium à Pippíno, Cároli Martelli patre, revocátus, ac ſedi ſuæ reſtitútus, Toxándriæ íncolis Evangélii lucem íntulit. Cùm autem, ut refert ſanctus Ado, régiam domum zelo religiónis increpaſſet; Dodo, Pippíni doméſticus, redeuntem à matutínis Láudibus aggreſſus eſt: eúmque in cubículo orantem unus è Dodónis ſatellítibus telo confódit; ſícque Martyr occúbuit, anno ſeptingentéſimo octávo. Corpus ejus Trajecti ſepultum, indè Leódium unà cum Epiſcopáli ſede tranſlátum eſt.

Die XX.
In Vigilia
S. Matthæi.

Officium fit de Feria occurr. ut in Pſalterio, additis quæ ſequuntur.

[*In Feriis Quatuor Temporum, nihil fit de hac Vigilia*].

Ad Noct. *Lectiones j. & ij. de Script. occurr.* (*è tribus duæ*) ℟℟. *ex Proprio de Tempore.*

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 5.

In illo témpore: Vidit Jeſus Publicánum, nómine Levi, ſedentem ad telónium, & ait illi: Séquére me. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

In Luc. libr. 5. n. 16.

Myſtica hæc eſt vocátio Publicáni quem Chriſtus ſequi jubet non córporis greſſu ſed mentis affectu. Itaque ille priùs avára de mercédibus, dura de labóribus periculíſque nautárum emolumenta convertens, verbo vocátus, própria derelíquit, qui rapiébat aliéna: ac vile illud ſedíle deſtítuens, toto poſt Dóminum veſtígio mentis incédit: convívii quoque magni éxhibet apparátum. Qui enim domicílio Chriſtum récipit interno, máximis delectatiónibus exuberántium páſcitur voluptátum. Itaque Dóminus libenter ingréditur; & in ejus qui credíderit, recumbit affectu.

℟. Phariſæi dicébant diſ-

cípulis Jesu: Quare cum Publicánis & peccatóribus mandúcat Magister vester? At Jesus áudiens ait: * Non est opus valéntibus médicus, sed malè habéntibus. ℣. Spíritus Dómini misit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem. * Non est. Glória. * Non est. *Matth. 9. Is. 1.*

Preces, flexis genibus.

Oratio.

ACceptum tibi sit, quæsumus, Dómine, jejúnium nóstrum; & ad sancti Apóstoli tui & Evangelistæ Matthæi, prióres fáciat nos veníre festivitátem; Per Dóminum nostrum.

Fiunt Suffragia.

DIE XXI.
In Festo
S. MATTHÆI,
Apostoli & Evangelistæ.

Duplex III. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, pag. j. exceptis quæ sequuntur.

Pridiè IN VESPERIS.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Vidit Jesus hóminem sedentem in telónio, Matthæum nómine, & ait illi: Séquere me. *Matth. 9.*

Oratio, Deus, qui ineffábili, *infrà ad Laudes, pag. 445.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv. Cap. 3.

MAtthæus, qui & Levi, ex Publicáno Apóstolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisióne credíderant, Evangélium Christi Hebráicis lítteris verbísque compósuit: quod quis póstea in Græcum transtúlerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebráicum habétur usque hódiè in Cæsariensi bibliothéca, quam Pámphilus Martyr studiosíssimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc volúmine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quòd ubicumque Evangelista, sive ex persóna sua, sive ex persóna Dómini salvatóris, véteris Scriptúræ testimóniis útitur, non sequátur septuaginta translatórum auctoritátem; sed Hebráicam, è quibus illa duo sunt: Ex Ægypto vocávi Fílium meum, &, Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ex libro sancti Epiphánii Epíscopi adversùs hæreses.

Hæresi 51. §. 5.

Lectio v.

MAtthæus, primus Evangelii scriben

provínciam nactus est, ídque ei jure méritò cóntigit. Oportébat enim eum ipsum, qui ad conciliandam humáno géneri salútem advénerat, quíque ita díxerat: Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam: ad eórum qui servandi erant exemplum, ei hómini potíssimùm prædicandæ salútis munus injúngere, qui ab innúmeris peccátis convérsus, & à telónio suscitátus fúerat, ac se ab omni scélere & injustítiâ revocárat: ut ab illo, quanta sibi esset advéntu Christi humánitas colláta, mortáles díscerent. Quippè post peccatórum condonatiónem, hoc eídem concessit, ut & mórtuos excitáre posset ad vitam, repurgáre lepram, & morbos depéllere, dæmonésque propulsáre: ne dicendo solùm persuadéret audítóribus; sed Evangélicam doctrínam fáctis étiam ipsis prædicáret: atque & pérditis homínibus nuntiáret, posse illos pœnitendo recuperári; & iis qui cecíderant resurrectúros se esse; & qui mórtui essent, vitâ esse dénuò consecutúros.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Hom. 1. in Matth. §. 1. & 2.

Lectio vj.

Apóstoli univérsos orbis pópulos attraxérunt, Deo, per illórum linguam, cunctis accedéntibus differénte. Quo duce étiam Matthæus, Spíritu replétus, Evangélium scripsit: Matthæus, inquam, ille Publicánus: non enim pudet eum ab arte sua nuncupáre; neque illum, neque álios. Hoc enim máximè, & Spíritûs grátiam, & illórum virtútem comméndat. Opus autem suum jure Evangélium inscripsit: síquidem sublátam ultiónem, peccatórum véniam, justítiam, sanctificatiónem, redemptiónem, adoptiónem, cœlórum hæreditátem & cognatiónem cum Fílio Dei, ómnibus annuntiátum venit, inimícis, ímprobis, sedéntibus in ténebris. Quid tàm bono núntio possit æquári?

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

In illo témpore: Vidit Jesus hóminem sedentem in telónio, Matthæum nómine; & ait illi: Séquere me; & surgens secútus est eum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. l. 1. cap. 9.

Cæteri Evangelistæ propter verecúndiam &

honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; sed dixérunt Levi: dúplici quippè vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus (secundùm illud quod à Salomóne præcípitur: Justus accusátor est suî in princípio sermónis; & in álio loco: Dic tu peccáta tua, ut justificéris;) Matthæum se & publicánum nóminat: ut osténdat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra conversus sit; cùm ipse de publicáno in Apóstolum sit repentè mutátus.

Lectio viij.

Arguit hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augustus, vel imperítiam históríci mentientis, vel stultítiam eórum qui statìm secúti sunt Salvatórem; quasi irrationabíliter quémlibet vocantem hóminem sint secúti, cùm tantæ virtútes, tántaque signa præcésserint, quæ Apóstolos ántequàm créderent, vidisse non dúbium est. Certè fulgor ipse, & majestas divinitátis occultæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se videntes tráhere póterat aspectu.

Lectio ix.

Et *factum est, discumbente eo in domo,* ecce multi publicáni & peccatóres venientes, discumbébant cum Jesu. Vidébant publicánum à peccátis ad melióra conversum, locum invenisse pœniténtiæ; & ob id étiam ipsi non despérant salútem. Neque verò in prístinis vítiis permanentes véniunt ad Jesum, ut Pharisæi & Scribæ múrmurant: sed pœniténtiam agentes, ut sequens Dómini sermo significat, dicens: Misericórdiam volo, & non sacrifícium; non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Ibat autem Dóminus ad convívia peccatórum, ut occasiónem habéret docendi; & spirituáles invitatóribus suis præbéret cibos.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Relictis ómnibus, Levi secútus est Jesum; & fecit ei convívium magnum in domo sua. *Luc.* 5.

Oratio.

Deus, qui ineffábili misericórdiâ, beátum Matthæum ex publicáno Apóstolum elígere dignátus es; da nobis, ejus exemplo & intercessióne, ut post te, sprétis ómnibus terrénis, ambulantes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Qui vivis & regnas.

Ad Magnif. *Ant.* 6. c. Misericórdiam volo, & non sacrifícium: non enim

veni vocáre justos, sed peccatóres. *Matth.* 9.

Commemor. SS. Mauricii & Socior. Martyrum.

Ant. Accípite armatúram Dei, ut posśítis resístere in die malo, & in ómnibus perfécti stare. *Ephes.* 6.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Oratio, Deus, fortitúdo, *infrà.*

Die XXII.

In Festo SS. MAURICII & Sociorum, Martyrum.

Semiduplex.

Ex sancto Euchério, Lugdunensi Epíscopo.

Lectio ij.

SUb Maximiáno, qui Románæ Reipúblicæ cum Diocletiáno impérium ténuit, erat in exércitu légio mílitum qui Thebæi appellabantur. Hi in auxílium Maximiáno ab Orientis pártibus accíti vénerant: viri in rebus béllicis strénui, & virtúte nóbiles; sed nobilióres fide. Erga Imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant; Evangélici præcepti étiam sub armis non immémores. Maximiánus sacrificatúrus idólis Octodúrum convenire exércitum jussit, atróci propósitâ jussióne, ut per aras dæmónibus consecrátas jurárent. Soli id Thebæi detrectáre ausi sunt: eóque cógnito, Maximiánus Agaunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliári consédérant, & décimum quemque gládio feríri jubet, quò facíliùs céteri metu térriti, mandátis ejus cédérent. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio passim in castris exóritur affirmántium se idolórum profána semper detestatúros; & extréma experíri sátius esse, quàm adversùs Christiánam fidem veníre. * His compertis, Maximiánus ímperat ut íterùm décimus eórum morti detur, & céteri nihilóminùs ad ea quæ sprévérant, compellerentur. Percussus est ítaque qui décimus sorte obvénerat. Flagrábat in illis martyrii gloriósus ardor, suadente imprímis sancto Mauricio, tunc primicério legiónis, qui cum Exupério, campi ductóre, & Cándido, senatóre mílitum, hortabátur síngulos, ut pro Sacramento Christi ánimas ultrò profúnderent, sequerentúrque contubernáles qui jam in cœlum præcésserant. Itaque Maximiáno hæc mandáta

mittunt; ſicut pia, ita & fórtia: Mílites ſumus, Imperátor, tui; ſed tamen ſervi, quod líberè confitémur, Dei. Tibi milítiam debémus, illi innocéntiam. Tenémus ecce arma: non resíſtimus. Si quid in nos ultrà ſtatúeris, ignes, tormenta, ferrum ſubíre paráti ſumus: Chriſtiános nos fatémur.

Lectio iij. **.

MAximiánus deſpérans glorióſam eórum conſtántiam poſſe revocári, unâ ſenténtiâ intérfici omnes, & rem cónfici circumfúſis mílitum agmínibus jubet. Cædebántur ítaque paſſim gládiis, non reclamantes ſaltem aut repugnantes; ſed depóſitis armis, cervíces perſecutóribus præbentes, & júgulum percuſſóribus, vel inteđum corpus offerentes. Non vel ipsâ ſuórum multitúdine, non armórum munitióne eláti ſunt, ut ferro conarentur aſsérere juſtítiæ cauſam: ſed hoc ſolùm reminiſcentes, ſe illum confitéri, qui nec reclamando ad occiſiónem ductus eſt, & tanquàm agnus non apéruit os ſuum: ipſi quoque tanquàm grex Dominicárum óvium, laniári ſe tanquàm ab *irruéntibus* lupis *paſſi ſunt.*

Ad Laud. *poſt Hymn.* ℣. Salus juſtórum a Dómino, ℟. Protector eórum in témpore tribulatiónis. *Pſ.* 36.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Armávit ſuos non clypei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus, quibus conſtantes effecti ſunt, & pro légibus mori paráti. *II. Mach.* 8. & 15.

Oratio.

DEus, fortitúdo certántium, & palma mártyrum, qui beátum Mauricium & Sócios ejus, ad tui nóminis confeſſiónem mirâ virtúte roboraſti; quæſumus, ut, ipſis intercedéntibus, contra ſalútis hoſtes invictâ fide muniámur; Per Dóminum.

Vesp. *à Capit. de ſequenti, Commemor. SS. Mauricii, & Soc. Mart.*

Ant. Ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagittâ, & abſque ſcuto & gládio: Deus eórum pugnávit pro eis, & vicit. *Judith.* 5.

℣. Exultent juſti in conſpectu Dei; ℟. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67.

Oratio, Deus, fortitúdo, *ſuprà.*

Deindè Commem. S. Lini, Papæ & Mart. Ant. Qui vícerit. ℣. Juſtus, pag. ix. *Oratio*, Omnípotens, *in Communi*, pag. xv.

DIE XXIII.
In Festo
SANCTÆ THECLÆ,
Virginis & Martyris.
Semiduplex.
Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij.
Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.
Libr. 2. cap. 3. n. 19. & 20.
Lectio ij.

THecla cópulam fúgiēs nuptiálem, & sponsi furóre damnáta, natúram étiam bestiárum virginitátis veneratióne mutávit. Namque paráta ad feras, cùm aspectus quoque declináret virórum, ac vitália ipsa sævo offerret leóni, fecit ut qui impudícos detúlerant óculos, pudícos referrent. Cérnere erat lingentem pedes béstiam cubitáre humi, muto testificantem sono, quod sacrum vírginis corpus violáre non posset. Ergo adorábat prædam suam béstia, & própriæ oblíta natúræ, natúram indúerat quam hómines amíserant. Vidéres quâdam natúræ transfusióne hómines feritátem indútos sævítiam imperáre béstiæ: béstiam exosculantem pedes vírginis, docére quid hómines debérent.

Lectio iij.

NOn impastos cibus flexit, non citátos ímpetus rápuit, non stimulátos ira exasperávit, non usus decépit assuétos, non feros natúra possédit. Docuérunt religiónem, dum adórant Mártyrem: docuérunt étiam castitátem, dum vírgini nihil áliud nisi plantas exosculantur; demersis in terram óculis, tanquàm verecundántibus ne mas áliquis, vel béstia vírginem nudam vidéret. [Hæc prima feminei sexûs Martyr esse méruit, eámque sancti Patres exímiis certátim láudibus extulérunt. ¶ Eódem die celebrátur memória sancti Lini, cujus Paulus in his quæ sunt ad Timótheum Epístolis méminit. Hic Ecclésiam Románam secundus à sancto Petro rexit, téstibus sancto Irenæo & Eusébio, usque ad annum Vespasiáni décimum, Christi septuagésimum octávum. Succéssit autem ei Anaclétus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut præclára Virgo Thecla, sicut in mulíebri sexu prima Domínicæ passiónis imitátrix enítuit, ita fragilitáti nostræ promptam se adjutrícem exhibeat; Per Dóminum nostrum.

Pro Commem. S. Lini, Ant. Bonum. ℣. Cantabo.

Oratio, Omnípotens, *in Communi, pag.* xiv. *&* xv.

DIE XXV.
In Feſto
S FIRMINI,
primi Epiſc. Ambianenſis & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi uniûs Mart. pag. viij. *exceptis quæ ſequuntur. Orat.* Deus, *infrà.*

PRIDIE AD VESP. *Commem. S. Principii Epiſcopi. Ant.* Ipſum. ℣. Elégit. *p* xxvj. *Oratio*, Da, quæſumus, *pag.* xxxij.

Lectio ij.

FIrmínus Pompelonenſis à beáto Honeſto Nemauſenſi Presbytero ſancti Saturníni Tolosátium Epíſcopi diſcípulo baptizátus, & à ſancto Honoráto Saturníni ſucceſsóre ordinátus Epíſcopus, primùm Aginnénſibus, deindè Arvernis, tùm Andibus, ac demùm Bellóvacis Evangélium prædicaſſe tráditur. Indè ad Ambiános venit, ubi multâ prædicatióne multos Chriſto filios péperit; &, poſt vária tormenta, cápite truncátus eſt in perſecutióne Maximiáni. Elapſis quátuor ferè ſéculis, ſanctus Sálvius Ambianenſis *Epíſcopus, revelàto ſibi divínitùs Mártyris ſepulcro, eductum* indè corpus in urbem cum hymnis & cánticis, ſolemníque concurſu pópuli veſtimenta ſua ſubſternentis, tránſtulit; atque in crypta Basílicæ quam ipſe conſtruendam curáverat, & quæ exindè Cathedrális eſt, honorífìcè cóndidit, ſepulcrúmque auro & gemmis decorávit.

De S. Principio.

Lectio iij.

PRincípius in órdine Sueſſionénſium Antíſtitum duodécimus, beáti Remígii frater fuit natu major. Jam à téneris annis magna dedit futúræ ſanctitátis ſpecímina. Educátus eſt, & inſtitútus apud Antiólium ignótæ urbis in Gállia Epíſcopum, dignum quondam ſanctórum Lupi & Máximi in Cœnóbio Lirinenſi ſócium. Eo uſus magiſtro ita profécit, ut magnam ſuî in ómnium ánimis admiratiónem & expectatiónem excitáret. Edíbio in Sueſſionenſi ſede ſuffectus eſt. Cùm ab ipſo Antiólio reſciviſſet Sidónius Apollináris, qualem ſe Princípius à pueritia oſtendiſſet, quâ vitæ innocéntiâ ad Epiſcopátum perveniſſet, tantì eum fecit, ut ejus précibus ſeſe per lìtteras commendáverit. Totum ſe paſtoralibus offíciis mancipa

Princípius. Non modò gregi suo panem verbi divíni fregit assíduè, peccatorésque allexit ad pœniténtiam; sed plúrimos ab hæresi, multos à schísmate; nec paucos infidéles, teste eódem Sidónio, ab erróris calígine ad fidei lumen traduxit. Demùm, innúmeris pro Ecclésia Dei perfunctus labóribus, migrávit in cœlum, & à Remígio fratre Suessióne sepultus est.

Oratio.

Deus, qui per beátum Fírminum Mártyrem tuum atque Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti: da nobis, ejus intercessióne, in fide stábiles, & à spe Evangélii quod prædicávit immóbiles permanére; Per Dóminum.

In Laud. *Pro Commem. S. Principii Episcopi, Ant.* Sacerdótes. ℣. Véritas. *Oratio*, Da, quæsumus, *pag.* xxxij.

Die XXVII.
In Festo
SS. COSMÆ
et Damiani,
Martyrum.
Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, pag. xvij. *exceptis quæ sequuntur.*

Orat. Magníficet, *infrà.*

Lectio ij.

Cosmas & Damiánus, fratres, natióne Arabes, arte Médici, Mártyres celebérrimi, antiquíssimo ritu coluntur, tùm in Occidentáli, tùm in Orientáli Ecclésia. In urbe Cyro, in quam primùm eórum córpora creduntur fuisse transláta, célebrem sub eórum nómine erectam fuisse Basílicam testis est século quinto Theodorétus, ejusdem urbis Epíscopus. Póstea hanc ipsam urbem Justiniánus Imperátor, referente Procópio auxit, munívit & decorávit, in memóriam recuperátæ divínitùs, sanctórum Mártyrum benefício, valetúdinis. Idem Imperátor Constantinópoli Basílicam sub eórum nómine, & quidem magnificentíssimam construxit, destructâ véteri, quæ jam à tempóribus Theodósii junióris fúerat sub eórum invocatióne Deo dicáta.

Lectio iij.

In séptima Synodo Œcuménicâ referuntur mirácula quædam, sanctórum Cosmæ & Damiáni patrocínio à Deo impetráta; traditúrque coli solére depictas imágines horum Mártyrum in Basílicis & privátis in ædibus; atque, ope illórum, salútem ægris

étia

étiam desperátis fuisse restitútam. Romæ autem eórum cultum non minùs célebrem fuisse testátur non solùm dicáta Deo sub illórum nómine in foro Románo à sancto Felíce, sancti Gregórii magni átavo, Ecclésia; sed étiam insertum jam ánteà Cánoni Missæ sanctórum Mártyrum nomen.

Oratio.

MAgníficet te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ & Damiáni veneranda solémnitas; quâ & illis glóriam sempitérnam; & opem nobis ineffábili providéntiâ contulisti; Per Dóminum.

DIE XXIX.
In Festo
S. MICHAELIS
Archangeli, & omnium
SS. ANGELORUM.

Duplex III. Classis.
Psalmi de Feria.

In primis Vesperis.

Antiphona 1. *toni*, D.

VIdi Dóminum sedentem super sólium excelsum & elevátum: Séraphim stabant super illud. *Is.* 6.

Ant. 6. F. Sónitus alárum Chérubim audiebátur quasi vox Dei omnipoténtis loquentis. *Ezech.* 10.

Ant. 2. *D. Séraphim clamábant alter ad álterum:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum: plena est omnis terra glóriâ ejus. *Is.* 6.

Ant. 5. c. De throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & septem lámpades ardentes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. *Apoc.* 4.

Ant. 8. g. Data sunt Angelo incensa multa, ut daret de oratiónibus sanctórum ómnium super altáre áureum quod est ante thronum Dei. *Apoc.* 8.

Capitulum. Hebr. 12.

ACcessístis ad Sion montem, & civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Ecclésiam primitivórum, qui conscripti sunt in cœlis.

Hymnus.

CHriste, qui sedes olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremiscunt intuendo
Purióres spíritus,
Da choris junctos supernis
Ore puro psállere.

Inter omnes fulguranti
Ense victor émicat,
Qui dracónis insolentem
Cóntudit fcróciam:
De polo trusit rebellem
In profunda tártara.

Dum superbum sternis hostem,
Intonas: Quis ut Deus!

Obſtináta turba præceps
Clade commúni ruit:
Te triumphantem corónat
Qui tibi dat víncere.
Sit ſupréma laus Parenti
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens ſuâ:
Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

℣. Qui ſedes ſuper Chérubim, oſtende fáciem tuam, ℟. Et ſalvi érimus. *Pſ.* 79.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Dómine exercítuum, Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Chérubim, tu es Deus ſolus ómnium regnórum terræ; tu feciſti cœlum & terram. *Iſ.* 37.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Dóminum quem adórant omnes Angeli, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 96.

Hymnus.

Quotquot aſtant, ſempiternum
Qui tribúnal ámbiunt,
Hi tot ardent imperantis
Ferre juſſa præpetes;
Ire terris, & redíre
Sacra per commércia.
Tu decóre vincis omnes,
Alitum pulchérrime:
Aſſides Deo propinquus:
Cónſilî tu párticeps:
Aſtra claudis, & reclúdis,
Nóſque ſiſtis Júdici.
Te tremendo poſcat æger
Mortis in luctámine;
Advolantis efficácem
Séntiet præséntiam:
Córporis vinclis ſolútum
Mox ad aſtra tránsferes.
Sit ſupréma laus Parenti
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens ſuâ:
Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Vidit Jóſue virum, evaginátum tenentem gládium, & ait: Noſter es, an adverſariórum? qui reſpondit: Sum princeps exércitûs Dómini. *Joſ.* 5.

Ant. 8. c. Vidi ego Dániel viſiónem: Ecce manus tétigit me, & ait ad me: Míchael unus de princípibus primis venit in adjutórium meum. *Dan.* 10.

Ant. 3. a. Tétigit me quaſi víſio hóminis, & ait: Nemo eſt adjútor meus, niſi Míchael princeps veſter. *Dan.* 10.

℣. Quis in núbibus æquábitur Dómino? ℟. Similis erit Deo in fíliis Dei? *Pſ.* 88.

Lectiones de Script. occurr.

Poſt j. Lect. ℟. Factum eſt prælium magnum in cœlo. Michael & Angeli

eliabantur cum dra-
& projectus est dra-
magnus: & * Au-
ocem magnam in
icentem: Nuncfa-
:| salus, & virtus,
ium Dei nostri, &
is Christi ejus. ℣.
odò cecidisti de cœ-
cifer? qui dicébas:
astra Dei exaltábo
ι meum: ad infer-
etrahéris in profun-
ici. * Audívi vocem.
12. *Is.* 14.
! *ij. Lect.* ℟. Cùm
iel Archángelus cum
lo dísputans alterca-
de Móysi córpore,
t ausus judícium in-
blasphémiæ; sed di-
Imperet tibi Dómi-
'. Satan stabat, & di-
ominus ad satan: In-
: in te, satan, qui elé-
rúsalem. * Imperet.
9. *Zach.* 3.
t iij. Lect. ℟. Con-
t Míchael princeps
ius, qui stat pro fí-
ópuli tui, & * In
ore illo † Salvábitur
s qui inventus fúerit
us in libro. ℣. Non
bit in sanctam civitá-
áliquod coinquiná-
nisi qui scripti sunt in
vitæ Agni. * In tém-
Glória. † Salvábitur.
12. *Apoc.* 21.
II. *NOCTURNO.*
t. 1. G. Me loquente

in oratióne, ecce vir Gá-
briel citò volans tétigit me
in témpore sacrifícii vespertíni. *Dan.* 9.

Ant. 6. F. Appáruit Zacharíæ Angelus Dómini, stans à dextris altáris incensi; & Zacharías turbátus est videns. *Luc.* 1.

Ant. 7. *d.* Missus est Angelus Gábriel à Deo ad Vírginem: & nomen Vírginis María. *Luc.* 1.

℣. Benedícite Dómino, omnes Virtútes ejus, ℟. Minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus. *Ps.* 102.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Homil. 34. *in Evang.* §. 7.

Lectio iv.

NOvem Angelórum Ordines esse, testante sacro elóquio, scimus; Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Esse namque Angelos & Archángelos, penè omnes sacri elóquii páginæ testantur. Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri Prophetárum loquuntur. Quátuor quoque Ordinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum & Potestátem, & Virtútem & Dominatiónem. Qui rursùs ad Co

lossenses scribens ait: Sive Throni, sive Potestátes, sive Principátus, sive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephésios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt Ordines qui speciáliter exprimuntur. Quibus dum Angeli & Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjuncta sunt, procul dúbio novem esse Angelórum Ordines inveniuntur.

℟. Dócuit me Gábriel, dixítque: Intéllige visiónem: post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus; & * Non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est: civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro. ℣. Dictum est ab Angelo; Quóniam átrium templi datum est géntibus, & civitátem calcábunt, ubi & Dóminus crucifixus est. * Non erit. *Dan.* 9. *Apoc.* 11.

Lectio v. §. 8. & 9.

SCiendum quoque, quòd Angelórum vocábulum nomen est officii, non natúræ. Nam sancti illi cœlestis pátriæ spíritus, semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquàm possunt: quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiantur. Undè & per Psalmistam dícitur: Qui facit Angelos suos spíritus. Ac si patenter dicat: Qui eos quos semper habet spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli; qui verò summa annúntiant, Archángeli vocantur. Hinc est enim, quòd ad Maríam Vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippè ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcircò étiam privátis nomínibus censentur, ut signétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant.... Míchael namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei: Ráphael verò dícitur Medicína Dei.

℟. Angelus dixit Zacharíæ: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum: * Et missus sum hæc tibi evangelizáre, quæ implebúntur in témpore suo. ℣. Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur vísio. * Et missus sum. *Luc.* 1. *Dan.* 8.

Lectio vj.

QUóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere quod fácere

et Deus. Undè & ille
us hostis, qui Deo
:r supérbiam símilis
ıívit, dicens: In cœ-
ɔnscendam : super
œli exaltábo sólium
: símilis ero Altíssi-
um in fine mundi in
túte relinquétur ex-
supplício perimen-
:um Michaéle Ar-
:lo præliatúrus esse
étur, sicut per Joan-
ícitur : Factum est
m cum Michaéle Ar-
:lo. . . . Ad Maríam
: Gábriel míttitur,
:i Fortitúdo nominá-
um quippè nuntiáre
at, qui ad debellan-
eas potestátes húmi-
arére dignátus est....
el quoque interpre-
ut díximus, Medi-
lei : quia vidélicet
Tobíæ óculos quasi
ícium curatiónis té-
cæcitátis ejus téne-
rsit.
ıgressus Angelus Gá-
l Maríam dixit: Ave,
plena : Dóminus te-
urbáta est in sermó-
, & * Ait Angelus
: tímeas, María : in-
enim grátiam apud
℣. Angelus Dómini
l eam : Concípies &
ílium; & ipse incí-
eráre Israel. * Ait.
*Patri. * Ait. Luc.* 1.
r.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Exaudítæ sunt preces Tobíæ & Saræ; & missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos. *Tob.* 3.

Ant. 1. f. Dixit Tobíæ Ráphael Angelus : Ego sanum ducam, & sanum tibi redúcam fílium tuum. *Tob.* 5.

Ant. 4. E. Dixit Angelus Ráphael : Benedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. *Tob.* 12.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. 18.

VIdéte, ne contemnátis unum de pusillis istis qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidissent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident; quia Fílius hómi-

nis venit salváre quæ pérdita sunt. Ergo & Fílius hóminis salvat: & Deum Angeli vident: & Angeli pusillórum sunt. Fidélium oratiónibus præesse Angelos absolúta auctóritas est.

℟. Dixit Ráphael ad Tóbiam: * Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos; ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. ℣. Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspectu Dei. * Quando. *Tob.* 12. *Act.* 10.

Lectio viij. §. 5. & 6.

SAlvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídiè Deo ófferunt. Ergo periculósè ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum, ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehuntur. Atque, ut ingentem esse in cœlis lætítiam réditu humánæ salútis ostenderet, comparatiónis pósuit exemplum, ejus qui oves nonaginta novem in móntibus reliquisset, & errantem unam requisisset; quâ inventâ, plus gáudii sit, quàm habebátur, in nonaginta novem conservatióne, lætítiæ.

℟. Misit me Dóminus, ut curárem te, & Saram à dæmónio liberárem: ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum: * Pax vobis: nolíte timére. ℣. Grátia vobis & pax ab eo qui est, & à septem spíritibus qui in conspectu throni ejus sunt. * Pax vobis. Glória. * Pax vobis. *Tob.* 12. *Apoc.* 1.

Lectio ix.

QVis una homo intelligendus est; & sub hómine uno univérsitas sentienda est. Sed in uníus Adæ erróre omne hóminum genus aberrávit: ergo nonaginta novem non errantes multitúdo Angelórum cœléstium opinanda est; quibus in cœlo est lætítia & cura salútis humánæ. Igitur & quærens hóminem Christus est; & nonaginta novem relícti, cœléstis glóriæ multitúdo est: cui cum máximo gáudio errans homo in Dómini córpore est relátus.

AD LAUDES.

Antiphona 5. *toni*, C.

CUm intródúcit Deus Primogénitum in orbem terræ, dicit: Adórent eum omnes Angeli Dei. *Hebr.* 1.

Ant. 7. d. Vidébitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Fílium hóminis. Joann. 1.

Ant.

Ant. 2. D. In Christo cóndita sunt universa in cœlis & in terra, visibília & invisibília. *Coloss.* 1.

Ant. 8. g. Throni.

Canticum. Dan. 3.

BEnedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum; * & laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis.

Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ: * & superlaudábilis, & supergloriósus in sécula.

Benedíctus es in throno regni tui; * & superlaudábilis, & superexaltátus in sécula.

Benedíctus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; * & laudábilis, & superexaltátus in sécula.

Benedíctus es in firmamento cœli; * & laudábilis & gloriósus in sécula....

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino; * laudáte, & superexaltáte eum in sécula.

Glória Patri.

Ant. Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes, ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt, *Coloss.* 1.

Ant. 4. E. *Christus est in déxtera Dei, subjectis sibi* Angelis, & Potestátibus, & Virtútibus. *I. Petr.* 3.

Capitulum. Apoc. 5.

AUdívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni: & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magná: Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam.

Hymnus.

MILLE quem stipant sólio sedentem
Córporis puræ sine mole mentes,
Christe; quos fuso tibi consecrasti
Sánguine, serva.

QUAS tenent celsas super astra sedes,
Spíritus, nobis quoque præparasti:
Ut viam monstrent, sócios fidéles
Próvidus addis.

QUI Dei nunquàm temeranda jura
Víndicat sacris animósus armis,
Prompta perdendos Míchael in hostes
Arma ministret.

NUNTIUS felix melióris ævi,
Fausta qui mundo, Gábriel, tulisti;
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.

CORPORIS morbos, &

nebrásque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui seni cæco, Ráphael, dedisti
Cérnere solem.

GRATIAS Regi súperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant;
Quem fides veri studiósa, Trinum
Credit & Unum.
Amen.

℣. Adoráte eum, omnes Angeli ejus; ℟. Audívit & lætáta est Sion. *Ps.* 96.

Ad Bened. *Ant.* 1. d. Poténtiam virtútis operátus est Deus in Christo, illum constítuens ad déxteram suam in cœléstibus, supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. *Ephes.* 1.

Oratio.

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispensas; concéde propítius, ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 5. C. Cùm introdúcit.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Vidébitis.

Capitulum. Hebr. 1.

AD Angelos dicit Deus: Qui facit Angelos suos spíritus, & ministros suos flammam ignis; ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in séculum séculi.

℟. *br.* Laudáte Dóminum, * Omnes Angeli ejus. ℣. Laudáte eum, omnes Virtútes ejus. * Omnes Angeli ejus. Glória. ℟. Laudáte. *Ps.* 148.

℣. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, ℟. Potentes virtúte, facientes verbum illíus. *Ps.* 102.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. In Christo.

Capitulum. Apoc. 4.

DIgnus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem: quia tu creásti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt.

℟. *br.* Laudáte Dóminum * In cymbalis jubilatiónis. ℣. Omnis spíritus laudet Dóminum. * In. Glória. ℟. Laudáte. *Ps.* 150.

℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, ℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Ps.* 102.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Christus.

Capitulum. Apoc. 11.

FActæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum.

℟. *br.* In conspectu An-

ım * Psallam tibi. ℣.
ıbo ad templum san-
:uum. * Psallam tibi.
ı. ℟. In. *Ps.* 137.
ıcis Angelos tuos spí-
℟. Et ministros tuos
ı urentem. *Ps.* 103.
II. VESPERAS.
:iphona 6. toni, F.
Ittet Fílius hóminis
Angelos suos cum
& voce magnâ, &
egábunt eléctos ejus.
h. 24.
t. 2. D. Exíbunt An-
& separábunt malos
dio justórum. *Matth.*

t. 1. G. Angeli cólli-
le Regno ejus ómnia
ala, & eos qui fá-
iniquitátem, & mit-
os in camínum ignis.
h. 13.
t. 4. D. Si fúerit pro
ne Angelus loquens
de míllibus, ut an-
et hóminis æquitá-
Deus miserébitur ejus.
3.
t. 3. a. Ascendit fu-
incensórum de ora-
ıus Sanctórum de ma-
Angeli coram Deo.
. 8.
:pitulum. Dan. 7.
Ntíquus diérum sedit:
thronus ejus flammæ
: míllia míllium mi-
ıbant ei: & décies míl-
centéna míllia assisté-
;.

Hymn. Mille, *pag.* 457.
℣. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino; ℟. Laudáte, & superexaltáte eum in sécula.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Omnes audívi dicentes: Sedenti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. *Apoc.* 5.

Oratio, suprà ad Laudes.

[*Ubi fit Ann. propter Fest. Patr. post Capit.* I. Vesp. ℟. Consurget, *p.* 453. *Ad utrumque Compl. Ant.* 8. c. Vivit ipse Dóminus, quóniam custodívit me Angelus. *Judith.* 13. *Ad utrumque* Nunc dimittis. *Ant* 5. a. Quis in núbibus æquábitur Dómino, símilis erit Deo in fíliis Dei? *Ps.* 88].

Commem. S. Hieronymi Presbyt. & Eccles. Doct. *Ant.* Sápiens. ℣. Beátus, *in Communi SS. Doct. p.* xxxv. *Oratio*, Deus, *infrà ad Laudes pag.* 462.

DIE XXX.

In Festo
S. HIERONYMI,
Presbyteri, & Ecclesiæ
Doctoris.
Duplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, pag. xxxiv. *exceptis quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. In Prophétis vacábit: narratiónem virórum nominatórum con

servábit. *Eccli.* 39.

℣. Déxteram tuam sic notam fac, ℟. Et erudítos corde in sapiéntia. *Ps.* 89.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum. In interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. *Eccli.* 47.

℣. Super senes intellexi, ℟. Quia mandáta tua quæsívi. *Ps.* 118.

Lectio iv.

Hierónymus, Stridóne in fínibus Dalmátiæ & Pannóniæ Eusébio patre natus, puer à Donáto liberálibus disciplínis Romæ est institútus: ubi diébus Domínicis, Apostolórum & Mártyrum sepulcra circuíre, crebróque cryptas íngredi cum æquálibus consuéverat. Suscepto ibi adultâ jam ætáte baptísmo, sacrárum litterárum stúdio, quo totus ardébat, Gállias peragrávit; Treviríśque sancti Hilárii librum de Synodis suâ manu descripsit. Perlustrátis deindè Thráciâ, Ponto, Bithyniâ, Galátiâ, Cappadóciâ & Ciliciâ, instructus bibliothécâ quam Romæ sibi summo labóre conféccerat, in Chálcidis Syriæ solitúdinem se recépit. Ibi, ut importúnas cogitatiónes, quas jejúniis & précibus non vícerat, jugi stúdio abígeret, Judæo ad fidem converso se in disciplínam dedit, ut linguam Hebráicam edoctus, sacræ Scriptúræ sensum facílius intellígeret. Aliquandò interrogátus, unam, an tres confiterétur hypóstases; incertus étiam ad quam se partem adjúngeret, exorto Antiochíæ inter Vitálem, & Paulínum, ac Melétium dissídio; Dámasum Pontíficem Románum consúluit, unam, an tres hypóstases dícere, & cui ex tribus Epíscopis communicáre debéret.

Lectio v.

Exacto in eo secessu quadriénnio, vexátus ab ínvidis, & hæréseos postulátus, ex erémo discédens Antiochíam venit; ubi à Paulíno cui adhæserat, eâ conditióne ordinári se Presbyterum passus est, ut nulli addictus Ecclésiæ, quam amplexus fúerat mónachi vitam non deséreret. Cùm deindè Jerosólymis, & Béthlehem aliquándiù mansisset, Constantinópolim se cóntulit; ibíque Gregórium Nazianzénum sacras litteras explanantem frequens audívit. Romam póstmodùm, ob Antiochíæ aliarúmque Ecclesiárum dissensiónes, cum Paulíno & Epiphánio profectum Dáma-

ſus retínuit: ut eo uterétur in conſcribendis Epíſtolis, ac reddendis ad Synódicas Orientis & Occidentis conſultatiónes reſponſis. Hâc in urbe triénnio commorátus, poſt óbitum Dámaſi, Béthlehem ad incunábula Redemptóris in extructo à Paula monaſtério réliquum vitæ tempus exégit.

Lectio vj.

SAcros códices commentáriis illuſtrávit; &, quò cértiùs genuínum illórum ſenſum aſſequerétur, síngula Paleſtínæ loca sédulò invíſit, adhíbito Judæórum eruditiſſimórum collóquio. Alexandríam ætáte jam provectus pétiit, de difficilióribus Scriptúræ locis Dídymum conſultúrus. Novo Teſtamento Græcæ fidei réddito, vetus juxta Hebráicam tránſtulit. Pſaltérium, quo deinceps Eccléſia Latína uſa eſt, ſecundùm Septuaginta editiónem mendis purgávit. Multa étiam doctórum virórum Scripta latínè réddidit. Luciferiános, Helvídium, Vigilántium, Joviniánum, Pelágium ſcriptis ácriter inſectátus eſt. Tantam hiſce opéribus tàm doctis quàm sólidis, eruditiónis *famam ſibi comparávit, ut ejus ſenténtiam ſanctus Auguſtínus*, & álii paſsìm de árduis quæſtiónibus ſæpè rogárent. Captâ everſâque à Gothis Româ, nóbiles Romános ad extrémam inópiam redactos, in monaſtério Bethlehemitáno benignè excépit. Tandem in ſumma ſenectúte febre correptus, migrávit ad Dóminum, Theodóſio Junióre & Honório imperántibus, anno Chriſti quadringentéſimo vicéſimo. Ejus corpus apud Béthlehem ſepultum, póſteà Romam tranſlátum, in Basílica ſanctæ Maríæ Majóris ad Præsépe cónditum eſt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Vir períitus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuávis eſt. *Eccli.* 37.

℣. Quàm dúlcia faucibus meis elóquia tua! ℟. Super mel ori meo. *Pſ.* 118.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Aggæi Proph. cap. 2. *ante medium.*

COnsídera Sacerdótum eſſe offícii, de lege interroganti reſpondére. S

Sacerdos est, sciat legem Dómini: si ignórat legem, ipse se árguit non esse Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, & ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut sícubi in úrbibus Israel quæstio fúerit exorta inter sánguinem & sánguinem, inter judícium & judícium, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, & ad Pontíficem qui in diébus illis fúerit constitútus, & quærant ab eo legem Dómini: quibus respondéntibus, fáciant quòd jubentur. Quod si non fécerint, exterminentur de pópulo suo.

Lectio viij.

ET ne forsitàn in véteri solùm instrumento hæc præcepta videantur, lóquitur & Apóstolus ad Timótheum, Epíscopum non solùm irreprehensíbilem esse debére, & uníus uxóris virum, & sapientem, & pudícum, & ornátum, & hospitálem, sed étiam doctórem.... Hæc pósui ut, tàm ex véteri quàm ex novo Testamento, Sacerdótum esse officium novérimus, scire legem Dei, & respondére ad quæ fúerint interrogáti: nec simplicitátem & cibórum continéntiam in magistro sufficere; nisi quod ipse facit, possit & álios erudíre.

Lectio ix.

CErtè, quia responsúros puto, hoc eórum esse qui se ab adolescéntia præparant ad docendum; frequenter autem judício Dómini, & populórum suffrágio in Sacerdótium símplices éligi: saltem illud hábeant ut, postquàm Sacerdótes fúerint ordinári, discant legem Dei, ut possint docére quod didícerint; & áugeant sciéntiam magis quàm opes, & non erubescant à láicis díscere, qui nóverint ea quæ ad officium pértinent Sacerdótum: magísque noctes & dies in Scripturárum tractátu, quàm in ratiocíniis & supputatióne consúmant.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in exponendis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum providére dignátus es; præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul & ópere dócuit, te adjuvante, exercére valeámus; Per Dóminum.

VESPERÆ à Capitulo de sequenti.

.STA OCTOBRIS.

I I I.
Festo
MIGII,
sis Episcopi.
uplex.
le Commun. SS.
, *pag.* xxv. *ex-*
equuntur.
Deus, *pag.* 466.
N VESPERIS,
memoratione S.
nt. Qui docti.
m, *pag.* xlij.
s, *pag.* 462.
Piatonis Mart.
cerit. ℣. Justus.
Communi unius
Oratio, Om-
pag. xv.

OCTURNO.

. Dedisti eis re-
ilos, & partitus
. *II. Esdr.* 9.
s quem elegisti
sti; ℟. Inhabi-
is tuis. *Ps.* 64.

OCTURNO.

a. Exaltábitur
olus in die illâ,
nitùs conteren-

cábant Dómi-
lótes ejus: ℟.
ébat eos, & lo-
l eos. *Ps.* 98.

Lectio iv.

Remígius Laudúni natus est paréntibus Æmílio & sanctâ Celíniâ jam ætáte provectis. Ejus ortum prædíxerat quidam cæcus, Montánus nómine, vir sanctíssimus; qui & visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte, quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos & viginti, ob seníles in adolescéntia mores, ad Episcopátum Remensem, præter voluntátem, raptus est. Cùm autem Clodovéus Alamannos Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellasset; &, instanti Remígio, ut ejus fidem profiterétur, respondisset, veréri se ut per pópulum sibi licéret, ubi id rescívit pópulus, statìm acclamávit: Mortáles deos abígimus, pie Rex; & Deum quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus.

Lectio v.

Tum Remígius Clodovéum, quem fidei documentis jam imbúerat Vedastus, Tullensis Présbyter, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus: Mitis de-

póne colla, Sicamber; adóra quod incendisti, incende quod adorasti. Baptizátum sacro inunxit Chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem, ejus tér mille & ámpliùs baptismo initiáti sunt; simul & Alboflédis soror Clodovéi: quæ cùm paulò pòst decessisset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthildis quoque áltera ejus soror ab Ariána hæresi revocáta, sacro Chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Clodovéum Gothis bellum parantem, utilíssimis regno administrando consíliis per lítteras sanctus Præsul instruxit; eidémque auctor fuit ut Concílium Aurelianense indíceret.

Lectio vj.

Mirâ fuit eloquéntiâ ornátus, de qua ei grátulans Sidónius Apollináris sic scribébat: Non extat ad præsens vivi hóminis orátio, quam perítia tua non sine labóre tránsgredi queat ac supervádere. Cleméntiâ in pœnitentes erat singulári: neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instítuit; Teruennæ, ubi sanctum Antimundum; Atrebáti, ubi sanctum Vedastum; Laudúni, ubi sanctum Genebaldum præfécit. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est; quem tamen paulò ante mortem recuperávit. Sénio tandem confectus, óbiit die décimo tértio Januárii. Inter ália quæ édidit miràcula, mórtuum suscitávit, ut referébat liber de ejus vita conscriptus, & à sancto Gregório Turonensi laudátus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Hic est qui fuit in Ecclésia, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 2.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Homo péregrè proficiscens vocávit servos suos, & trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expos. in Matth. libr. 4. *cap.* 25.

Carnis próprius locus est terra, quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cœlo collocátur: qui ter-

men proficiscens fidélibus suis spiritália dona concessit. Et uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii verò unum. Quinque talentis donum quinque sénsuum exprímitur; duóbus verò, intelléctus & operátio designantur: uníus autem talenti nómine intelléctus tantúmmodò designátur. Unicuíque secundùm própriam virtútem. Non pro largitáte ergo, & parcitáte tríbuens, sed pro accipiéntium víribus. Dénique & ille qui de quinque talentis decem fécerat, & qui de duóbus quátuor, símile récipit gáudium: quia retribútor ille non consíderat lucri magnitúdinem, sed stúdii voluntátem. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abscondit pecúniam dómini sui. Taléntum in terra abscóndere est acceptum ingénium terrénis áctibus implicáre, lucrum spiritále non quærere, cor à terrénis cogitatiónibus nunquàm leváre.

Lectio viij.

POst multùm verò témporis, venit dóminus servórum illórum, & pósuit ratiónem cum eis. Grande *tempus est* inter *Ascensiónem Salvatóris, & secundum ejus* adventum. Consíderet quisque quid accéperit, & quod lucrum de acceptis reportet: quia is qui nunc piè tríbuit, districtè in judício mérita exquíret. Et accédens qui quinque talenta accéperat, óbtulit ália quinque talenta. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone & fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui. * Per Euge verbum, gáudium suum Dóminus insínuat, qui benè laborantem servum ad gáudium invítat ætérnum. Euge quoque interjéctio est lætantis. Et benè gaudens Dóminus servum bonum ac fidélem in gáudium suum intráre jubet: quia ipse est solus, ad quem Prophéta ait: Lætificábis nos in gáudio cum vultu tuo. Et ad bona multa invítat, quia ad comparatiónem futurórum quæ pérmanent, præséntia quæ tránseunt, quasi pauca esse videntur.

De S. Piatone.

Lectio ix.

PIáto, Beneventi claro génere ortus, totum se à pueritia Christo devóvit: &, cùm adolevisset, reservátâ sibi únicâ veste, céteris in egenórum usum distribútis, Romam co

tendit. Ibi Présbyter factus, à Románo Pontifice cum sancto Dionysio & sóciis ejus ad prædicandum Evangélium missus, Tornáci primùm, ac deindè in locis finítimis, ministérium suum óbiit. Triginta & ampliùs hóminum míllia baptizávit: eámque ob causam, Præsidis jussu comprehensus, post cárcerem, cómpedes, vérbera, clavos cetéraque tormenta superáta, cæso cápite martyrio perfunctus est Calendis Octóbris. Corpus ejus Siclínii in pago Medenantensi sepultum, post annos quinquaginta supra trecentos sanctus Elígius nondùm Epíscopus invénit, atque honorificè compósuit; mausolæo, ex auro, argento, & gemmis, Dagoberti munificéntiâ extructo: clavósque è córpore Mártyris avulsos in venerationem pópulis exhíbuit.

Oratio.

DEus, qui per beáti Pontíficis Remígii documenta, Francórum tibi corda subdidisti; largíre supplícibus tuis, ut per iter salútis quò idem Pastor incessit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur; Per.

Ad Laud. Pro Commem. S. Victoris, Ant. Bonum. Cantábo. *in Communi unius Martyris. Oratio,* Omnípotens, *p.* xv. & xiv.

Vesperæ de Festo sequenti.

DIE II.
In Festo
SS. ANGELORUM
Custodum.
Duplex.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona 7. toni, a.

SUscitávit me Angelus qui loquebátur in me, & ait: Sciétis quia Dóminus exercítuum misit me ad vos. *Zach.* 4.

Ant. 1. a. Angelus egrediebátur dicens: Absque múro habitábitur Jerúsalem; & ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu ejus. *Zach.* 2.

Ant. 3. *a.* Próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem; & erit domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspectu eórum. *Zach.* 12.

Ant. 5. a. Ecce unus de princípibus primis venit in adjutórium meum. *Dan.* 10.

Ant. 6. *c.* Angele Dómini, óbsecro te ut acquiescas précibus meis. *Judic.* 13.

Capitulum. *Is.* 63.

DIxit Dóminus: Pópulus meus est, filii non negantes; & factus est eis

ſalvátor. In omni tribulatióne eórum non eſt tribulátus, & Angelus faciéi ejus ſalvávit eos: in dilectióne ſua & in indulgéntia ſua ipſe redémit eos & portávit eos.

Hymnus.

CUSTODES hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cœleſtis cómites, inſidiántibus
Ne ſuccúmberet hóſtibus.

NAM quòd corrúerit próditor Angelus,
Conceſſi méritò pulſus honóribus
Ardens invídiâ péllere nítitur,
Quos cœlo Deus ádvocat.

HUC, Cuſtos, ígitur pérvigil ádvola,
Avertens pátriâ de tibi créditâ
Tam morbos ánimi, quàm requiéſcere
Quidquid non ſinit íncolas.

QUI lucis Pater eſt, glória ſit Patri:
Qui lux ipſa Patris, glória Filio;
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus. Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíſſimi, ℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Pſ.* 90.

Ad Magníf. *Ant.* 7. d. Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre & tremóre magnitúdinis bráchii tui. *II. Mach.* 15.

Oratio, Deus, qui ineffábili, *ad Laudes*, *p.* 472.

Fit Commem. S. Remigii Epiſc. ut in Commun. SS. Pontific. Ant. Beatificávit. ℣. Magna es, *pag.* xxxiv. *Orat.* Deus, qui. *p.* 466.

Deindè S. Leodegarii, Epiſc. & Mart. Ant. Qui vícerit. ℣. Juſtus. *in Communi unius Mart. pag.* ix. *Oratio, ad Laudes. p.* 473.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum ſuper Jerúſalem conſtituentem cuſtódes; * Veníte, adorémus. *Iſ.* 62.

Pſ. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Cuſtódes, *in I. Veſperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Vidit Jacob Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per ſcalam, & Dóminum innixum ſcalæ. *Gen.* 28.

℣. Qui ſedes ſuper Chérubim, oſtende fáciem tuam, ℟. Et ſalvi érimus. *Pſ.* 79.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Venérunt duo Angeli Sódomam véſperè Lot cómpulit illos ut

vérterent ad eum: cúmque esset manè, * Cogébant eum Angeli dicentes: Surge, ne péreas in scélere civitátis: & posuérunt eum extra civitátem. ℣. Justum Lot oppressum à nefandórum injúria, ac luxuriósa conversatióne erípuit Deus. * Cogébant eum. *Gen.* 19. *II. Petr.* 2.

℟. ij. Consurgens minister Eliséi vidit exércitum in circúitu civitátis; nuntiavítque ei, dicens: Heu! Dómine mi, quid faciémus? Ille respóndit:* Noli timére: plures enim nobíscum sunt, quàm cum illis. ℣. Ipse Deus dixit: Non te déseram: ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjútor: * Noli timére. *IV. Reg.* 6. *Hebr.* 13.

℟. iij. Vivit ipse Dóminus, quóniam * Custodívit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè huc reverténtem. ℣. Astitit mihi Angelus Dei, cujus sum ego, & cui desérvio. * Custodívit. Glória.* Custodívit. *Judic.* 13. *Act.* 27.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Angelus Dómini descendit cum Azária & sóciis ejus in fornácem, & excussit flammam de fornáce: & non tétigit eos omninò ignis. *Dan.* 3.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

In Quadr. Serm. 12. *in Psalm.* Qui hábitat.

Lectio iv.

ANgelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio caritátis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studiósè considerémus, fratres, diligenter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum: Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli, cujus mandátis obtémperant, cujus obédiunt voluntáti. Nempè Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: nec cunctantur quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo majestas mandávit Angelis: & Angelis suis mandávit, illis útique sublímibus, tam beátis, tam próximis, tam sibi cohæréntibus, tam familiáriter adhæréntibus, & verè doméstícis Dei. Mandávit autem de te. Tu quis es? Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus, aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrédo, & fílius hóminis vermis.

℟. Deus meus misit Angelum suum, & * Conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi; quia coram eo justítia inventa est in me. ℣. Misit Dóminus Angelum suum, & erípuit me. * Conclúsit. *Dan.* 6. *Act.* 12.

Lectio v. §. 6.

Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reveréntiam, afferre devotiónem, conferre fidúciam! reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Cautè ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne aúdeas illo præsente, quod vidente me non audéres? An præséntem esse dúbitas quem non vides? ..... Adsunt ígitur, & adsunt tibi; non modò tecum, sed étiam pro te: adsunt ut prótegant, adsunt ut prosint.

℟. Machabæus, & qui cum eo erant, * Cum lácrymis rogábant Dóminum, ut bonum Angelum mítteret ad salûtem Israel: *appáruit præcédens eos eques in veste cándida.* ℣. Oculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. * Cum. *II. Mach.* 11. *I. Petr.* 3.

Lectio vj. §. 8. & 9.

In mánibus, inquit, portábunt te: in tuis quidem viis custódient te, & dedúcent párvulum, quâ potest párvulus ambuláre. Céterùm non te patiéntur tentári supra quàm sustinére potes; sed in mánibus tollent, ut pertránseas offendículum. Quàm fácilè transit, qui illis portátur in mánibus! Quótiès ergo graríssima cérnitur urgére tentátio, & tribulátio véhemens imminére, ínvoca custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne. Incláma eum, & dic: Dómine, salva nos, perímus. Non dormit neque dormítat, etsi ad tempus quandóque dissímulet; ne fortè periculósiùs ab illíus te mánibus ipse præcípites, si te eis ignoráveris sustentátum.

℟. Angelus Dómini dixit: Usquequò tu non miseréberis Jerúsalem? & úrbium Juda quibus irátus es? Et respondit Dóminus Angelo verba consolatória: * Revertar ad Jerúsalem in misericórdiis. ℣. Revertar, & reædificábo ea

bernáculum David, quod décidit; & érigam illud. * * Revertar. Glória. * Revertar. *Zach.* 1. *Act.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Ostendit mihi Angelus civitátem sanctam Jerúsalem, habentem portas duódecim; & in portis Angelos duódecim. *Apoc.* 21.

℣. Benedícite Dóminum, omnes Virtútes ejus, ℟. Minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus. *Ps.* 102.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. libr. 3. *cap.* 18.

AMen dico vobis, nisi conversi fuéritis, & efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. Non præcípitur Apóstolis, ut ætátem hábeant parvulórum, sed ut innocéntiam; & quod illi per annos possident, hi possídeant per indústriam: ut malítiâ, non sapiéntiâ párvuli sint. * Quicumque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cœlórum. Sicut iste párvulus cujus vobis exemplum tríbuo, non persevérat in iracúndia, læsus non méminit;... non áliud cógitat, & áliud lóquitur: sic & vos nisi talem habuéritis innocéntiam, & ánimi puritátem, non potéritis regna cœlórum intráre.

℟. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia * Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est ℣. Angelus faciéi ejus salvávit eos; in dilectióne sua, & in indulgéntia sua ipse redémit eos. * Angeli. *Matth.* 18. *Is.* 63.

Lectio viij. Multò post.

VIdéte ne contemnátis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. ** Venit enim Filius hóminis salváre quod períerat. Suprà díxerat per manum & pedem & óculum, omnes propinquitátes & necessitúdines quæ scándalum fácere póterant, amputandas: austeritátem itaque senténtiæ subjecto præcepto témperat dicens: Vidéte ne contemnátis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio severitátem, ut

commiſcéri clementiam dóceam.

℟. Non accédet ad te malum: quóniam *Angelis ſuis Deus mandávit de te, ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus tollent te, ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum. * Angelis. Glória. * Angelis. *Pſ.* 90. *Matth.* 4.

De S. Leodegario.

Lectio ix.

LEodegárius, primùm Pictavenſis Archidiáconus, deindè monaſtérii ſancti Maxéntii Abbas, tùm Auguſtodunénſium Epíſcopus creátus eſt; cui Ecclésiæ decem annis præfuit. Cùm autem Childerícum ſecundum, qui in regni adminiſtratióne illíus óperâ utebátur, argúeret, quòd antíquas regni leges reſcidiſſet, filiámque avúnculi duxiſſet uxórem; in Luxovienſe monaſtérium, quò relegátus ánteà fúerat Ebróinus major palátii, amandátus eſt.* Uterque, rege mórtuo, in príſtinum gradum eſt reſtitútus. Sed Ebroínus ſe, Leodegário auctóre, in monaſtérium detrúſum fuiſſe ratus, exércitum Auguſtodúnum miſit, qui ſanctum Epíſcopum comprehénderet. *Leodegárius, re cógnitâ, erogátis in páuperes facultátibus,* triduáno jejúnio indicto, & factis circùm urbis mœnia cum Cruce & Relíquiis Sanctórum ſupplicatiónibus, Chriſti córpore præmunítus, ne quid detrimenti cívitas ſuî causâ paterétur, ſpontè ſe trádidit inimícis qui illum ſtatìm, óculis érutis, in monaſtérium conjecérunt. ** Indè, poſt vários cruciátus, eum, præcíſis lábiis & linguâ, in cœnóbium Fiſcamnenſe ſub cuſtódia aſſervandum detruſérunt. Deindè in palátium ductus, quò nonnulli Epíſcopi convénerant, cùm linguæ offício níhilo séciùs uterétur, diſciſsâ túnicâ, Epiſcopáli dignitáte ſpoliátus, conjectus eſt in cárcerem: ex quo in ſilvam, ejus póſteà nómine inſignitam, à quátuor ſicáriis abductus, in território Atrebatenſi cápite truncátus eſt, anno ſexcentéſimo ſeptuagéſimo octávo.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni*, D.

LOcútus eſt Dóminus: Mittam præcursórem tuî Angelum, ut intres in terram fluentem lacte & melle. *Exod.* 33.

Ant. 2. D. Ego mittam Angelum qui præcédat te, & cuſtódiat in via, & introdúcat in locum quem parávi. Exod. 23.

bernáculum David, quod décidit; & érigam illud. * * Revertar. Glória. * Revertar. *Zach.* 1. *Act.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Ostendit mihi Angelus civitátem sanctam Jerúsalem, habentem portas duódecim; & in portis Angelos duódecim. *Apoc.* 21.

℣. Benedícite Dóminum, omnes Virtútes ejus, ℟. Ministri ejus qui fácitis voluntátem ejus. Ps. 102.

Léctio sancti Evang... secundùm Matthæ...

Lectio vij. Cap. ...

IN illo témpore ... runt discípuli ... dicentes: Quis ... jor est in regno ... Et réliqua. ...

Homília san... Pres... *Comment.* ... taceátis, ... éntium ei, A Me... iat, & donec co... usalem laudem efficiár... non i... cœlo... Apó... bea... in...

Hymnus.

SIGNATOR orbis summus & árbiter,
... prona servit cúria cœlitum,
... voce solâ tu creasti,
... pétuâ regis ipse curâ.
NOBIS fidéles próvidus Angelos,
Missos Olympo suppéditas duces;

jor in ... cut ist... bis ex... persev... læsus n... áliud c... quitur... habu... & ...

... ce solet...

...nedícite, omnes ...tes Dómini, Dóminum; ℟. Laudáte, & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos qui hereditátem cápient salútis. *Hebr.* 1.

Oratio.

DEus, qui ineffabili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris; largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne defendi, & ætérnâ societáte gaudére; Per Dóminum.

AD LAUD. *pro Commem.* S. Leodegarii, *Episcopi &*

Bonum certá-
tábo. in Com-
tyris, pag.
[illegible]
Angelorum Custodum.
[illegible]
& sit
vestro,
comitétur
[illegible] mánibus * (An-
[illegible]ortábunt te, ℣. Ne
[illegible]das ad lápidem pe-
[illegible]em tuum. * Angeli por-
tábunt te. Glória. ℟. In má-
nibus. *Ps.* 90.

℣. Dóminus custódit te; ℟. Dóminus protéctio tua. *Ps.* 120.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Observa eum.

Capitulum. Eccli. 5.

NE dicas coram Angelo: Non est providéntia: ne forte irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℟. *br.* Dómine Deus meus, * Magnificátus es vehementer, ℣. Qui facis Angelos tuos spíritus, & ministros tuos ignem uréntem; * Magnificátus es vehementer. Glória. ℟. Dómine. *Ps.* 103.

℣. Dóminus virtútum nobiscum; ℟. Susceptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

NONAM.

℣. Angelus meus.
[illegible]n. *Dan.* 3.

[Bene]dictus Deus, qui [mi]sit Angelum suum, [et] eruit servos suos qui credidérunt in eum.

℟. *br.* Dómine, quid est homo, * Quia innotuísti ei? ℣. Aut fílius hóminis, quia réputas eum? * Quia innotuísti ei? Glória Patri. ℟. Dómine. *Ps.* 143.

℣. Minuísti eum paulò minùs ab Angelis; ℟. Constituísti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ ut in II. Vesperis Festi S. Michaelis, suprà, pag. 459.

Capitulum. Job. 33.

DEus viros ínstruit disciplínâ, ut avertat hóminem ab his quæ facit: si fúerit pro eo Angelus loquens, miserébitur ejus, & dicet: Líbera eum: & vidébit fáciem ejus.

Hymn. Regnátor orbis, *ad I. Vesperas.*

℣. Scápulis suis obum-

Ant. 7. d. Observa eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. *Exod.* 23.

Super Cantic. Benedictus es, *in Festo S. Michaelis, Archangeli, suprà, pag.* 457.

Ant. 6. F. Si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis; præcedétque te Angelus meus. *Exod.* 23.

Ant. 4. E. Angelus meus vobíscum est: ipse autem exquíram ánimas vestras. *Baruch.* 6.

Canticum. Is. 62.

Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: totâ die & totâ nocte in perpétuum non tacébunt. Qui reminiscímini Dómini, ne taceátis, & ne detis siléntium ei, donec stabíliat, & donec ponat Jerúsalem laudem in terra.

Hymnus.

Regnator orbis summus & árbiter,
Cui prona servit cúria cœlitum,
Quæ voce solâ tu creasti,
Perpétuâ regis ipse curâ.

Nobis fidéles próvidus Angelos,
Missos Olympo suppéditas duces;
Ut nos tot obsessos perículis,
Incólumes sine labe servent.

Ne nos malignis fráudibus óccupans,
Incauta fallat péctora súbdolus
Suásor malórum, neve capret
Illécebrâ malè blandienti.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per salútis tot minístros
Das pátrias remeáre sedes. Amen.

℣. Benedícite, omnes Virtútes Dómini, Dómino; ℟. Laudáte, & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis. *Hebr.* 1.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris; largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne defendi, & ætérnâ societáte gaudére; Per Dóminum.

Ad Laud. pro Commem. S. Leodegarii, Episcopi &

Mart. Ant. Bonum certámen. ℣. Cantábo. *in Communi unius Martyris, pag.* xv. & xiv.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Leodegárii, Mártyris tui atque Pontíficis ánnuâ solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejusdem étiam protectióne gaudeámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Locútus est.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ego mittam.

Capitulum. Tob. 5.

BEne ambulétis, & sit Deus in itínere vestro, & Angelus ejus comitétur vobiscum.

℟. *br.* In mánibus * (Angeli) portábunt te, ℣. Ne offendas ad lápidem pedem tuum. * Angeli portábunt te. Glória. ℟. In mánibus. *Ps.* 90.

℣. Dóminus custódit te; ℟. Dóminus protéctio tua. *Ps.* 120.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Observa eum.

Capitulum. Eccli. 5.

NE dicas coram Angelo: Non est providéntia: ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℟. *br. Dómine Deus meus, * Magnificátus es* vehementer, ℣. Qui facis Angelos tuos spíritus, & miniftros tuos ignem uréntem; * Magnificátus es vehementer. Glória. ℟. Dómine. *Ps.* 103.

℣. Dóminus virtútum nobiscum; ℟. Susceptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Angelus meus.

Capitulum. Dan. 3.

BEnedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui credidérunt in eum.

℟. *br.* Dómine, quid est homo, * Quia innotuisti ei? ℣. Aut fílius hóminis, quia réputas eum? * Quia innotuisti ei? Glória Patri. ℟. Dómine. *Ps.* 143.

℣. Minuisti eum pauló minùs ab Angelis; ℟. Constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ ut in II. Vesperis Festi S. Michaelis, suprà, pag. 459.

Capitulum. Job. 33.

DEus viros ínstruit disciplínâ, ut avertat hóminem ab his quæ facit: si fúerit pro eo Angelus loquens, miserébitur ejus, & dicet: Líbera eum: & vidébit fáciem ejus.

Hymn. Regnátor orbis, *ad I. Vesperas.*

℣. Scápulis suis obu

brábit tibi Dóminus. ℟. Et sub pennis ejus sperábis. *Ps.* 90.

Ad Magníf. *Ant* 5. a. Quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Bonis ómnibus per eum repléti sumus. *Tob.* 12.

DIE IV.

In Festo

S. FRANCISCI

Assisinatis, Diaconi, & Institutoris Ordinis FF. Minorum.

Semiduplex.

Omnia de Communi Justorum, p. lx. *exceptis quæ sequuntur.*

Pridiè In Vesperis *fit Commemor. S. Aureæ, Virginis: Ant.* Córpora vestra. ℣. Afferentur. *in Communi Virginum, pag.* lxx. *Oratio* Deus, qui habitáculum, *pag.* lxxvj.

Lectio ij.

JOannes Bernardo, Asísii in Umbria natus, à prima ætáte, patris exemplum secútus, mercatúram fecit, máximè cum Francis, quorum linguâ tam fácilè loquebátur, ut indè Francisci cognómen sortítus sit. Quodam die páuperem, pro Christi amóre flagitantem pecúniam, cùm præter consuetúdinem repulisset, repentè eo facto commótus, largè ei misericórdiam impertívit. Quâ ex die Deo promísit se némini unquam poscenti eleemósynam negatúrum. Deindè post gravem morbum cœpit ardéntiùs cólere offícia caritátis. Quâ in exercitatióne tantùm profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, paupéribus largirétur. Cùm autem illud ex Evangélio audisset: Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas túnicas, neque calceamenta: sibi eam régulam servandam propósuit. Itaque, detractis cálceis, & unâ contentus túnicâ, cùm duódecim sócios adhibuisset, Ordinem Minórum instítuit, conscriptâ régulâ, quam anno millésimo ducentésimo nono Innocéntius tértius, ad quem supplex Franciscus cum sóciis Romam accésserat, confirmávit. Indè reversus habitávit cum iis in tugúrio juxta Asísium: ubi in labóre multo magnáque inópiâ, piis meditatiónibus vacábant. Docébat eos honoráre præcípuâ reveréntiâ Sacerdótes, & fídei quam Romána tenet Ecclésia fírmiter adhæréscere. Jubébat quoque mulíerum familiaritátes, collóquia & aspectus

sollicítiùs evitári, ásserens frívolum esse mulíeris collóquium, exceptâ solâ confessióne, vel instructióne brevíssimâ. Otium, ómnium malárum cogitatiónum sentínam, summópere fugiendum prædicábat; dicebátque: Volo fratres meos laboráre, & exercitári, ne ótio déditi per illícita corde aut linguâ vagentur. Eosdem duxit pósteà ad sanctam Maríam Angelórum: undè in finítimis locis regnum Dei annuntiábat, dícere sólitus, salúti animárum nihil esse anteponendum. Martyrii cúpidus trajécit in Syriam, ubi à Meledíno Babylónis Ægypti soldáno liberalíssimè exceptus, cùm nihil profíceret, rédiit in Itáliam. Gráviter ægrótans deferri vóluit in Ecclésiam sanctæ Maríæ Angelórum; ut ubi grátiæ spíritum à Deo accéperat, ibi spíritum vitæ rédderet. Eo in loco, Psalmum illum pronúntians: Voce meâ ad Dóminum clamávi; in eo versículo, Me expectant justi, donec retríbuas mihi; efflávit ánimam, anno Christi millésimo ducentésimo vigésimo sexto. Miráculis clarum *Gregórius nonus* paulò *póst in Sanctórum númerum rétulit.*

De S. Aurea.

Ex sancto Audoéno, Epíscopo.

Lectio iij.

CŒpit Elígius intra domum suam quam Paríſiis ex múnere regis percéperat, Vírginum Christi ædificáre domicílium. Ibi districtam régulæ disciplínam constítuens, usque ad trecentárum númerum puellárum ex nobilióribus Fránciæ dómibus, congregávit. Illis Abbatissam Deo dignam, Auream nómine, præfécit. Cùm autem nefanda clades Parísios depopularétur, nonnullæ Vírgines ex Monastério sancti viri, ubi præerat Aurea, mórtuæ sunt: tandem ipsa Aurea ad núptias Agni vocáta est ab ipso Elígio cum centum & sexaginta ex suis soróribus, & sepulta est in Basílica sancti Pauli quam Elígius ædificáverat ad ancillárum Christi córpora sepelienda; deindè in Monastérium sancti Elígii honorificè redúcta.

Oratio.

DEus, qui te párvulis & humílibus reveláre non dedignáris; tríbue nobis, quæsumus, imitatióne beáti Francisci, & stultam hujus mundi dedíscere sapiéntiam, & solum edíscere Jesum Christum c

cifixum; Qui tecum vivit.

In Laud. *Pro Commemorat. S. Aureæ, Virginis, Ant.* Exultábit. ℣. Lætábor. *Oratio*, Deus, qui, *in Communi Virgin. p.* lxxvj.

DIE VI.

In Festo

S. BRUNONIS,

Monachi, & Institutoris Ordinis Carthusiensis.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Monachorum, pag. lj. *exceptis quæ sequuntur.*

Oratio Sancti Brunonis, *infrà ad Laudes.*

Pridiè In Vesper. *pro Commem. S. Fidis, Virg. & Martyris. Ant.* Infirma. ℣. Hæréditas, *in Communi Virginum, pag.* lxix.

Oratio, Præsta, *infrà ad Laudes.*

Lectio ij.

Bruno, Colóniâ oriundus, in liberálibus disciplínis instructus, magnórum studiórum Rector Remis fuit, & Remensis Ecclésiæ Canónicus. Solitúdinis amóre flagrans cum sex áliis in Carthúsiæ erémum Diœcésis Gratianopolitánæ secessit, ubi ædificátâ Ecclésiâ, & claustro, habébant síngulas cellas per claustri gyrum próprias; siléntio, oratióni, lectióni, óperi mánuum, & máximè libris scribendis vacantes. Erat victus eórum parcíssimus, & contínua ferè jejúnia: cilício induebantur ad nudum; vestes eórum angustæ erant & hirsútæ. Post exactum in hoc secessu ferè sexénnium, Bruno, cogente Urbáno secundo Papâ, ad Románam cúriam venit, Pontíficem consílio in Ecclesiásticis negótiis adjutúrus. Sed cùm tumultus, & mores cúriæ ferre non posset, solitúdinis & quiétis amóre impulsus, relictâ cúriâ, rejecto étiam Rhegiensis Ecclésiæ Episcopátu, ad quem, ipso Papâ volente, electus fúerat, in Calábriæ erémum, cui Turris nomen est, secessit, ibíque cléricis ac láicis quàmplúrimis adunátis, solitáriam vitam ad mortem professus est. Morti próximus fidei suæ professiónem coram frátribus édidit; eámque contra errórem Berengárii conclúsit his verbis: Credo étiam Sacramenta quæ sancta credit & venerátur Ecclésia, & nominàtim panem & vinum quæ consecrantur in Altári, post consecratiónem verum Corpus esse Dómini nostri Jesu Christi, veram Carnem & verum Sánguinem: quæ & nos recípimus in remissiónem peccatórum nostrórum, & in spem salútis

æternæ. Quiévit in Dómino, anno milléſimo centéſimo primo.

De ſancta Fide.

Lectio ij.

Fides, Aginni ad Garumnam nobílibus paréntibus nata, ab infántia in fide Chriſti & pietátis exercítiis inſtitúta eſt. In perſecutióne Diocletiáni & Maximiáni accusáta quòd Chriſtum cóleret, ultrò & ſatellítibus ſe óbtulit; &, ſigno crucis in ore, fronte & péctore ſe múniens, coram Daciáno præſide Chriſtiánam fidem profeſſa eſt. Cùm eam Præſes blandítiis & munéribus, ut Diánæ ſacrificáret, fruſtrà tentaſſet, in lectum æreum inferri, atque igne torquéri juſſit. Igitur cratículam Virgo conſcendit; ibíque caténis conſtricta eſt, ſubjectis ardéntibus prunis, & ádipe ſuperfúſo, ut flamma aduſtis membris tenáciùs inhæréret. Sed repentè copióſo imbre ignis extinctus eſt. Cùm ergo à flammis divínâ virtúte illæſa exiiſſet, amputáto cápite, martyrium explévit. Corpus ejus Conchas, vicum in Ruthénis, in monaſtérium ejus nómine célebre póſteà delátum eſt.

Oratio.

Sancti Brunónis, quæſumus, *Dómine*, interceſſiónibus adjuvémur; ut qui majeſtátem tuam gráviter delinquendo offéndimus, ejus méritis & précibus noſtrórum delictórum véniam conſequámur; Per Dóminum.

Ad Laud. *Pro Commem. ſanctæ Fidis Virg. & Mart. Ant.* Caſta generátio. ℣. Deus præcinxit, *in Communi Virginum, pag.* lxxv.

Oratio.

Præſta, quæſumus, Dómine, ut ſicut divína laudámus in beátæ Vírginis Fidis paſſióne magnália, ſic indulgéntiam tuam piis ejus précibus aſſequámur; Per Dóminum.

DIE VIII.

In Feſto

SCTÆ BENEDICTÆ, Virginis & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, Omnípotens, *infrà.*

Lectio viij.

Benedicta Virgo pro Chriſto paſſa eſt in vico Auriniáco Diœcéſis Laudunenſis ad Iſaram amnem, ibidémque ſepulta. Ibi Cárolus Calvus, accedente, ad Hermintrúdis regínæ preces, Párduli Laudunenſis Epíſcopi conſilio, puellárum cœnóbio

in honórem beáti Petri Apóstoli, beatæque Benedíctæ ædificávit. Sanctæ vírginis relíquiæ à Garnéto Laudunensi Epíscopo in capsa argéntea depósitæ primùm sunt, ac pósteà in áliam deaurátam, multóque pretiosiórem translátæ.

Orátio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui éligis infirma mundi, ut fórtia quæque confundas; da nobis in festivitáte sanctæ Mártyris tuæ Benedíctæ cóngruâ devotióne gaudére: ut & poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, & provísum nobis percipiámus auxílium; Per Dóminum.

DIE IX.

In Festo

SS. DIONYSII,

primi Parisiensis Epíscopi, RUSTICI Presbyteri & ELEUTHERII Diaconi, Martyrum.

Semiduplex.

[*In Cathedr. Duplex II. Claſſ. In I. Noct. Lect. de Scriptur. occurr. In II. Noct. tres Lect. de duabus infrà positis, divisione factâ ad asteriscos* ***. Dionysius. * Patefacto. ** Sisinnius Dionysium. *Cetera de Communi plurium Martyrum, pag.* xvij. *servato ritu Duplici II. Claſſ.*]

Omnia de Communi plurium Martyrum, pag. xvij. *Orat.* Deus, *infrà.*

Lectio ij.

DIonysius à Románo Pontífice Géntium Epíscopus ordinátus, cum Tróphimo, Saturníno, & áliis quátuor ad prædicandum in Gállias ante Deciórum impérium, missus est. Appulisse septem in Províncíam Narbonensem, & Christiáni nóminis reveréntiam Arelatensi primùm Urbi exhibuisse vetus Eccléſiæ Gallicánæ tradítio est. Dionysius autem ad últimos Célticæ fines lóngiùs céteris progressus, Lutétiam Parisiórum, ut in Parisiensi de imagínibus Concílio légitur, cum discípulis duódecim advénit. * Patefacto sibi per vária mirácula prædicatiónis áditu, postquàm cives non exíguo número Christo subjécit, adlégit ex eis minístros, quibúscum curam pópuli partirétur; atque ita Eccléſiam quæ necdùm illis in locis fúerat, ex clero & pópulo secundùm formam Apostólicam instítuit, quam ipse auctoritáte Episcopáli primus administrávit. Sed neque semper intra Parisiórum fines se contínuit. Meldensem quippè Eccléſiam adunasse, eámque aliquándiu

iù rexisse créditur.
lagi quoque aliquan-
sse, ibique altáre in
pio dedicasse collí-
è título quodam in-
o petræ quæ, dum
ia Clotildis novum
cónderet Monasté-
in fundamentis altá-
ius reperta est. Pari-
versum gravis súbitò
cídua præsertìm or-
irte mota persecútio
it, cujus minister in
irtibus, Lugdunensis
Gálliæ Præses Sisin-
Fescennínus extitisse
tur.

** *Lectio iij.*

innius Dionysium ad
cem inquíri jussit, &
is cum Rústico Pres-
o, & Eleuthério Diá-
repertum cárceri man-
i, donec eum audí-
um, quæstióne hábi-
dmotísque tormentis,
uàm se nihil profice-
tellexit, & fide Már-
n tormentórum vim,
rberum injúrias supe-
cápita illis amputári
séptimo Idus Octó-
Córpora eórum in Sé-
àm prójici jussa, ma-
a quædam Evangélii
a amplexári méditans
militibus secum ave-
& sexto ab urbe lá-
sepelívit. Illîc dein-
Basílica à Christiánis
*ucta magnificentíssi-*mè à Dagoberto rege in-
staurata est; & Mártyrum
túmulus, arte & óperâ
beáti Elígii decorátus; ad
quem Dagobertus primùm
& exindè céteri Francó-
rum Reges, Mártyrum pa-
trocíniis regno speciáliter
dicáto tumulári ambiérunt.
Erectæ verò ubíque passìm
sancto Dionysio Gallórum
Apóstolo Ecclésiæ.

Oratio.

Deus, qui hodiernâ die beátum Dionysium Mártyrem tuum atque Pontíficem virtúte constántiæ in passióne roborasti; quíque illi ad prædicandum géntibus glóriam tuam Rústicum & Eleuthérium sociáre dignátus es; tríbue nobis, quæsumus, ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre; Per Dóminum.

Die XIV.

In Festo S. CALLISTI, Papæ & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *Orat.* Omnipotens, *pag.* xv.

Lectio iij.

Callistus Romanæ Ecclésiæ post Zephyrinum præfuit, Alexand Imperatóre. Vária

Christi nómine pértulit; ac demùm per fenestram domûs præceps missus est, & in púteum demersus, cùm quinquénnium in Petri Cáthedra sedisset. Ejus córporis Relíquiæ in Gálliam allátæ, in Ecclésia Remensi coluntur. Romæ, Templum ædificávit in honórem parentis Beátæ Maríæ Vírginis; & viâ Appiâ, extat cœmetérium ejus nómine nuncupátum, in quo plúrimi Mártyres sepulti sunt, quod ipse vel fecit, vel ampliávit, favente Christiánis Alexandro Imperatóre, cujus mater Maméa, teste Lampridio, Christi fidem profitebatur.

DIE XV.

In Festo

S. THERESIÆ,

Virginis & Instauratrícis Ordinis Carmelitáni.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij. *exceptis quæ sequuntur.*

Oratio, Deus, *infrà.*

Lectio ij.

THerésia, Abulæ in Hispánia nata, ex perlectis in ténera ætáte Mártyrum actis magnum hausit pietátis sensum, qui póstea tum equéstrium fabellárum lectióne, tum affinium consuetúdine, imminútus, ita monialium quarum disciplínæ commissa fúerat, institutióne, & Epistolárum beáti Hierónymi lectióne revixit, ut vigésimo secundo ætátis anno in Abulensi Carmelitárum cœnóbio vitæ religiósæ votum emíserit. Ibi humilitátis & caritátis, máximè erga infirmas sorórcs, opéribus, patientiáque singulári in váriis tentatiónibus gravibúsque morbis per annos ferè viginti perferendis, excélluit. Cùm tamen aliquándiù, seculárium familiaritáte, oratiónis intermissióne, & imperítiâ confessariórum áliquid de fervóre pietátis remisisset; tandem ex lectióne Confessiónum sancti Augustíni, ad Deum pénitùs reversa, ingentes in virtúte progressus fecit.... Multis exindè illustratiónibus à Deo donáta est; quas tamen superiórum arbítrio subjiciébat, dícere sólita: se in revelatiónibus décipi posse, in obediéntia neútiquàm. Tanto patiendi tenebátur desidério, ut eos à quibus lædebátur, máximè diligeret, ac sæpè exclamáret: Dómine, aut pati, aut mori.

Lectio iij.

ORdinis Carmelitárum reformatiónem aggressa, multa virórum ac mulierum

ım monaftéria, plú-
›b id contumélias
inftítuit. Infignem
ine cooperatórem
ſt, Joannem à Cru-
m, admirandæ ſan-
, & patiéntiæ vi-
ui tamen ejus exem-
úrimùm ſe profe-
ſpiritális propóſiti
ióne ſæpiùs teftá-
Cujus perfectiónis
ım Therésia tam al-
ꞈo infixit, ut vo-
:íſerit efficiendi ſem-
dquid perféctius in-
:et. Soróribus ſuis
ıem adversùs graſ-
tunc hæreſes, labó-
ánuum, & pauper-
údium, commendá-
ıbilque cárius há-
uàm ut vírgines ſine
admítteret. Libros
cœleftem pietátem
es. Albæ ad Tormim
bens, Ecclésiæ Sa-
ıtis munita, ánimam
éddidit, ipsâ nocte
ter quartum & déci-
quintum Octóbris
(ob detractos in
lárii reformatióne
lecem) intercedé-
anno ſalútis milléſi-
ıingentéſimo octo-
ı ſecundo, ætátis ſe-
no octávo. Eam an-
ıoſt óbitum mirácu-
ram *Gregórius* dé-
quintus Sanctis aſ-

Oratio.

Deus, qui beátæ Theréſiæ Vírginis exemplo & mónitis, ſervos tibi, & ancillas ſuſcitaſti, quibus ſpíritum precum, & mundanórum ómnium contemptum infúnderes; da nobis, ejus précibus & imitatióne, veræ perfectiónis deſidério accendi, & cœleſtis doctrínæ pábulo nutríri; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem Spíritûs.

VESPERÆ de Feſto ſequenti. Commem. S. Thereſiæ.

DIE XVI.

In Feſto

S. MOMMOLENI,

Noviomenſis Epiſcopi.

Duplex III. Claſſis.

Omnia de Communi Pontificum, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Mommolénus Conſtántiæ ad Rhenum nóbili génere natus, litteris & pietáti ab adoleſcéntia déditus, magnos in utriſque progreſſus fecit. Ebertramnum & Bertínum, adoleſcentes, móribus ſibi ſimíllimos, ſócios hábuit; quibúſcum, poſt decurſa litterárum curricula, conſílium inívit ómnibus valedicendi, ut Chriſto

hærérent, illíque soli servírent. Relíctis ergò ómnibus ad Monastérium Luxoviense cónvolant, ibíque, sub disciplína Waldeberti, tértii à sancto Colùmbáno Abbátis, vitam monásticam amplexáti sunt. Mirum quàm magnos in virtúte, per sexénnium, novi alumni progressus habuérunt. Quod videns Waldebertus, hómines Ecclesiásticis disciplínis & sacris Lítteris erudítos, ministros fore Ecclésiæ utilíssimos arbitrátus est, illósque ad sacrum Presbyterátûs órdinem promovéndos curávit.

℟. Ego sequester * Et médius fui inter Dóminum & vos, ut annuntiárem vobis verba ejus. ℣. Ecclésiæ factus sum ego minister secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. * Et médius. *Deut.* 5. *Coloss.* 1.

Lectio v.

Mommolénus ejúsque sócii, divíno instrúcti múnere, ut se dignos Evangélii ministros exhibérent, jejúniis, oratiónibus & vigíliis toto triénnio totos se dedérunt. Quo témpore elapso, ad beátum Audomárum, qui è Luxoviensi mónacho Morinensis Epíscopus factus fúerat, venérunt, eúmque in excolendo agro Domínico miríficè adjuvérunt. Annos ferè novem Evangélicæ prædicatióni impénderant, cùm beátus Audomárus Sitivense monastérium cóndidit, quò illi se post sacras excursiónes recíperent, mentem váriis curis distractam collígerent, & álios Deò servíre perféctè docérent. Huic monastério præfectus Mommolénus omnes óptimi patris partes abundè implévit. Tanta fuit ejus abstinéntia, ut post lónga jejúnia pane hordeáceo, eóque exíguo, & lácrymis delibúto vix famem leníret.

℟. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. * Libentíssimè impendam, & superimpendar ipse pro animábus vestris. ℣. Absit à me hoc peccátum, ut cessem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam. * Libentíssimè. *II. Cor.* 12. *I. Reg.* 12.

Lectio vj.

Novem annis jam præfúerat Mommolénus, cùm propter singuláres virtútes ad Episcopátum vocátus est. A beáto Elígio morti próximo, multis cum lácrymis à Deo postulátus est, & successor designátus. Ei delátæ sunt

fulæ Noviomenses & Tornacenses. Quàm verò fidéliter novum munus impléverit, quantíque fúerint ejus labóres ex beáto Audoéno patet, quippè qui illum virum Apostólicum núncupat. Secundo sui Pontificátûs anno, corpus beáti Elígii è terra levávit, & loco dignióri collocávit. Eódem ferè témpore Ebertramnum, hóminem sanctíssimum ad se accersívit, & sancti Quintíni monastério præfécit. Cursu tandem consummáto, sentiénsque tempus resolutiónis suæ instáre, assuétæ humilitátis memor, corpus suum in commúni cœmetério sepelíri jussit. Clerus autem, ob eminentem tanti Præsulis sanctitátem, in Basílica sanctórum Apostolórum Petri & Pauli honoríficè sepelívit in Oratório sancti Geórgii, ubi ad ejus túmulum virtútes multas osténdit Deus.

℟. Caríssimi, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte: quæ & didicístis, & accepistis, & audístis, & vidistis in me, hæc ágite; * Et † Deus pacis erit vobiscum. ℣. Judícium Patris audíte, fílii; & sic fácite ut salvi sitis. * Et. Glória Patri. † Deus pacis. *Philipp.* 4. *Eccli.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Evangelium & Homilia, ut in Communi SS. Pontific. pag. xxx.

Oratio.

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi Mommoléni pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per Dóminum.

DIE XVIII.

In Festo
SANCTI LUCÆ,
Evangelistæ.

Duplex III. Classis.
Psalmi de Feria in toto Officio.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 1. toni, a.

ECce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem. *Nahum.* 1.

Ant. 6. F. Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! *Rom.* 10.

Ant. 7. *d.* Vox speculatórum: levavérunt vocem, simul laudábunt; quia consolátus est Dóminus pópulum suum. *Is.* 52.

Ant. 4. E. Ostendit vobis pactum suum quod præcépit ut facerétis, & verba scripsit. *Deut.* 4.

Ant. 8. g. Consummá-

tur mystérium, sicut evangelizávit per servos suos. *Apoc.* 10.

Capitulum. Ezech. 1.

Vidi, & ecce nubes magna, & ignis involvens: & de médio ejus quasi spécies electri, & in médio ejus similitúdo quátuor animálium.

Hymnus.

Christi perennes núntii,
Retecta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis.

Olim sub umbris cóndita,
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidistis hæc pleno die.

Humana quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legenda pósteris,
Dictante, scripsistis, Deo.

Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus:
Et quisque pro ductu Dei,
Scribendo Christum réddidit.

Nos ut docéret, índuit
Vocis sonos Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

Uni sit & Trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, álios verò Evangelistas, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi. *Ephes.* 4.

Oratio Intervéniat, *infrà ad Laudes, pag.* 489.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum dantem Evangelistas ad consummatiónem Sanctórum, * Veníte, adorémus. *Ephes.* 4.

Psalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Christi perennes, *suprà in I. Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Ecce sedes pósita erat in cœlo: & in circúitu sedis quátuor animália plena óculis, antè & retrò. *Apoc.* 4.

Ant. 8. c. Aspectus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, & quasi aspectus lampadárum. *Ezech.* 1.

Ant. 7. d. Ubi erat ímpetus Spíritûs, illùc gradiebantur: nec revertebantur cùm ambulárent. Ezech. 1.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquen-

tur; ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

Lectiones de Script. occurr.

℟. j. Scribe, & in libro diligenter exára; & erit * In testimónium usque in ætérnum. ℣. Quæ audísti, hæc commenda fidélibus homínibus qui idónei erunt & álios docére. * In testimónium. *Is.* 30. *II. Tim.* 2.

℟. ij. Multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum, sicut tradidérunt nobis * Qui ab inítio ipsi vidérunt & minístri fuérunt sermónis. ℣. Quanta audívimus & cognóvimus ea, & patres nostri narravérunt nobis! * Qui ab inítio. *Luc.* 1. *Ps.* 77.

℟. iij. Scriba velox in lege: * Parávit cor suum ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret præceptum & judícium. ℣. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. * Parávit. Glória Patri. * Parávit. *I. Esdr.* 7. *Matth.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In fide veritátis Deus vocávit vos per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri *Jesu* Christi. *II. Thess.* 2.

Ant. 5. a. *Spem* quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo veritátis Evangélii quod pervénit ad vos. *Coloss.* 1.

Ant. 8. g. Dignè Evangélio Christi conversámini, in uno spíritu unánimes, collaborántes fídei Evangélii; quia vobis donátum est ut in eum credátis. *Philipp.* 1.

℣. Judícia Dómini vera; ℟. In custodiéndis illis retribútio multa. *Ps.* 18.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv. Cap. 7.

Lucas, médicus Antiochénsis, Græci sermónis, ut ejus scripta índicant, non ignárus fuit. Sectátor Apóstoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes, scripsit Evangélium de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et ad Colossénses: Salútat vos Lucas médicus caríssimus. Et ad Timótheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit Volúmen egrégium, quod título Acta Apostolórum prænotátur: cujus históría usque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. E quo intellígimus in eâd

urbe librum esse compósitum.

℟. Sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, * Testificáti sumus, ut ambularétis dignè Deo. ℣. Audíte ergo, filii: servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi. * Testificáti. *I. Thess.* 2. *Tob.* 14.

Lectio v.

Igitur períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti leónis fábulam, inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut indivíduus Comes Apóstoli, inter céteras ejus res hoc solùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicínus eórum témporum, refert Presbyterum quemdam in Asia amatórem Apóstoli Pauli, convictum apud Joannem, quòd auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amóre fecisse, ob id loco excidisse.

℟. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério quæ abscóndita est; nobis autem revelávit Deus * Per Spíritum suum. ℣. Non facit Dóminus Deus verbum, nisi reveláverit secrétum suum ad servos suos. * Per Spíritum suum. *I Cor.* 2. *Amos*, 3.

Lectio vj.

Quidam suspicantur, quotiescumque in Epístolis suis Paulus dicit, Juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine: & Lucam non solùm ab Apóstolo Paulo didicisse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat; sed & à céteris Apóstolis. Quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipsi vidérunt, & ministri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit: Acta verò Apostolórum, sicut víderat ipse, compósuit. Sepultus est Constantinópoli, ad quam urbem, vicésimo Constántii anno, ossa ejus cum Relíquiis Andréæ Apóstoli translára sunt.

℟. Non sumus sicut plúrimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sed * Sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur. ℣. Sermo Dei ignítus, clypeus est sperántibus in se: ne addas quidquam verbis illíus, & arguáris, inveniarísque mendax. * Sicut ex Deo. Glória. * Sicut. *II. Cor.* 2. *Prov.* 30.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Spíritus Dómini locutus est super me.

& sermo ejus per linguam meam. *II. Reg.* 23.

Ant. 2. D. Vox mea ad fílios hóminum: Accípite disciplínam meam; doctrínam magis quàm aurum elígite. *Prov.* 8.

Ant. 1. a. Suscípite ínsitum verbum quod potest salváre ánimas vestras. *Jac.* 1.

℣. Atténdite, pópule meus, legem meam; ℟. Inclináte aurem vestram in verba oris mei. *Ps.* 77.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

QUóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. sec. Luc. libr. 1. §. 2. & 3.

ECclésia, cùm quátuor Evangélii libros hábeat, per universum mundum Evangelistis redundat. Hæreses, cùm multa hábeant, unum non habent: multi enim conáti; sed Dei grátiâ destitúti sunt.... Conáti útique illi sunt, qui implére nequivérunt. Ergo multos cœpisse, nec implevisse, étiam sanctus Lucas testimónio locupletióre testátur dicens *plúrimos esse conátos.* Qui enim conátus est ordináre, suo labóre conátus est, nec implévit.

℟. Evangélii factus sum miníster, secundùm donum grátiæ Dei, * Ut innotescat multiformis sapiéntia Dei, quam fecit in Christo Jesu. ℣. Non abscondam sacraménta Dei; ponam in lucem sciéntiam illíus. * Ut. *Ephes.* 3. *Sap.* 6.

Lectio viij.

SIne conátu, sunt enim donatiónes, & grátia Dei, quæ ubi se infúderit, rigáre consuévit; ut non égeat, sed redundet Scriptóris ingénium. Non conátus est Matthæus, non conátus est Marcus, non conátus est Joannes, non conátus est Lucas: sed, divíno Spíritu ubertátem dictórum rerúmque ómnium ministrante, sine ullo molímine cœpta complérunt.

℟. Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. * Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? ℣. Ubi est litterátus? ubi legis verba pónderans? ubi doctor parvulórum? * Nonne. Glória. * Nonne. *I. Cor.* 1. *Is.* 33.

Lectio ix. §. 10.

VIsum est, inquit, mihi. Potest étiam

soli visum esse, quod visum sibi esse declárat. Non enim voluntáte tantùm humánâ visum est; sed sicut plácuit ei qui in me, inquit, lóquitur Christus: qui, ut id quod bonum est, nobis quoque bonum vidéri possit, operátur; quem enim miserátur, & vocat. Et ídeò qui Christum séquitur, potest, interrogátus cur esse volúerit Christiánus, respondére: Visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum: à Deo enim præparátur voluntas hóminum: ut enim Deus honorificétur à sancto, Dei grátia est. Déniquè plúrimi voluérunt scríbere Evangélium: sed quátuor tantúmmodò, qui divínam meruérunt grátiam, sunt recepti.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni*, f.

SErmónem feci de ómnibus quæ cœpit Jesus fácere & docére, usque in diem quâ assumptus est. *Act.* 1.

Ant. 2. D. Visum est & mihi assecúto ómnia à princípio diligenter, ex órdine scríbere. *Luc.* 1.

Ant. 5. a. Hæc ómnia liber vitæ, & testamentum Altíssimi, & agnítio veritátis. *Eccli*, 24.

Super Canticum Quàm pulchri, *in Communi Apostolorum*, *pag.* v.

Ant. 3. a. Beátus qui in istis versátur bonis: qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper. *Eccli.* 50.

Ant. 6. F. Hæc scripta sunt, ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei; & ut credentes vitam habeátis in nómine ejus. *Joann.* 20.

Capitulum. Josue, 1.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo: sed meditáberis in eo diébus, ac nóctibus, ut custódias, & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges viam tuam, & intélliges eam.

Hymnus.

SInæ sub alto vértice,
Cœlo tonante, lex data:
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.
Nunc, temperáto Nú-mine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.
Insculpta saxo lex vetus
Præcepta, non vires dabat:
Inscripta cordi lex nova,
Præcepta dat cum víribus.
Scripsístis hanc fidâ manu:
Hanc voce, vocis [illegible]
[illegible]

Hanc prædicastis móribus:
Signastis hanc & sánguine.
Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis;
Hæc ille nostris ímprimat
Delenda nunquàm córdibus.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Ignítum elóquium tuum vehementer, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Illíus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias: & ordinátus est ab Ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ, in hanc grátiam quæ ministrátur à nobis. *II. Cor.* 8.

Oratio.

INtervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelista, qui crucis mortificatiónem jugiter in suo córpore, pro tui nóminis honóre portávit; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Sermónem feci.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Visum est mihi.

Capitulum. Ephes. 3.

MIhi data est grátia hæc: In géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à séculis in Deo qui ómnia creávit.

℟. *br.* Eructávit cor meum * Verbum bonum: ℣. Dico ego ópera mea Regi. * Verbum bonum. Glória. ℟. Eructávit.

℣. Lingua mea cálamus scribæ, ℟. Velóciter scribentis. *Ps.* 44.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Hæc ómnia.

Capitulum. Baruch. 4.

HIc liber mandatórum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta, * Convertens ánimas. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Convertens ánimas. Glória. ℟. Lex Dómini.

℣. Præceptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Hæc scripta sunt.

Capitulum. Coloss. 1.

VOluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in géntibus quod est Christus, in vobis spes glóriæ.

℟. br. Suscitávit Dóminus * Testimónium in Jacob; ℣. Et legem pósuit in Israel. * Testimónium in Jacob; Glória. ℟. Suscitávit. Ps. 77.

℣. Notum fecit Dóminus Salutáre suum; ℟. In conspectu géntium revelávit justítiam suam. Ps. 97.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 4. toni, E.

Testimónium præbuit in conspectu Dómini & Christi. Eccli. 48.

Ant. 7. a. Testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi. *Apoc.* 1.

Ant. 1. G. Perambulábat confirmans, Ecclésias, præcipiens custodíre præcepta Apostolórum. *Act.* 15.

Ant. 5. C. Hic est qui fuit in Ecclésia, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

Ant. 3. a. Apériens os suum, evangelizávit Jesum. *Act.* 8.

Capitulum. Ephes. 3.

Audistis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quóniam, secundùm revelatiónem, notum mihi factum est sacramentum, sicut scripsi in brevi: prout potestis legentes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi.

Hymnus Sinæ sub alto, *supra ad Laudes, pag.* 485.

℣. Veritátem tuam & Salutáre tuum dixi: ℟. Non abscondi misericórdiam tuam & veritátem tuam. *Ps.* 39.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Lucas est mecum solus: omnes me dereliquérunt, Dóminus autem astitit, & confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, & aúdiant omnes gentes. *II. Tim.* 4.

DIE XXI.
In Festo
S. CELINIÆ,
Matris S. Remigii.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Mulierum, pag. lxxix.

Oratio, Sanctæ Celiniæ. *infrà.*

Pridie In Vesper. *pro Commemorat. SS. Ursulæ & Sociarum, Virginum & Martyrum, Ant.* Infirma. ℣. Hæréditas, *in Communi, pag.* lxix. *Orat.* Deus, *infrà.*

Lectio iij.

Celínia, virtútibus ornáta, in ipso ætátis flore Æmílio nóbili viro sacro connúbii fœdere juncta fuit, ipsíque adhuc adoléscens péperit sanctum Princípium, Suessionensem póstea Epíscopum. Jam ætáte provecta, viróque

ejus Æmílio sénio confecto, à quodam sanctíssimæ vitæ Anachorétâ, Montáno nómine, núntium accépit, quòd brevi prolem conciperet, & signáto témpore páreret fílium qui Gallicánæ Ecclésiæ Barbarórum incursiónibus desolátæ, solátium afferret, regésque & pópulos Christi fidem edocéret, ac Dei cúltui consecráret. Quæ ómnia, ex divíno Oráculo, ut prædixerat Montánus, successérunt. Celínia enim dicto témpore púerum in lucem édidit, eíque Remígii nomen impósuit, qui hoc vaticínium, progrediénte ætáte, mirificè adimplévit. Celínia méritis cumuláta migrávit ad Dóminum. ¶ Hódie étiam cólitur memória sanctæ Ursulæ, quæ & Saula, Marthæ Virginúmque aliárum plúrium, quæ in excídio Británniæ, de quo Gildas sápiens scripsit, cùm plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in adversum Germániæ littus delátæ sunt, & à Bárbaris qui eam regiónem tunc vastábant, hostíliter abductæ, propè Colóniam Agrippínam ad ripam Rheni, pro Christi nómine occísæ sunt. Eárum córpora sepulta sunt *Colóniæ, ubi plúrimis nobilitáta miráculis*, magnâ fidélium veneratióne coluntur.

Oratio.

SAnctæ Celíniæ, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos fovéri; ut cujus venerábilem festivitátem devóto celebrámus obséquio, ejus intercessiónibus commendémur, & méritis; Per Dóminum.

In Laud. *pro Commem. SS. Ursulæ & Soc. Ant.* Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini; ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solius. *Ps.* 148.

Oratio.

DEus, qui singulári providéntiâ beátam Ursulam & sócias ejus ad virginitátis & martyrii palmam provexísti; da nobis, eárum intercessióne, ita vários sǽculi æstus pertransíre, ut ad ætérnæ salútis portum felíciter perveníre mereámur; Per Dóminum.

Die XXV.

In Festo SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi

rium Martyrum, *pag.* xvij.
Orat. Concéde, *pag.* xxiij.

Lectio ij.

CRispínus & Crispiniánus fratres, propagandæ fídei stúdio unà cum beáto Quintíno & sóciis in Gállias missi, Suessiónem venérunt. Illîc, ne cuíquam forent óneri, labóre mánuum victum sibi paráre constituérunt. Itaque sutóriam artem, quam, utpotè húmilem & quiétam, suo aptiórem esse ministério putábant, statìm didicêre; ac cùm in ea céteris antecelluissent artifícibus, levíque mercéde contenti essent; frequentem ad se paulátìm pópulum allexêre, venientíque pro occasióne verbum Dei annuntiábant. Erat ergo eórum domus non modò officína labóris, sed & schola doctrínæ & salútis. Deo dante voci eórum virtútem & benedictiónem, plúrimis persuasêre ut, relícto idolórum cultu, Deo vero servírent. Itaque augebátur in dies credéntium númerus, & dum pax & tranquíllitas à princípibus erat, in fide neóphyti confirmabántur. Sed diutúrnam pacem turbávit Maximiáni Hércul's advéntus Suessiónem. Is jubet more suo diligenter conquíri Christiános; ad eum deferúntur Crispínus & Crispiniánus; quos statim comprehensos jussit ad se addúci. Ubi ad tribúnal perducti sunt, eos ille tàm promissis, quàm minis, & pœnárum metu ab eórum propósito deterrére tentávit. Sed cùm sancti fratres Christum intrépidè confiteréntur, & profána sacrifícia constanter respúerent, eos efficacióri ratióne ággredi ac superáre constítuit.

Lectio iij.

ADerat Ríctius Varus, Christiáno sánguine quem in Gálliis passim effúderat, adhuc cruentátus: huic Crispínus & Crispiniánus tradi jubentur, sævissimis quibúsque supplíciis excruciandi. Ille ingénium longo jam usu ad inhumanitátem exercitátum in omnes versávit partes, ut in Crispínum & Crispiniánum nova torménta inveníret. Eos tróchleis exténdi, ac fústibus cædi, súbulas étiam inter carnem & ungues intromítti, pellémque è dorso detrahi jubet. Quamvis autem Mártyrum córpora jam non essent nisi vulnus, nihil tamen de sua in confiténdo Christo libertáte remittébant. Ad álios ígitur cruciátus confúgit devícta Præsídis rábies; sed ab

ipsis cruciátibus, novos ánimos, novásque vires ducébant qui torquebantur; ádeò ut eórum cédere patiéntiæ coacta fúerit omnis júdicis tortorúmque immánitas. Quapropter cùm ii omne suppliciórum genus frustrà consumpsissent, tandem fortíssimis Christi pugílibus caput amputârunt. Horum Mártyrum córpora Suessióne sepulta sunt, eorúmque memóriam pósteà insigni ornamento decorávit sanctus Elígius Noviomensis Epíscopus.

Die XXVII.
In Vigilia
SS. SIMONIS
ET JUDÆ.
Simplex.

Officium de Feria occurr. exceptis quæ sequuntur.

Ad Noct. *Lectiones duæ priores de Script. occurr (è tribus duæ). ℟℟. ex Proprio de Tempore.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.
Lectio iij. Cap 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.
In Joann. tract. 80. n. 1. & 2.

QUid est, Ego sum vitis vera? Numquid addens Vera, hoc ad eam vitem rétulit, undè ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem: quemádmodùm dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, & cétera hujúsmodi, quæ magìs ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cùm dicit: Ego sum vitis vera; ab illa se útique discernit, cui dícitur: Quómodò conversa es in amaritúdinem vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectáta est ut fáceret uvas, fecit autem spinas? Ego sum, inquit, vitis vera, & Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola & vitis? Secundùm hoc ergo vitis Christus, secundùm quod ait: Pater major me est. Secundùm autem id quod ait: Ego & Pater unum sumus; & ipse agrícola est: nec talis, quales sunt, qui extrínsecùs operando exhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecùs incrementum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sed útique Deus est Christus: quia Deus erat Verbum. Undè ipse & Pater

unum sunt. Et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

℞. Dixit Jesus: Ego sum vitis, vos pálmites. * Qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum; quia † Sine me nihil potestis fácere. ℣. In me grátia omnis viæ & veritátis; in me omnis spes vitæ & virtútis; * Qui manet. Glória. † Sine me. *Joann.* 15. *Eccli.* 24.

Preces, flexis genibus.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut sicut Apostolórum tuórum Simónis & Judæ, glorиósa natalítia prævenímus, sic ad tua benefícia promerénda majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant; Per Dóminum.

Fiunt Suffragia.

Die XXVIII.

In Festo SS. Simonis et Judæ, Apostolorum.

Duplex III. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, pag. j. exceptis quæ sequuntur.

Oratio, Deus, qui. *infrà.*

In I. Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri in Matthæum.

Lectio iv. Libr. 1. *Cap.* 10.

Simon Cananæus, de vico Cana Galilææ ubi aquam Dóminus vertit in vinum: ipse est qui in álio Evangelista scríbitur Zelótes; Cana quippè zelus interpretátur... Thaddæus ab Evangelista Luca Judas Jacóbi dícitur: & álibì appellátur Lebbæus, quod interpretátur Córculum: credendúmque est eum fuisse trinóminem: sicut Simon Petrus, & filii Zebedæi, Boanergès, ex firmitáte & magnitúdine fídei, nomináti sunt.

Ex libro ejusdem sancti Hierónymi, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio v. Cap. 4.

Judas frater Jacóbi parvam quæ de septem Cathólicis est, Epístolam relíquit. Et quia de libro Enoch qui apócryphus est, in ea assúmit testimónium, à plerísque rejícitur: tamen auctoritátem vetustáte jam & usu méruit, & inter sanctas Scriptúras computátur.

Ex libello sancti Adónis Epíscopi, de Festivitátibus Apostolórum.

Lectio vj. Cap. 11.

THaddæus apud Mesopotámiam, Simon verò apud Ægyptum tráditur prædicasse. Indè simul Pérsidem ingressi, cùm fidei Christi innúmeram gentis ipsíus multitúdinem subdidissent, & Ecclésiam Dómini latè jam fundátam vidérent; martyrium ibi, cursum témporis explentes, beáto certámine consummavérunt. Honorífìcè sepulti sunt à pópulis Christiánis quos Dómino ipsi genúerant.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore: Dicit Jesu Judas, non ille Iscariótes: Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es nobis teipsum, & non mundo? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 76. in Joann. Evang. §. 1. & 2.

INterrogávit Jesum Judas, non ille tráditor ejus, qui Iscariótes cognominátus est, sed cujus Epístola inter Scriptúras Canónicas légitur: Dómine, *quid factum est*, quia nobis *manifestatúrus* es teipsum, & non mundo? Simus cum ipsis tanquàm interrogantes discípuli, communémque Magistrum audiámus & nos. Judas enim sanctus, non immundus, nec insectátor Dómini, sed sectátor, causam quæsivit quare se non mundo, sed suis manifestatúrus esset Jesus: quare adhuc módicùm, & mundus non vidéret eum, ipsi autem vidérent eum. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis díligit me, sermónem meum servábit: & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus.

Lectio viij. §. 4.

FAcit in sanctis cum Patre & Filio sanctus étiam Spíritus mansiónem: intùs útique tanquàm Deus in templo suo. Deus Trínitas, Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus véniunt ad nos, dum venímus ad eos: véniunt subveniendo, venímus obediendo: véniunt illuminando, venímus intuendo: véniunt implendo, venímus capiendo: ut sit nobis eórum non extrária vísio, sed interna; & in nobis eórum non transitória mánsio, sed ætérna.

Lectio ix.

SIc mundo non se Fílius manifestat: mundus e

enim dictus est hoc loco, de quibus continuò subjunxit; Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Hi sunt qui Patrem, & Spíritum sanctum nunquàm vident: Filium autem non ut beatificentur, sed ut judicentur, ad módicum vident; nec ipsum in forma Dei, ubi est cum Patre & Spíritu sancto páriter invisíbilis; sed in forma hóminis, ubi esse vóluit mundo patiendo contemptíbilis, judicando terríbilis.

Oratio.

DEus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuisti; da nobis sanctórum tuórum Simónis & Judæ glóriam sempitérnam proficiendo celebráre, & celebrando proficere; Per Dóminum.

In II. Vesp. *Pro Commem. S. Salvii, Episc. Ant.* Ipsum. ℣. Elégit. *p.* xxvj. *Orat.* Exaudi, *in Communi, pag.* xxxiij.

DIE XXIX.

In Festo

SANCTI SALVII,

Ambianensis Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, p. xxv. *Orat.* Exaudi, *pag.* xxxiij.

Lectio iij.

SAlvius in Ambiánis nóbili génere natus est. Post exactam, seculárium hóminum more, primam ætátem, Deo inspirante, mundi tránsfuga tum máximè blandientis, ut soli Deo militáret, secessit in monastérium, quod ipse in honórem Vírginis Deiparæ & Petri Apóstoli construxerat. Ibi únicum illíus opus erat jejunáre, oráre, subesse frátribus, antíquum hostem quotídie víncere, ánimas Deo lucrári. * Post mortem Abbátis, monastério præfectus quod discípulos docébat, id ipse factis fidéliter explébat. Mórtuo Ambianénsium Præsule, Theodoricus tértius Francórum rex legátos, quorum princeps erat Autgárius Noviomensis Epíscopus, ad Ambiános misit, ut Epíscopum dignum elígerent. Triduánum idcircò indictum est jejúnium, ut dignarétur Deus osténdere quem ipse elegisset Epíscopum. Expléto jejúnio, divínum illud responsum meruére: Sálvium à me sciátis electum, & vobis Antístitem datum. Sic Sálvius per vim è céllula raptus consecratúsque est Epíscopus. ** Hujus múneris partes omnes implévit sanctíssime, commissos sibi pópulos verbis vitæ æternæ pascens, & ad cœle-

ftem pátriam invítans. Ecclésiam, quæ nulla adhuc in urbe erat, sub nómine Apostolórum Petri & Pauli construxit. Beáti Mártyris Firmíni, primi Ambianórum Epíscopi, quem máximè venerabátur, sacras relíquias divínitùs sibi revelátas in eam tránstulit Ecclésiam, quam ipse jam construxerat. Præsul sanctíssimus multis miráculis inclámuit: namque sanábat infirmos, cæcos crucis signáculo illuminábat, paralyticos íntegræ sanitáti restituébat. Cùm urbs Ambianensis penè tota incéndio conflagráret: cives ad Sálvium tum ægrotantem venérunt orantes ut se adjuváret; quibus ille dedit suum sudárium quo flammis oppósito, confestìm restinctum est incéndium. Tandem virtútum ac meritórum plenus obdormívit in Dómino, quinto Calendas Decembris.

DIE XXX.

[*Si sit Sabbatum fit de Vigilia Omnium Sanctorum, cum Officio de Sabbato, ut in Psalterio.*

Ad Noct. *Lectio iij. de Homil. cum suo* ℟.

Ad Laud. *post Hymn.* ℣. Justi. *Ant.* Custódiet, *infrà pag. 506. Preces, flexis genibus. (Et sic ad Horas). Oratio*, Dómine Deus, *infrà pag. 506. Suffragia de S. Cruce & de Pace tantùm.*

¶ Sanquintini; *etiamsi non sit Sabbatum, hodiè fit de Vigilia cum jejunio (nisi sit Dominica) cum Officio de Feria occurrente, additis quæ notantur suprà*].

DIE XXXI.

In Festo

S. QUINTINI, Martyris.

Duplex III. Classis.

[*Sanquintini, Annuale*].

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona 1. toni, D.

Justus quasi leo confidens, absque terróre erit. *Prov. 28.*

Ant. 5. C. In tentatióne Deus illum conservábit; non illidétur quasi in procella navis. *Eccli. 33.*

Ant. 6. F. Firmábit illum, & lætificábit, & thesaurizábit super illum intellectum justítiæ. *Eccli. 4.*

Ant. 3. a. Attulit illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant. *Sap. 10.*

Ant. 4. E. Usque in tempus sustinébit pátiens; & pósteà redditio jucunditátis. *Eccli. 1.*

Capitulum. Iſ. 12.

ECce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus.

[*Ubi ſit Annuale*, ℟. Ipſe Deus & Pater noſter, & Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, * Direxit viam noſtram ad vos. ℣. Benedicti vos à Dómino, qui fecit cœlum & terram. * Direxit. Glória. ℟. Ipſe. *uſque ad* ℣. *I. Theſſ.* 3. *Pſ.* 113.

Hymnus.

NUnc aptáte tubas, súmite tympana:
Quintíno rédiit lux ſacra: pláudite:
Cujus tincta fuit sánguine cívitas,
Sancto pláudite Mártyri.

Tanti quis mémoret prælia mílitis?
Quis tormenta canat dura, nec hórreat?
Paſſus mille neces, ut ſemel óccidat
Divínæ necis æmulus.

Quidquid barbáries, quidquid & ártifex
Pœnárum réperit carníficum furor,
Pœnas inter ovans, ore ſerénior
Forti péctore súſtinet.

Cæcis qui pópulis attúlerat diem,
Tetro nil méritus cárcere cláuditur:
Aras, fana, deos, númina vérteret,
Si non vincla gravant manus.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus;
Præſens Martyribus, qui velut ébriis
Chriſti sánguine das mori.
Amen.

℣. Tríbuat tibi Dóminus ſecundùm cor tuum, ℟. Et omne consílium tuum confirmet. *Pſ.* 19.

Ad Magníf. *Ant.* 6. C. Data eſt ei coróna, & exívit vincens ut vincéret. *Apoc.* 6.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

[*Ubi ſit Ann. Ant.* 8. c. Occupábit ſalus muros tuos, & portas tuas laudátio; & erit tibi Dóminus in lucem ſempiternam. *Iſ.* 60.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. F. Habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta eſt eis. *Iſ.* 9].

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum patiéntiæ & ſolátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15.

Pſalm. Veníte. pag. 2.

Hymnus.

CIVEM Roma suum jam sibi víndicet,
Clarum Patríciis dicat honóribus;
Quintínum répetit, jure vocat suum
Felix Gállia Mártyrem.

LECTA cum júvenum vénerat huc manu:
Desertâ pátriâ, ceu tot Apóstoli,
Cæsis in stygia nocte jacéntibus
Portant lúmina Gálliis.

ILLIS ludus erant propósitæ neces;
Audébant vel oves crédere se lupis:
Omnes unánimâ terríbiles fide
Christo sub duce mílitant.

URBES per médias, sævit ubi furor,
Ardent ire; novos ipsa perícula
Ollis dant ánimos, quis téneat duces
Vitam fúndere pródigos?

QUINTINUS sócios férvidus émicat
Inter, Christi feri duxerat ágminis;
Vertunt, ædíficant, & bona sémina
Spargunt & simul írrigant.

PATRI máxima laus, &c.

[*Ubi fit Annual. Psalm. de Dominica, & sic in reliquo Officio*].

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Audívi vocem Dómini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? & dixi: Ecce ego, mitte me. *Is.* 6.

Ant. 6. F. Dóminus dixit mihi: In gentes nunc ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertantur à ténebris ad lucem. *Act.* 26.

Ant. 2. D. Dixit Spíritus ut irem nihil hæsitans; venérunt autem mecum & sex fratres. *Act.* 11.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Lectiones de Script. occurr.

℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino; * Erit Dóminus fidúcia ejus; non timébit cùm vénerit æstus. ℣. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. * Erit. *Jerem.* 17. *Marc.* 13.

[*Ubi fit Annuale, post reclam. additur* Glória Patri, *& posteà resumitur non reclam. sed* ℟. *usque ad* ℣. *& sic in* iij. vj. *&* viij. *Respons.*]

℟. Fili, omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe, * Et in dolóre sústine. ℣. Certa bonum certámen fidei. * Et in dolóre. *Eccli.* 2. *I. Tim.* 6.

℟. Ne páveas irruentes tibi poténtias impiórum; * Dóminus enim erit in látere tuo. ℣. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. * Dóminus. Glória. * Dóminus. *Prov.* 3. *Apoc.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. D. Dóminus tecum, virórum fortíssime. *Judic.* 6.

Ant. 5. *a.* Deus tuus quem colis semper, ipse liberábit te. *Dan.* 6.

Ant. 1. g. Ejíciet à fácie tua inimícum, dicétque: Contérere. *Deut.* 33.

℣. Scuto circúmdabit te, ℟. Véritas ejus. *Ps.* 90.

Lectio iv.

QUintínus Románus, Zenónis Senatóris fílius, adoratóres vero Deo conciliandi stúdio inflammátus, assumptis secum è Romána nobilitáte Luciáno, Fusciáno, Victoríco aliísque octo qui omnes incredíbili cupiditáte Christum infidélibus prædicandi flagrábant, in Bélgium pervénit. Divísis inter se, quibus quisque evangelizáret, civitátibus: ipse sibi sumpsit Ambiános, urbem inter álias eminentem, ubi aliquándiù páriter cum Luciáno, quem paulò pòst à se dimísit ut Bellóvacos fidem edocéret, deindè so-

lus Christum anni
plúrimos verbo &
lis ad fidem addu
intéreà jejúniis & c
bus, & gregem qu
pepérerat, & agón
Dómino comm
Ríctius Varus G
Præfectus, ubi de
progréssibus accép
biános ádvolat,
num comprehensu
cerem detrúdit:
que die pro trib
dens eum sibi fil
Quem Christum
prædicantem,
blandítiis & pr
deindè terróribus
ab ea fide ad simul
veneratiónem ten
cere: níhili facien
missa & minas d
flagellis cædi
Quintínus inter
Deo grátias age
sensit auxílium h
bus confirmantis
tíne, constans est
ter age; ego ad
Quâ voce tortór
ram dati seipsos
torquéri excláma
ctii Vari præsentis
implórant. Præfe
Quintínum mág
peregisse vocifer
ctum eum obscu
cere reclúsit, vet
cui Christiáno l
eum aspiráre c
grátiâ.

Deus à peccatóribus
vit eum, * Descen-
: cum illo in fóveam,
víinculis non derelí-
lum. ℣. Expectábat
menta habentem ci-
m cujus ártifex &
tor Deus. * Descen-
:. *Sap.* 10. *Hebr.* 11.

Lectio v.

T ille nocte sequenti
ubétur ab Angelo pó-
i consolári, cúmque
: Christi confirmátum
baptísmate sanctifi-
Quintínus evígilans
tit, &, Angelo du-
ırcere egressus, in mé-
urbem venit, & ad
jentem multitúdinem
ı fáciens, hómines
: sexcentos ad Christi
. adjunxit. Quintínum
o cárcere exisse mi-
ı custódes, ad eum
tendum dilabuntur;
ionantem ad pópulum
, credunt, Christum
:entur, & Ríctio Va-
ıncta renúntiant. Ille
ec frendens, & custó-
malárum ártium ac-
ıs, relictis supplíciis,
& dolo Quintínum
éditur: quæ cùm non
:derent, ad tormenta
trit, jussítque Márty-
tróchleis sic torquéri,
mnia membra suis lo-
moverentur; resticu-
ısuper férreis eum cæ-
óleo, pice & ádipe
fervéntibus plagas laceráti
córporis perfundi. Nec-
dùm his contentus arden-
tes faces latéribus admo-
véri jussit. Sed has flammas
divíni Spíritûs flamma quâ
intùs ardébat Quintínus,
fácilè vicit. Quæ ómnia
cùm Martyr invictus se
tanquàm refrigéria exísti-
máre affirmáret, jussit Præ-
fectus ei in os instillári
potiónem calce, sinápi &
acéto permixtam, ut ne
suâ étiam tortúrâ partes
internæ carérent. Quintí-
nus cùm asseveráret hæc
ori suo mellis instar dúl-
cia, minátus est Præfectus
eum Romam caténis gra-
víssimis onustum ad Augu-
stos missum iri, ubi tor-
mentis immánibus neca-
rétur. Cui Quintínus: Ego
verò Romam ire non re-
formído; certò enim scio
Deum mihi illîc perindè
atque hîc adfutúrum: con-
fído tamen me in hac pro-
víncia certandi finem fa-
ctúrum.

℟. Mendáces ostendit Dóminus, qui maculavé-
runt illum; * Et dedit illi claritátem æternam. ℣. Op-
pressum à nefandórum in-
júria erípuit illum Deus.
* Et dedit illi. *Sap.* 10.
II. Petr. 2.

Lectio vj.

INterìm Præfectus, cui
iter erat necessárium ...

gustam Viromanduórum, eódem Quintínum grávibus caténis onerátum duci jussit. Qui cùm in confessióne veræ fídei constanter perseveráret, duábus prælongis & acútis súdibus férreis, quas tarinchas appellábant, Præfecto præsente, utrinquè ab húmeris ad crura transfígitur: prætéreà clavi extrémis dígitis immittuntur. Tandem de Sevéri Honoráti consílio cápite truncátus longis pœnis finem impósuit prídie Calendas Novembris. Ipso immolatiónis témpore, beatíssima ejus ánima, candidíssimæ columbæ instar, visa est ad cœlos evoláre: corpus verò supplumbátum in Sumínam, qui flúvius urbem álluit, cæcâ nocte projectum est. Post annos quinque & quinquaginta, Eusébia, matróna Romána, illud invénit incorruptum; statímque oculórum usum, quo annos novem carúerat, recuperávit. Repertum in monte juxta urbem sepelívit, sacellúmque túmulo superstruxit. Longo post témpore cùm ob Vandalórum & Hunnórum infestatiónes ignótus esset sepulcri locus, beáto Elígio innótuit, qui & eductas indè relíquias honestióre loco pósuit, & thecâ eximii óperis quam ipse fabricáverat, decorávit: auxit & Basílicam, in qua ut in céteris locis quæ ditávit Elígius, signa & virtútes operátus est Dóminus.

℟. Magis éligens afflígi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. * Invisíbilem tanquàm videns, sustínuit. ℣. Tormenta suscépit, & in último spíritu constitútus, * Invisíbilem. Glória. * Invisíbilem tanquàm videns. *Hebr.* 11. *II. Machab.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Nil trepidábit; & non pavébit, quóniam Dóminus est spes ejus. *Eccli.* 34.

Ant. 5. c. Intrávit in ánimam servi sui, & stetit contra reges horréndos in portentis & signis. *Sap.* 10.

Ant. 7. d. In quocumque loco fúeris, Dómine, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. *II. Reg.* 15.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

[*Ubi Vigilia anticipatur, è duabus Lection. de Homil.* fient tres, divisione factâ ad Asteriscos **].

o sancti Evangélii
ndùm Matthæum.
ctio vij. Cap. 10.
illo témpore: Dixit
ıs discípulis suis: No-
mére eos qui occí-
corpus, ánimam au-
on possunt occídere:
ótiùs timéte eum qui
t & ánimam & corpus
re in gehennam. Et
a.
ília sancti Augustíni
Epíscopi.
In Psalm. 140.
Ndè prævaluérunt
verba Dómini: Ecce
nitto vos sicut agnos
édio lupórum: nolíte
e eos qui occídunt
ıs, ánimam autem
ossunt occídere? Dedit
rem, subjécit spem,
nmávit caritátem. No-
inquit, timére mor-
mortem timétis? prior
or. Ne vel capillus
r péreat, formidátis?
: íntegerin carne re-
. * Méritò audistis
a ejus, quia prævalué-
. Dicébant & occide-
ur; cadébant & sta-
. Et quid est factum de
mórtibus mártyrum,
ıt ipsa verba prævalé-
, & tanquàm irrigá-
rra sánguine téstium
isti, pullularet ubique
s Ecclésiæ?
. *Propter opus* Christi
que ad mortem accés-
sit, tradens ánimam suam.
℣. Certámen forte dedit illi Dóminus ut vínceret. * Usque. *Philipp.* 2. *Sap.* 10.

Lectio viij.

AUdient, inquit Psaltes, verba mea: quóniam prævaluérunt. Undè prævaluérunt? jam díximus: Cùm prædicantur à non timéntibus: quid non timéntibus? nec exília, nec damna, nec mortem, nec crucem. Non enim mortem solam, sed nec crucem, quâ morte nihil videbátur execrabílius. Ipsam Dóminus suscépit, ne discípuli ejus mortem quidem timérent, sed nec genus mortis perhorréscerent. Ergo à non timéntibus cùm dicuntur hæc, prævaluérunt. ** Quid ergo mortes illæ ómnium mártyrum? quid fecérunt? audi..... Juxta infernum dissipáta sunt ossa mártyrum, id est córpora téstium Christi. Occísi sunt enim mártyres, & quasi prævaluérunt qui occidérunt..... Nam dictum est in quodam Psalmo, jacuisse mortes Sanctórum: & non fuit qui sepelíret. Sed illæ omnes mortes factæ sunt crassitúdo terræ, ut indè seges Ecclésiæ feraciùs repullularet.

℟. Nequáquàm ut mor

solent ignávi, mórtuus est, * Sicut solent cádere coram filiis iniquitátis, sic corruisti. ℣. Dóminus Jesus Christus cum spíritu tuo. * Sicut solent. Glória. * Sicut.

De Vigilia omnium Sanctorum.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio ix. Cap. 6.

IN illo témpore: Elevátis Jesus óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes, quia vestrûm est regnum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

In Vigil. S. Andreæ.

SAnctórum festa præcípua, patrum sanxit auctóritas votívis præveniénda jejúniis: utíliter planè, & non ad insipiéntiam nobis, si fuerit qui advertat. Multa síquidem peccáta quotídiè contráhimus, & in multis offéndimus omnes: nec tutum omnínò est celebrandas suscípere festivitátes sacras, maximéque eas quæ máximæ sunt, nisi priùs abstinéntiæ purificatióne præmissâ, quò & dignióres & capacióres inveniámur spirituálium gaudiórum:... nec modò tamen præparátio est ad próximam celebritátem observátio præmissa

jejúnii; est & ad quædam eruditióc parva. Díscimus ipso, quænam ver festivitátis æterna est enim quòd jejú lémnia prævením quòd per multas tri nes oportet nos in regnum Dei? I quippè solemni læt qui statútam Vig stinéntiam non o Planè, inquam, afflígere ánimam Vigília, indignus j séris réquie & exu festívâ. Est autem sum præséntis pœ tempus Vigília solemnitátis magi terni sabbatismi qu stolámur. Nec ca Vigíliam longióre ternitátem festivi tendas.

[*Quandò fit de post Lectionem tem, quæ est Lec Officio Vigiliæ, d quens*

℟. Nunc orát ómnium qui magn omni terra, * D jucunditátem corc ri pacem in diébu in Israel † Per die ternos. ℣. Fidélis vocávit vos, qui ciet; oráte pro nol nobis. Glória. †

Eccli. 50. I. The

AD LAUDES.

Antiphona 3. *toni*, a.

ADduxérunt eum ad tribúnal, dicentes: Quia contra legem hic persuádet homínibus cólere Deum. *Act.* 18.

Ant. 5. a. Trahébant & quosdam fratres ad príncipes civitátis clamantes: Quóniam hi qui urbem cóncitant, & hùc venérunt, contra decréta Cæsaris fáciunt. *Act.* 17.

Ant. 7. c. Viri regis dixérunt ad eos: Fácite secundùm verbum Regis, & vivétis; & dixérunt: Non faciémus. *I. Mach.* 2.

Super Canticum. Confitébor, *pag.* xiv.

Ant. 6. F. Ego non solùm alligári, sed & mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. *Act.* 21.

Ant. 1. D. Gaúdeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea. *Coloss.* 1.

Capitulum. II. Cor. 4.

ID quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

Hymnus.

QUINTINUS rápitur, dux gregis & caput;
Qualis pompa necis! párcite, bárbari;
An tot suppliciis débitus innocens?
An tot præda leónibus?

LENTIS dilácerat viminibus cutem,
Costas éffera gens vérbere détegit:
Sulcant corpus, arant déntibus ásperis
Rubri sánguine péctines.

ICTUS ingéminant, scissa volat caro;
Per partes lácerum corpus abit, feræ
Gentis ludibrium; mens manet íntegra,
Torti córporis ímmemor.

ADDUNT vulnéribus dùm nova vúlnera,
Unum vulnus erat; víscera Mártyris
Quando nuda patent, illíus íntimum
Riméris pénitùs fidem.

ET nos, Christíadæ, blanda per ótia
Vitæ delícias quærimus ánxii!
Nostram segnítiem dúriùs íncrepant
Fuso sánguine Mártyres.

PATRI máxima laus, &c. Amen.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Bened. Ant. 5. C. Gloriosíssimam mortem magìs quàm odíbilem vi-

tam compléctens, voluntárié præíbat ad supplícium. *II. Mach. 6.*

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis ad immortáles triumphos beátum Quintínum Mártyrem tuum extulísti; da córdibus nostris dignam pro ejúsdem passióne lætítiam; ut quem pio amóre ampléctimur, ejus suffrágiis adjuvémur; Per Dóminum.

Pro Commemor. Vigiliæ Omnium Sanctorum, (si non anticipatur) Ant. 1. D. Custódiet Dóminus rectórum salútem, & próteget gradientes simplíciter; servans sémitas justítiæ, & vias Sanctórum custódiens. *Prov.* 2.

℣. Justi hæreditábunt terram: ℟. Inhabitábunt in séculum séculi super eam. *Ps.* 36.

Oratio.

DOmine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam; & quorum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Adduxérunt.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Trahébant.

Capitulum. Dan. 3.

FIat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódié, ut pláceat tibi, Dómine, quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

℟. *br.* Voluntárié * Sacrificábo tibi, ℣. Et confitébor nómini tuo, Dómine. * Sacrificábo. Glória. ℟. Voluntárié.

℣. Ex omni tribulatióne eripuísti me, ℟. Et super inimícos meos despexit óculus meus. *Ps.* 53.

[*Ubi fit Annuale, Resp. brev. additur duplex* Allelúia, *& sic ad Sextam & Nonam.*]

AD SEXTAM.

Ant. 7. c. Viri Regis.

Capitulum. II. Cor. 1.

SIcut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra.

℟. *br.* In Deo salutáre meum * Et glória mea. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. * Et glória mea. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, ℟. Et sperábo in eum. *Ps.* 17.

AD NONAM.

Ant. 1. D. Gáudeo.

Capitulum. Philipp. 2.

ETsi ímmolor supra sacrifícium & obséquium fidei vestræ, gáudeo &

congrátulor ómnibus vobis; idipsum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℟. *br.* Super salutáre tuum, Dómine, * Exultábit vehementer. ℣. Desidérium cordis ejus tribuisti ei. * Exultábit. Glória. ℟. Super. *Ps.* 20.

℣. Lætábimur in salutári tuo: ℟. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Ps.* 19.

Vesperæ de sequenti.

Commemor. S. Quintini per Ant. Vitâ. ℣. Quantas. *infrà, pag.* 508. *Oratio*, Omnípotens, *suprà ad Laudes*.

[*Ubi fit Annuale*, Vesp. *de S. Quintino, ut sequitur*.

AD II. VESPERAS.

Antiphona 7. *toni*, G.

VOluisti, Dómine, ut dignam percíperent eregrinatiónem pueróum Dei, quæ tibi ómnium rior est terra. *Sap.* 12.

Ant. 2. D. Vos scitis anta ego & fratres mei :imus, & angústias quavídimus. *I. Mach.* 13.

Ant. 3. a. Consoláti sus in omni necessitáte & ulatióne nostra per fi vestram. *I. Thess.* 3.

Ant. 5. C. Quæ est nospes, aut gaúdium, ɔróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum Jesum. *I. Thess.* 2.

Ant. 6. F. Vos estis glória nostra & gaúdium. *I. Thess.* 2.

Capitulum. II. Reg. 1.

COnsídera, Israel; super excelsa tua inclyti interfecti sunt. Quómodò cecidérunt fortes?

Hymnus.

NUnc agnosce tuum, réspice Mártyrem,
Princeps Christe, salus única Mártyrum,
Expressit móriens, quâ pótuit, tuæ
Fidus mortis imáginem.

Læso, Nate, Patri, dum Cruce péndulus,
Durâ morte pias non tua crímina,
Deformis, rétinens nil hóminis, places
Scisso córpore púlchrior.

Fractus membra, lacer, nec símilis sibi
Quintínus (déerat vulnéribus locus);
Partes quotquot habet córporis, ímmolat
Pingues tot tibi víctimas.

Pœnæ defíciunt: ipse volens mori
Subdit se gládio, vértice pléctitur;
Mens, divínus Amor quò rapit, évolat,
Ruptis líbera vínculis

Cum de vulnéribus tot rádios jacis,
Castíga rádios; vis bonus áspici?
Urbem, Sancte, tuam, sánguine quam tuo
Lustrasti, bonus áspice.
Patri máxima laus, &c.
℣. Quantas ostendisti mihi tribulatiónes; ℟. Et conversus vivificasti me. *Ps.* 70.

Ad Magníf. *Ant.* Vitâ decessit, un genti memóriam suæ ad exemplum tis & fortitúdinis d quens. *II. Mach.* 6.
Oratio suprà ad I
Commem. Omniu
Ant. Redempti. *p.* 5
In justítia, *p.* 509. C
Omnípotens, *pag.* 5
Ad Complet. *ut*

FESTA NOVEMBRI

DIE I.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUI

DUPLEX I. CLASSIS.

In primis Vesperis.
Psalmi de Feria.
Antiphona, 1. *toni*, D.
JUsti in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum. *Sap.* 5.
Ant. 6. F. Cogitátio illórum apud Altíssimum: ídeò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini. S
Ant. 3. a. Addúce Dóminus portátos in re sicut fílios regni; cet cum jucunditáte mine Majestátis su misericórdia. *Baruc*
Ant. 4. E. Habit in Jerúsalem, & a ma non erit ampl

ſcdébit Jerúſalem ſecúra. *Zach.* 14.

Ant. 5. a. Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, & vox laudis, ſalus autem in ſempitérnum erit. *Iſ.* 51.

Capitulum. I. Cor. 2.

SCriptum eſt: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: nobis autem reveláv itDeus per Spíritum ſuum.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine: *Et torrente voluptátis tuæ potábis eos; quóniam † Apud te eſt fons vitæ. ℣. Agnus qui in médio throni eſt, dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. * Et. Glória. ℟. Inebriabuntur. *uſque ad* ℣. *Apoc.* 7. *Pſ.* 35.

Hymnus.

CŒLO quos éadem glória cónſecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti veſtra ſimul præmia pángimus,
Duris parta labóribus.

JAM vos paſcit amor, núdaque Véritas:
De pleno bíbitis gaúdia flúmine:
Illîc perpétuam mens sátiat ſitim,
Sacris ébria fóntibus.

ALTIS ſecum hábitans in penetrálibus,
Se rex ipſe ſuo contúitu beat;
Illabénſque, ſuî pródigus, íntimis
Seſe méntibus ínſerit.

ALTARI médio, cui Deus ínſidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor:
Quæ mactáta Patri ſe ſemel óbtulit,
Se jugis litat hóſtia.

PRONIS turba ſenum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnanti Dómino dévovet aúrea,
Quæ ponit diadémata.

GENTES innúmeræ, conſpícuæ ſtolas
Agni purpúreo sánguine cándidas,
Palmis læta cohors, cántibus æmulis
Ter ſanctum célebrant Deum.

SIT laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Sit par, ſancte, tibi laus quoque, Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter;
Te totum ſimul ómnibus.
Amen.

℣. In juſtítia tua exaltabuntur: ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Pſ.* 88.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Redempti à Dómino vénient in Sion cum laude: & lætítia sempiterna super caput eórum: gaúdium & lætítiam obtinébunt; allelúia. *Is.* 35.

Orat. Omnípotens, *infrà ad Laudes, pag.* 518.

Pro Commemoratione S. Quintini, Ant. Vita. ℣. Quantas. *suprà, pag.* 508. *Oratio,* Omnípotens, *pag.* 506.

Ad Compl. *Psalmi de Feria.*

AD MATUTINUM.

Invit. Sanctum Sanctórum Dóminum, * Veníte, adorémus. *Dan.* 9.

Psalm. Veníte. *pag.* 2.

Hymnus.

Vos sancti próceres, vos superûm chori,
Cœli quotquot habet régia príncipes,
Nostros nunc date vestris
Cantus júngere cántibus.

Primis ante álios, glória cœlitum,
Christi virgo parens fulget honóribus;
Divinóque sevérum
Flectit pígnore Júdicem.

Astant Spirítuum mille ácies throno,
Regi sancta ferunt vota cliéntium:
Hîc Baptista profundo
Lucis flúmine mérgitur.

Quorum núntia vox orbis ad últimas,
Christum vox résonans, intónuit plagas;
Præcónes duodéni
Sacris vátibus assident.

Fuso purpúrei sánguine mártyres,
Et puro níveæ péctore vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum rosis.

Qui pavére suos præpósiti greges,
Pascuntur súpero númine pléniùs:
Qui flevére, serénus
Abstergit lácrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et, quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ps. Beátus vir qui non ábiit, *pag.* 3.

Ant. 5. a. Grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illíus. *Sap.* 4.

Ps. Dómine, quis habitábit, *pag.* 93.

Ant. 4. A. In manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis; spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Ps. Dómini est terra, *pag.* 134.

Ant. 8. c. Fulgébunt sicut

ſol, in regno Patris eórum. *Matth.* 13.

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum: ℟. Et hæréditas eórum in æternum erit. *Pſ.* 36.

De libro Apocalypſis beáti Joannis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 4.

ECce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens: & qui ſedébat, ſímilis erat aſpéctui lápidis jáſpidis & sárdinis: & iris erat in circúitu ſedis, ſímilis viſióni ſmarágdinæ. Et in circúitu ſedis ſedília viginti quátuor: & ſuper thronos viginti quátuor ſenióres ſedentes, circumamícti veſtimentis albis, & in capítibus eórum corónæ aúreæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei. Et in conſpectu ſedis tanquàm mare vítreum, símile cryſtallo: & in médio, & in circúitu ſedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni: & ſecundum ánimal símile vítulo: & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis: & quartum ánimal símile áquilæ volanti. Et quátuor animália: síngula eórum habébant alas ſenas; & in circúitu, & intùs plena ſunt óculis: & réquiem non habébant die ac nocte dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt.

℟. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: & * Fidéles in dilectióne acquieſcent illi; quóniam donum & pax eſt electis ejus. ℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propóſitum vocáti ſunt Sancti. * Fidéles. *Sap.* 3. *Rom.* 8.

Lectio ij. Cap. 5.

ET vidi in déxtera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignátum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis eſt dignus aperíre librum, & sólvere ſignácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtùs terram, aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus inventus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi: Ne fléveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere ſeptem ſignácula ejus. Et

vidi : & ecce in médio throni, & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tanquàm occísum, habentem córnua septem & óculos septem, qui sunt septem spíritus Dei missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedentis in throno librum. Et cùm aperuisset librum, quátuor animália, & viginti quátuor senióres cecidérunt coram Agno : habentes sínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℟. Dóminus Deus servos suos vocábit nómine álio : & * Non erunt in memória prióra, & non ascendent super cor ; & non audiétur ultrà vox fletûs & vox clamóris. ℣. Mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà. * Non erunt. *Is.* 65. *Apoc.* 21.

Lectio iij.

ET cantábant cánticum novum dicentes : Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre signácula ejus : quóniam occísus es, & redemisti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, & linguâ, & pópulo, & natióne ; & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdótes : & regnábimus super terram. Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & seniórum : & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ : Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo ; omnes audívi dicentes : Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. Et quátuor animália dicébant, Amen. Et viginti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas, & adoravérunt viventem in sécula seculórum.

℟. Fulgébunt Justi, & tanquàm scintillæ in arundinéto discurrent : * Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis ; & † Regnábit Dóminus illórum in perpétuum. ℣. Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in sécula seculórum. * Judicábunt. Glória. † Regnábit Dóminus. *Sap.* 3. *Apoc.* 22.

IN II. NOCTURNO.

Ps. Exultáte, justi, *cum sua Divisione*, pag. 36.

Ant. 7. c. Nolite timére, pusillus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

Ps. Benedícam Dóminum, *cum sua Divisione, pag.* 84.

Ant. 3. a. Veníte, benedicti Patris mei: possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi. *Matth.* 25.

Ps. Dixit injustus, *pag.* 136.

Ant. 1. d. Gaudéte, & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. *Matth.* 5.

℣. Exultent justi in conspectu Dei, ℟. Et delectentur in lætítia. *Ps.* 67.

[*Benedictiones de Sanctis, & sic per Octavam, quando fit de eâ*].

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 5. *in Festo omn. SS.*

Lectio iv.

FEstíva nobis est dies hæc & inter præcípuas solemnitátes hodierna solémnitas numerátur. Nóvimus festivitátem ómnium Sanctórum dici & esse, quam hódiè celebrámus: Omnium, inquam, sive cœléstium, sive terréstrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & sunt Sancti de terra. Estne adhuc Sanctórum áliquod tértium genus? Est, sed occultum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant, adhuc pugnant: currunt adhuc, necdùm comprehendérunt. Hæc nimírùm divérsitas appellatiónis in nómine sanctitátis; ut álii quidem jam secundùm consummatiónem Sancti vocentur, álii juxta solam adhuc prædestinatiónem.

℟. Vidi, & ecce Agnus stabat super montem Sion, & cum eo * Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis: hi sequuntur Agnum quocumque íerit. ℣. Tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. * Habentes. *Apoc.* 14. *Dan.* 7.

Lectio v. §. 5.

AD quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honorificat Pater cœlestis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsùs ita est, dilectíssimi: honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantùm ínterest nostrâ? Ego in me, fateor, ex hac recordatione

séntio desidérium véhemens inflammári, ut eórum tam optábili societáte fruámur, & mereámur concíves & contuberáles esse spirítuum beatórum; miscéri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetárum, senátui Apostolórum, Mártyrum exercítibus numerósis, Confessórum collégiis, Vírginum choris; in ómnium dénique cólligi, & collætári communióne Sanctórum.

℟. Audívi vocem de cœlo dicentem: Beáti mórtui qui in Dómino moriuntur! * Amodò jam dicit Spíritus, ut requiescant à labóribus suis. ℣. Réddidit justis mercédem labórum suórum. * Amodò. *Apoc.* 14. *Sap.* 10.

Lectio vj. §. 6.

PRæstolátur nos Ecclésia illa Primitivórum, & neglígimus: desíderant nos Sancti, & parvi péndimus: expectant nos justi, & dissimulámus. Excitémur aliquandò, fratres; resurgámus cum Christo: quærámus quæ sursùm sunt: quæ sursùm sunt sapiámus. Desiderémus desiderantes nos: properémus ad præstolantes nos: expectantes nos, votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac nostra communióne securitátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hîc quoque quàm bonum, & quàm jucundum habitáre fratres in unum! Quidquid enim, sive intériùs, sive extérius molestùm occurrit, ipso útique tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus est nobis cor unum, & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior único, ubi nulla suspício esse póterit, nulla dissensiónis occásio: ubi omnes perfecta cáritas indissolúbili fœdere colligábit; ut sicut Pater & Fílius unum sunt, sic & nos unum simus in ipsis.

℟. Amicti stolis albis sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. * Non esúrient, neque sítient ámpliùs; & † Absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. ℣. Oblivióni trádita sunt angústiæ prióres, & abscóndita sunt ab óculis, quia semen benedictórum Dómini est. * Non. Glória. † Absterget Deus. *Apoc.* 7. *Is.* 65.

IN III. NOCTURNO.

Ps. Magnus Dóminus, pag. 137.

t. 4. f. Deus qui dives
misericórdia, propter
m caritátem suam
dilexit nos, conse-
fecit in cœléstibus.
. 2.
Quàm dilecta, *p.* 106.
t. 8. G. Dignos nos
n partem sortis San-
n in lúmine, & tráns-
n regnum Fílii dile-
s suæ. *Coloss.* 1.
Dóminus regnávit,
t, *pag.* 48.
t. 6. F. Nos omnes,
tâ fácie, glóriam
ni speculantes, in
m imáginem trans-
mur à claritáte in
item. *II. Cor.* 3.
Exaltatiónes Dei in
e eórum: ℟. Glória
st ómnibus Sanctis
Ps. 149.

o sancti Evangélii
ndùm Matthæum.

ectio vij. Cap. 5.
llo témpore: Videns
s turbas, ascendit in
m; & cùm sedisset,
érunt ad eum discí-
jus, & apériens os
docébat eos dicens:
páuperes spíritu, quó-
ipsórum est regnum
m. Et réliqua.
lia sancti Hierónymi
Presbyteri.
ent. in Matth. l. 1. *c.* 5.
iti paúperes spíritu!
oc est quod álibi lé-
gimus: Húmiles spíritu sal-
vábit. Ne quis autem putá-
ret paupertátem, quæ non-
nunquàm necessitáte por-
tátur, à Dómino prædicá-
ri, adjunxit, Spíritu: ut
humilitátem intellígeres,
non penúriam. Beáti pau-
peres spíritu, qui propter
Spíritum Sanctum volun-
táte sunt paúperes. Undè
super hujuscémodi paupé-
ribus & Salvátor per Isaíam
lóquitur: Dóminus unxit
me; propter quod evange-
lizáre paupéribus misit me.
Beáti mites: quóniam ipsi
possidébunt terram. Non
terram Judæ, nec terram
istíus mundi: non terram
maledíctam, spinas & trí-
bulos afferentem, quam
crudelíssimus quisque &
bellátor magìs póssidet: sed
terram quam Psalmista de-
síderat dicens: Credo vi-
dére bona Dómini in terra
vivéntium.

℟. Grátias ágimus tibi,
Dómine Deus omnípotens,
quia * Accepisti virtútem
tuam magnam, & regnasti:
& advénit tempus réddere
mercédem servis tuis, &
Sanctis, & timéntibus no-
men tuum. ℣. Déxtera tua,
Dómine, magnificáta est
in fortitúdine. * Accepisti.
Apoc. 11. *Exod.* 15.

Lectio viij. Paulò post.

BEáti qui lugent; quó-
niam ipsi consolabun-

tur. Luctus hic non mortuórum pónitur commúni lege natúræ; sed peccátis & vítiis mortuórum. Sic flevit & Sámuel Saülem: quia pœnitúerat Deum quòd unxisset eum regem super Israel. Sic & Paulus Apóstolus cùm flere ac lugére se dicit eos qui, post fornicatiónem & immundítiam, non egérunt pœniténtiam. Beáti qui esúriunt & sítiunt justítiam. Non nobis súfficit velle justítiam, nisi justítiæ patiámur famem: ut sub hoc exemplo nunquàm nos satis justos, sed semper esuríre debére justítiæ ópera intelligámus. Beáti misericordes. Misericórdia non solùm in eleemósynis intellígitur; sed in omni peccáto fratris, si alter altérius ónera portémus.

℞. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni pópulo & natióne: * Et fecísti nos Deo nostro regnum, & sacerdótes: & regnábimus. ℣. Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti; & portásti eum ad habitáculum sanctum tuum. * Et fecísti. Glória. *Repetitur* ℞. *usque ad* ℣. *Apoc.* 5. *Exod.* 15.

Lectio ix.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: quos non árguit consciéntia ulla peccáti. Mundus mundo corde conspícitur: templum Dei non potest esse pollútum. Beáti pacífici qui primùm in corde suo, deindè & inter fratres dissidentes pacem fáciunt. Quid enim prodest álios per te pacári, cùm in tuo ánimo sint bella vitiórum? Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam. Signanter áddidit: Propter justítiam. Multi enim persecutiónem propter sua peccáta patiuntur, & non sunt justi.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona 5. *toni*, C.

Vidi, & ecce sedes pósita erat in cœlo, & supra sedem Sedens: & de throno procedébant fúlgura. *Apoc.* 4.

Ant. 7. d. In circúitu sedis super thronos Senióres sedentes: adorábant Viventem in sécula seculórum, & mittébant corónas suas ante thronum. *Apoc.* 4.

Ant. 1. f. Vidi turbam magnam quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus: stantes ante thronum, & in conspectu Agni. *Apoc.* 7.

Ant. 6. F. Vocem.

Canticum. Sap. 10.

REddidit [Sapiéntia] justis mercédem labórum suórum: * & deduxit illos in via mirábili.

Et fuit illis in velamento diéi: * & in luce stellárum per noctem.

Tránstulit illos per mare rubrum: * & transvexit illos per aquam nímiam.

Inimícos autem illórum demersit in mare: * & ab altitúdine inferórum eduxit illos.

Ideò justi tulérunt spolia impiórum, * & decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum.

Et victrícem manum tuam * laudavérunt páriter.

Glória Patri.

Ant. Vocem audívi sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis: & cantábant quasi cánticum novum ante sedem. *Apoc.* 14.

Ant. 3. a. Vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus. *Apoc.* 19.

Capitulum. Rom. 8.

QUos prædestinávit Deus, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit.

Hymnus

HYmnis *dum résonat*
cúria cœlitum,
Hîc flemus pátriis fínibus
éxules:
Hîc suspensa tenémus
Mutis cántibus órgana.

Quando mens mísero
líbera cárcere,
Se vestris sóciam cœtibus
ínseret;
Et, calígine pulsâ,
Cœli lucem habitábimus!

Obscuræ fúgient mentis imágines,
Cùm stantes própiùs lúminis ad jubar,
Nos Verum sine nube
Ipso in fonte vidébimus.

Nobis, sancta cohors,
sis bona: flúctibus
Luctantes médiis, quos
modò réspicis,
Da portus, duce Christo,
Da contíngere prósperos.

A quo cuncta fluunt,
máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et, quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! ℟. Quàm abscondisti timéntibus te. *Ps.* 30.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Agnus Dóminus dominórum est, & Rex regum; & qui cum illo sunt, vocáti elécti, & fidéles: allelúia. *Apoc.* 17.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos omnium Sanctórum tuórum

mérita sub una tríbuis celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris; Per.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia.

Fons Sanctitátis, ô Deus,
Immensa merces Cœlitûm
Nos éxules in pátriam
Addas beátis Cœtibus.
Amen.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 5. C. Vidi.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 25. *de Invocat. SS.*

MAndat sancta Synodus ómnibus docendi munus curámque sustinéntibus, ut fidéles diligenter ínstruant, docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes oratiónes suas pro homínibus Deo offerre; bonum atque útile esse supplíciter eos invocáre; & ob benefícia impetranda à Deo per Fílium ejus Jesum Christum Dóminum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvátor est, ad eórum oratiónes, opem auxiliúmque confúgere.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. In conspectu sedis.

Capitulum. Apoc. 19.

CEcidérunt Senióres viginti quátuor, & quátuor animália: & adoravérunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen: allelúia.

℟. *br.* Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; * Allelúia, allelúia. ℣. In sécula seculórum laudábunt te. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Beáti *Ps.* 83.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: ℟. Et justítiâ tuâ exultábunt. *Ps.* 144.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Vidi turbam magnam.

Capitulum. Apoc. 19.

AUdívi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquárum multárum, & sicut vocem tonitruórum multórum, dicéntium: Allelúia; quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

℟. *br.* Vox exultatiónis & salútis; * Allelúia, allelúia. ℣. In tabernáculis justórum. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Vox exultatiónis. *Ps.* 117.

℣. Exultáte, justi, in Dómino: ℟. Rectos decet collaudátio. *Ps.* 32.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Vox de throno.

Capitulum. Apoc. 5.

OMnes audívi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, &

ıs in sécula seculó-

r. Confiteantur tibi, ıe, ómnia ópera tua: lúia, allelúia. ℣. Et tui benedícant tibi. lúia, allelúia. Gló-. Confiteantur tibi.

4.
Lætámini in Dómi- exultáte, justi; ℟. riámini, omnes recti *Ps.* 31.

I. VESPERAS.

lmi de Dominica, ul- ccepto, cujus loco di- 'sal. In convertendo ıus, *pag.* 110.

phona 4. toni, E. ıedictus Deus & Pa- r Dómini nostri Jesu i, qui elégit nos in ut essémus sancti.

. 1.

. 1. D. Ipsíus sumus ı, creáti in Christo ı opéribus bonis quæ rávit Deus, ut in illis émus. *Ephes.* 2.

. 3. a. Prædestinávit ı adoptiónem filió- in laudem glóriæ suæ, in qua gratifi- nos in dilecto Filio *phes.* 1.

. 8. g. Salvos nos fe- lavácrum regenera- ; ut justificáti grátiâ , hærédes simus se- m spem vitæ ætérnæ.

Ant. 6. F. Sumus filii Dei, & hærédes, cohæré- des autem Christi: si ta- men compátimur, ut & conglorificémur. *Rom.* 8.

Capitulum. I. Joann. 3.

CArissimi, nunc filii Dei sumus; & nondùm appáruit quid érimus. Sci- mus quóniam cùm appa- rúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui ha- bet hanc spem in eo, san- ctíficat se, sicut & ille San- ctus est.

Hymnus, Cœlo, *suprà, in I. Vesperis, pag.* 509.

℣. In lúmine tuo vidé- bimus lumen: ℟. Præten- de misericórdiam tuam sciéntibus te, Dómine. *Ps.* 35.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Fílii Sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo: allelúia. *Tob.* 2.

[*Si sit Sabbatum, fit Commemoratio Sabbati an- te Dominicam occurrentem ut in Proprio de Tempore: Officium autem Defuncto- rum transfertur in Feriam II. sequentem; &, post Com- pletor. Dominicæ, dicuntur Vesperæ Defunctorum ut infrà*].

AD COMPLET. [illegible] de Dominica.

Post Complet. (*nisi sit Sabbatum*) *dicuntur, etiam extra Chorum, Vesp. Defunct. pag.* cxxxvij. *&*, *post Antiphon. ad* Magníficat. *omissis Psalmo* Lauda, ánima mea, *cum* ℣℣. *& Precibus ibi notatis, dicitur* Dóminus vobíscum. *Deindè Oratio sola* Fidélium, *cum magna conclusione ; posteà* Dóminus vobíscum, *&* ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

DIE II.

In Commemoratione
OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Duplex III. Classis.

Omnia ut in Officio Defunctorum, pag. cxlj. *exceptis quæ sequuntur.*

Pater. Ave. Credo.

Invitat. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Ps. Veníte, *pag.* 2. *in cujus fine, loco* Glória Patri, *dicitur:* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De libro Job, *pag.* cxliij. *& seq.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 172, *aliàs* 32. *de Verb. Apost.* §. 1.

Lectio iv.

Admonet nos beátus Apóstolus, ut de dormiéntibus, hoc est, mórtuis caríssimis nostris non contristémur, sicut & céteri qui spem non habent; spem scílicet resurrectiónis & incorruptiónis ætérnæ. Nam ídeò & dormientes eos appellat Scriptúræ veracíssima consuetúdo, ut cùm dormientes audímus, evigilatúros mínimè despe rémus. Undè étiam cantámus in Psalmo: Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Est ergo de mórtuis, eis qui díligunt, quædam tristítia quodammodò naturális. Mortem quippè horret, non opínio, sed natúra. Nec mors hómini accíderet, nisi ex pœna quam præcésserat culpa. Quapropter si animália quæ ità creáta sunt, ut suo quæque témpore moriantur, mortem fúgiunt, díligunt vitam; quantò magis homo qui sic fúerat creátus, ut, si vívere sine peccáto voluísset, sine término víveret? Hinc ítaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo déserunt quos amámus: quia etsi nóvimus eos non in ætérnum relínquere nos mansúros, sed aliquantùm præcédere secutúros; tamen mors ipsa quam natúra réfugit, cùm óccupat diléctum, contristat in nobis ipsíus dilectiónis affe-

. Ideò non admónuit
tolus, ut non con-
mur; ſed, non ſicut
i qui ſpem non ha-

ctio v. §. 1. & 2.

Ontriſtámur ergo nos
in noſtrórum mórti-
iecceſſitáte amittendi,
cum ſpe recipiendi.
ángimur, hinc con-
nur: indè infírmitas
t, hinc fides réficit:
dolet humána condí-
hinc ſanat divína pro-
o. Proindè pompæ fú-
, ágmina exequiá-
, ſumptuóſa diligén-
pultúræ, monumen-
n opulenta conſtrú-
vivórum ſunt qualia-
que ſolátia, non ad-
ia mortuórum. Ora-
bus verò ſanctæ Ec-
e, & Sacrifício ſalu-
& eleemóſynis quæ
órum ſpirítibus ero-
ur, non eſt dubitan-
mórtuos adjuvári: ut
eis miſericórdiùs agá-
. Dómino, quàm eó-
peccáta meruérunt.
enim à pátribus trá-
n univerſa obſervat
ſia; ut pro eis qui in
oris & ſánguinis Chri-
ommunióne defuncti
, cùm ad ipſum ſacri-
m loco ſuo commemo-
ır, orétur; ac pro illis
que id offerri comme-
tur. *Cùm* verò, eórum
commendandórum causâ, ópera miſericórdiæ celebrantur; quis eis dúbitet ſuffragári, pro quibus oratiónes Deo non ínániter allegantur? Non omnínò ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis; ſed tálibus qui ita víxerint ante mortem, ut poſſint eis hæc utília eſſe poſt mortem. Nam qui ſine fide quæ per dilectiónem operátur, ejúſque ſacramentis de corpóribus exiérunt, fruſtra illis à ſuis hujúſmodi pietátis impenduntur offícia, cujus, dum hìc eſſent, pígnore caruérunt; vel non ſuſcipientes, vel in vácuum ſuſcipientes Dei grátiam, & ſibi non miſericórdiam theſaurizantes, ſed iram.

Lectio vj. §. 2. & 3.

NOn ergo mórtuis nova mérita comparantur, cùm pro eis boni áliquid operantur ſui; ſed eórum præcedéntibus conſequéntia iſta redduntur. Non enim actum eſt niſi cùm hìc víverent, ut eos hæc áliquid adjuvárent, cùm hìc vívere deſtitiſſent. Et ídeò iſtam fíniens quiſque vitam, niſi quod méruit in ipſa, non póterit habére poſt ipſam. Permittantur ítaque pia corda carórum de ſuórum mortibus contriſtári dolore ſa-

nábili: & consolábiles lácrymas fundant conditióne mortáli; quas citò réprimat fídei gaúdium, quâ creduntur fidéles quando moriuntur, paúlulùm à nobis abíre, & ad melióra transíre. Consolentur eos étiam fraterna obséquia, sive quæ funéribus exhibentur, sive quæ doléntibus adhibentur; ne sit justa queréla dicéntium: Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; & consolantes, & non invéni. Sit pro víribus cura sepeliendi, & sepulcra construendi: quia & hæc in Scriptúris sanctis inter bona ópera deputáta sunt: nec solùm in corpóribus Patriarchárum aliorúmque sanctórum, & humánis cadavéribus quorumcumque jacéntium; verùm étiam in ipsíus Dómini córpore, prædicáti atque collaudáti sunt qui ista fecérunt. Impleant hæc hómines erga suos offícia postrémi múneris, & sui humáni lenimenta mœróris. Verùm illa quæ ádjuvant spíritus defunctórum, oblatiónes, oratiónes, erogatiónes, multò pro eis observántiùs, instántiùs, abundántiùs impendant, qui suos carne non spíritu mórtuos, non solùm carnáliter, sed étiam spiritáliter amant.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli, ad Corínthios, *pag.* cl. *& seq.*

In ℟. ix. *post ultimam reclamationem* * Intende. *resumitur Responsor.* Líbera me, Dómine, *usque ad* ℣. Miserére.

AD LAUDES.

Post Ant. ad Bened. *omissis Psalmo* De profundis, *cum* ℣℣. *& Precibus positis, pag.* cxxxix. *dicitur* Dóminus vobiscum. *Deindè Orat.* Fidélium. *p.* cxlj. *sola, cum magna conclusione.* Dóminus vobiscum. Requiescant in pace.

℟. Amen.

AD HORAS.

Psalmi de Dominica, in quorum fine dicitur Réquiem ætérnam, &c.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. Credo.

Incipitur absolutè à Psalmo Confitémini, *deindè Ps.* Beáti immaculáti. Retríbue, *p.* 15. *& seq. & in fine singulorum, loco* Glória Patri, *dicitur* Réquiem ætérnam, &c.

Post Psalmos, ℟. Omnes nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi; * Ut réferat unusquísque própria córporis prout gessit, sive bonum, sive

malum. ℣. Cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium, sive bonum, sive malum illud sit. * Ut réferat. *II. Cor.* 5. *Eccl.* 12.

Reincipitur ℟. Omnes, *usque ad* ℣. Cuncta.

Deindè, omissis Precibus, &c. dicitur Dóminus vobiscum, *&* *Oratio* Fidélium, *pag.* cxlj. *& sic ad alias Horas.*

AD TERTIAM.

Pater. Ave.

Inchoatur absolutè, Legem pone, *pag.* 21. *& in fine singulorum*, Réquiem æternam, &c. *& sic ad Sextam & Nonam.*

Post Psalmos, ℟. Peccávimus; abscondisti fáciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitátis nostræ. * Ne irascáris, Dómine, satis; & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. ℣. Non sumus subtractiónis filii in perditiónem, sed fídei in acquisitiónem ánimæ. * Ne. *Is.* 64. *Hebr.* 10.

Reincipitur ℟. Peccávimus. *usque ad* ℣. Non sumus. *Cetera ut ad Primam.*

AD SEXTAM.

Ps. Defécit. *cum reliquis. pag.* 24.

Post Psalmos, ℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam: * Sancta ergo, & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Si quis superædíficat super fundamentum, & opus ejus árserit, detrimentum patiétur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta ergo. *II. Mach.* 12. *I. Cor.* 3.

Reincipitur ℟. Hi qui. *usque ad* ℣. Si quis. *Cetera ut ad Primam.*

AD NONAM.

Psalm. Mirabília, &c. *pag.* 26.

Post Psalmos, ℟. Dómine omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel: noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, sed memento manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemisti nos Deo in sánguine tuo. * Audi. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Reincipitur ℟. Dómine, *usque ad* ℣. Occísus es. *Cetera ut ad Primam.*

Officium Defunctorum terminatur ad Nonam.

Vesp. *de Oct. Omnium Sanct. ut notatur infrà.*

DIEBUS

Intra Octavam

Omnium Sanctorum.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi Feriales.

AD MATUTINUM.

Tres Antiphonæ, Versus & Responsoria è Nocturno Festi secundùm Feriam.

Lectio j. de Scriptura occurrente. Lectiones ij. & iij. ut infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. unica Vocem. *quæ est quarta de Laudibus. Canticum* Réddidit, *ut in Die, pag.* 517.

AD HORAS.

Omnia ut in Festo, excepto Canone qui petitur ex Proprio Temporis.

AD VESPERAS.

Ant. unica Benedictus. *quæ prima est II. Vesperarum Festi, pag.* 519.

¶ *Dominicâ intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica ut in Psalterio, incipiendo à I. Vesperis, quæ erunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis, & in Laudibus.*

DIE III.

DE OCTAVA.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbytéri.

Homil. 18. *De omnibus SS.*

Lectio ij.

LEgimus in Ecclesiásticis históriis, quòd Sanctus Bonifácius qui, quartus à beáto Gregório Románæ urbis Episcopátum tenébat, suis précibus à Phoca Cæsare impetráverit, donári Ecclésiæ Christi templum Romæ, quod ab antíquis Pántheon antè vocabátur; quia hoc quasi simulácrum ómnium viderétur esse deórum: ex quo, eliminátâ omni spurcítiâ, fecit Ecclésiam sanctæ Dei Genitrícis atque ómnium Mártyrum Christi, ut exclúsâ multitúdine dæmonum, multitúdo ibi sanctórum à fidélibus in memória haberétur, & plebs universa in cápite Calendárum Novémbrium ad Ecclésiam in honóre ómnium Sanctórum consecrátam conveníret: ibíque Missárum solemnitáte à Præsule Sedis Apostólicæ celebrátâ, omnibúsque ritè peractis, unusquísque in sua cum gaúdio remeáret.

Lectio iij.

EX hac ergo consuetúdine sanctæ Románæ Ecclésiæ, crescente Religióne Christiánâ, decrétum est ut in Ecclésiis Dei, quæ per orbem terrárum longè latéque construuntur, honor & memória ómnium Sanctórum in die quâ prædíximus, haberétur: ut quidquid humána fragílitas per ignorántiam, vel negligéntiam,

ſeu per occupatiónem rei ſeculáris, in ſolemnitáte Sanctórum minùs plenè peregiſſet, in hac obſervatióne ſolverétur; quátenùs eórum patrocíniis protecti, ad ſuperna polórum gaúdia perveníre valeámus.

Die IV.

DE OCTAVA.

Ex libro ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris, de Mortalitáte.

Lectio ij. circa finem.

CONſiderandum eſt, fratres dilectíſſimi, & idéntidem cogitandum, renuntiaſſe nos mundo, & tanquàm hóſpites & peregrínos hìc ínterìm dégere. Amplectámur diem qui aſſignat síngulos domicílio ſuo; qui nos iſtinc ereptos, & láqueis ſeculáribus exolútos, paradíſo reſtítuit & regno cœleſti. Quis non péregrè conſtitútus properáret in pátriam régredi? Quis non ad ſuos navigáre feſtínans, ventum próſperum cupídiùs optáret, ut velóciter caros licéret amplecti? Pátriam noſtram paradíſum computámus: parentes Patriarchas habére jam cœpimus. Quid non properámus & cúrrimus? ut pátriam noſtram vidére, ut parentes ſalutáre poſſímus. Magnus illìc nos carórum númerus expectat: parentum, fratrum, filiórum frequens nos & copióſa turba desíderat, jam de ſua immortalitáte ſecúra, & adhuc de noſtra ſalúte ſollícita. Ad horum conſpectum & complexum veníre, quanta & illis, & nobis, in commúne lætítia eſt?

Lectio iij. in fine.

QUalis illìc cœléſtium regnórum voluptas ſine timóre moriendi, & cum æternitáte vivendi! Quàm ſumma & perpétua felícitas! Illìc Apoſtolórum glorióſus chorus: illìc Prophetárum exultántium númerus: illìc Mártyrum innumerábilis pópulus ob certáminis & paſſiónis victóriam coronátus: triumphantes illìc Vírgines, quæ concupiſcéntiam carnis & córporis, continéntiæ róbore ſubegérunt: remuneráti miſericordes, qui, aliméntis & largitiónibus paúperum, juſtítiæ ópera fecérunt: qui Domínica præcepta ſervantes, ad cœleſtes theſauros terréna patrimónia tranſtulérunt. Ad hos, fratres dilectíſſimi, ávidâ cupiditáte properémus: ut cum his citò eſſe, ut citò ad Chriſtum veníre contingat, optémus.

DIE V.

DE OCTAVA.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

Libr. 22. cap. 30. §. 1.

Lectio ij.

VEra ibi glória erit, ubi laudantis nec erróre quisquam, nec adulatióne laudábitur. Verus honor, qui nulli negábitur digno, nulli deferétur indigno: sed nec ad eum ámbiet ullus indignus, ubi nullus permittétur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab álio quisquam patiétur. Præmium virtútis erit ipse qui virtútem dedit, eíque seipsum, quo mélius & majus nihil possit esse, promísit. Quid est enim áliud quod per Prophétam dixit: Ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi plebs? nisi, Ego ero undè satientur: Ego ero quæcumque ab homínibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & cópia, & glória, & honor, & pax, & ómnia bona. Sic enim & illud rectè intellígitur, quod ait Apóstolus: Ut sit Deus ómnia in ómnibus. Ipse finis erit desideriórum nostrórum, qui sine fine vidébitur, sine fastídio amábitur, sine fatigatióne laudábitur.

Lectio iij.

Enarr. in Ps. 83. §. 8.

DAvid pósitus inter tentatiónes, pósitus inter pressúras, pósitus in torculáribus, suspírans in superna promissa: . . . Beáti, inquit, qui hábitant in domo tuâ! Undè beáti? In sécula seculórum laudábunt te. Hoc erit totum negótium nostrum, sine defectu Allelúia. Non vobis, fratres, videátur quasi fastídium ibi futúrum: quia si modò hoc diù dicátis, non durátis, ab illo gáudio necéssitas vos avertit.... Cùm absorpta fúerit mors in victória, cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, & corruptíbile hoc indúerit incorruptiónem, nemo dicet: Diù steti: nemo dicet: Diù jejunávi, diù vigilávi. Stabílitas enim magna ibi, & ipsa immortálitas jam córporis nostri suspendétur in contemplatiónem Dei. Secúri ergo simus, fratres, non nos satiábit laus Dei, amor Dei. Si defícies ab amóre, defícies à laude. Si autem amor sempitérnus erit, quia illa insatiábilis pulchritúdo erit, noli timére, ne non possis semper laudáre, quem semper póteris amáre. Ergo, Beáti qui hábitant in domo tua; in sécula seculórum laudá-

te. Huic vitæ suspi-
i.

D i e VI.

O C T A V A.

no sancti Joannis Chrysóstomi.

Mart. quòd aut imit. , aut non laudandi.

Lectio ij.

Ui sanctórum mérita religiósâ caritáte mi- , quíque justórum as frequenti laude quitur, eórum mores os atque justítiam tur: quóniam quem tat sancti alicújus mé- i, delectáre debet par Dei cultum obsé- n. Quare, aut imitá- et si laudat, aut lau- non debet, si imitári ctat: ut qui laudat, ibilem se reddat; & anctórum mérita ad- tur, mirábilis ipse sanctitáte reddátur. si proptéreà justos si- que dilígimus, quòd sis justítiam fidémque cimus; póssumus nos ue esse quod sunt, si mus ipsi quod fáciunt. ue enim difficile nobis uod ab ipsis géritur tri, cùm sine præce- i exemplo ab antíquis gesta conspícimus; on ipsi aliórum æmuli erentur, sed æmulan- irtútis *seipsos nobis érent exemplum*: ut cùm nos ex ipsis, & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur.

Lectio iij.

UNdè ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur; Enoch Deo placens transfertur; justus Noe invenítur; Abraham fidélis probátur; Móyses mansuétus agnóscitur; Jesus castus, David lenis, Elías acceptus, Dániel sanctus; tres púeri victóres redduntur; Apóstoli, discípuli Christi, credéntium magistri habentur; è quibus erudíti Conféssóres fortíssimi pugnant, Mártyres perfecti triumphant, & christiáni semper exércitus diábolum Deo armáti debellant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, glorióse victóriæ. Undè, tu Christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio isto concerta. Consídera pactum, conditiónem attende, milítiam nosce; pactum, quod spopondisti; conditiónem, quâ accessisti; milítiam, cui nomen dedisti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnárunt; hâ

condítióne, universi vicérunt; hâc milítiâ, omnes triumphârunt.

Die VII.

DE OCTAVA.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Serm. 18. de Sanctis.

Lectio ij.

HOdiè, dilectíssimi, ómnium Sanctórum sub una solemnitátis lætítia celebrámus festivitátem: quorum societáte cœlum exultat, quorum patrocíniis terra lætátur, quorum triumphis Ecclésia sancta coronátur, quorum conféssio, quantò in passióne fórtior, tantò est clárior in honóre: quia dum crevit pugna, crevit & pugnántium glória, & martyrii triumphus multíplici passiónum génere adornátur: pérque gravióra tormenta, gratióra fuére & præmia: dúmque Cathólica mater Ecclésia per totum orbem longè latéque diffúsa, in ipso cápite suo Christo Jesu edocta contumélias, cruces & mortem dídicit non timére, magìs magísque roboráta est, non resistendo, sed perferéndo. O verè beáta mater Ecclésia, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam vincéntium gloriósus Mártyrum sanguis exornat, quam inviolátæ Conféssiónis cándida índuit virgínitas! Flóribus ejus nec rosæ, nec lília desunt.

Lectio iij.

CErtent nunc, caríssimi, sínguli ut ad utrósque honóres amplíssimam accípiant dignitátem; corónas, vel de virginitáte cándidas, vel de passióne purpúreas. In cœléstibus castris pax & ácies habent flores suos, quibus mílites Christi coronantur. Dei enim ineffábilis & immensa bónitas étiam hoc provídit, ut labórum quidem tempus & agónis non extenderet, nec longum fáceret, aut ætérnum, sed breve &, ut ita dicam, momentáneum: ut, in hac brevi & exíguâ vitâ, agónes essent & labóres; in illa verò quæ ætérna est, corónæ, & præmia meritórum: ut labóres quidem citò finirentur, meritórum verò præmia sine fine durárent: ut post hujus mundi ténebras visúri essent candidíssimam lucem, & acceptúri majórem passiónum cunctárum acerbitátibus beatitúdinem, testante hoc Apóstolo, ubi ait: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

Vespera de Festo sequenti.

DIE VIII.

J VENERATIONE S. RELIQUIARUM, Et OCTAVA Omnium Sanctorum.

Duplex III. Classis.

N CATH. *Dupl. II. Class.*

P*salmi de Feria, in toto* ficio.

I PRIMIS VESPERIS.

Antiphona 8. *toni*, g. Ustórum ánimæ in manu Dei sunt: visi sunt óculis sipiéntium mori; illi au- n sunt in pace. *Sap.* 3.

Ant. 1. f. Córpora ipsó- m in pace sepulta sunt, & omen eórum vivit in ge- rratiónem & generatió- m. *Eccli.* 44.

Ant. 5. a. Sit memória órum in benedictióne, & sa eórum púllulent de lo- suo. *Eccli.* 46.

Ant. 3. a. Illi viri mise- córdiæ sunt, quorum pie- tes non defuérunt: & ória eórum non derelin- téntur. *Eccli.* 44.

Ant. 2. D. Rex mundi functos pro suis légibus æternæ vitæ resurrectió- : suscitábit. *II. Mach.* 7.

Capitulum. Rom. 8.

VAnitáti creatúra sub- jecta est non volens, d propter eum qui sub- cit eam in spe: quia & sa creatúra liberábitur à rvitúte corruptiónis, in bertátem glóriæ filiórum ei.

Hymnus.

O Vos unánimes Chri- stiadum chori,
Sanctórum túmulos & cí- neres Patrum,
Dulces exúvias, pígnora Cœlitum,
Lætis dícite cántibus.

Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gaúdia pós- sident,
Pœnárum sóciis débita réd- ditur
Hîc laus, & decus ós- sibus.

Passim sparsa, Deus, pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígno- ra cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptandos lápides lo- cis.

Quin & Rellíquias & túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se ca- put ártubus,
Hos secum simul ím- molat.

Vos quorum cíneres súpplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, sub- sídium, boni,
Vestris ferte cliénti- bus.

Ut cùm nostra, novis spléndida dótibus,

Surget juncta choris spirítuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Exultábunt Dómino, ℞. Ossa humiliáta. *Ps.* 50.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Qui suscitávit Jesum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis. *Rom.* 8.

Orat. Auge, *infrà, p.* 535.

AD MATUTINUM.

Invit. Mirábilem Deum in Sanctis suis, * Veníte, adorémus. *Ps.* 67.

Hymnus, O vos unánimes, *suprà, in I. Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Manus Dómini dimísit me in médio campi qui erat plenus óssibus: erant autem multa valdè, siccaque vehementer. *Ezech.* 37.

Ant. 8. g. Dixit Dóminus: Fili hóminis, putásne, vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. *Ezech.* 37.

Ant. 5. a. Dixit: Vaticináre de óssibus istis; & dices eis: Hæc dicit Dóminus: Intromittam in vos spíritum, & vivétis. *Ezech.* 37.

℣. Deus edúcit vinctos in fortitúdine: ℞. Simíliter eos qui hábitant in sepulcris. *Ps.* 67.

Lectiones de Script. occurr.

℞. *j.* Prophetávi sicut præcéperat mihi Dóminus: * Prophetante me, ecce commótio: & accessérunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctúram suam. ℣. Deus vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt. * Prophetante me. *Ezech.* 37. *Rom.* 4.

℞. *ij.* Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego * Apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepulcris vestris, pópulus meus. ℣. Ego sum resurréctio & vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet. * Apériam. *Ezech.* 37. *Joann.* 11.

℞. *iij.* Ego consolábor vos: vidébitis, & gaudébit cor vestrum, * Et † Ossa vestra quasi herba germinábunt, dicit Dóminus. ℣. Córpora vestra membra sunt Christi; membra vestra templum sunt Spíritûs sancti. * Et. Glória. † Ossa. *Is.* 66. *I. Cor.* 6.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In Eliséo complétus est spíritus Elíæ; & mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48.

Ant. 2. D. In vita sua fecit monstra; & in morte mirabília operátus est. *Eccli.* 48.

Ant. 7. b. Cùm tetigisset cadáver ossa Eliséi, revixit homo, & stetit super pedes suos. *IV. Reg.* 13.

℣. Confitémini Deo deórum; ℟. Qui facit mirabília magna solus. *Ps.* 135.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

In S. Mart. Ignat. §. 5.

Lectio iv.

Relíquias Sanctórum nobis concessit Deus, ut nos eórum óperâ ad se perdúcat; ut sint nobis velut portus quidam, & idóneum solátium malórum quæ nos assíduè affligunt. Quamóbrem vos omnes cohortor, fratres, si quis vestrûm ægritúdine ánimi, vel córporis morbo, vel quâvis áliâ calamitáte, aut peccatórum mole prémitur, ut cum fide huc accédat; & ab his ómnibus liberátus, magnâ cum lætítiâ revertétur. Utilis omnínò cunctis hic thesaurus est: opportúnum refugium cunctis iis qui lapsi sunt, ut à tentatiónibus liberentur, & iis qui prósperè ac felíciter degunt, ut diù fruantur bonis: & iis qui morbis labórant, ut bonam valetúdinem consequantur: & iis qui commodâ gaudent valetúdine, ne quem in morbum íncidant.

℟. Stetit Eliséus super ripam Jordánis, & * Pállio Elíæ quod cecíderat ei, percussit aquas, & divísæ sunt. ℣. Quicumque non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit quia quodcumque díxerit, fiat, fiet ei. * Pállio. *IV. Reg.* 2. *Marc.* 11.

In SS. Mart. Ægypt. §. 1.

Lectio v.

Si qui multa præclárè gésserant majórum nostrórum ætáte, Sanctórum virórum nómina prætendentes, atque ad Abraham, Isaac & Jacob appellatiónem confugientes, nonnihil solátii sunt assecúti, ac magnam ex horum nóminum commemoratióne utilitátem decerpsérunt: multò magis nos non tantùm nómina, sed ipsa quæ decertârunt, córpora prætendentes, Deum propítium & benignum habére potérimus ac placátum. Atque ut ea quæ dícimus, verbórum fucum non esse constet; nôrunt quanta Sanctórum sit virtus, multi tùm indigenárum, tùm eórum qui aliunde venérunt, qui & testimónio suo quæ dicta sunt, comprobant; quippe qui quantam apud Deum fidú-

ciam obtíneant, experimento compérerint.

℟. Per manus Apostolórum * Fiébant prodígia multa, ita ut in platéas ejícerent infirmos, & pónerent in léctulis; ut, veniente Petro, umbra illíus obumbráret quemquam illórum: qui curabantur omnes. ℣. Vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. * Fiébant. *Act.* 5. *Ps.* 45.

Contra Gentiles, de S. Babyla Martyre.

Lectio vj.

Deus, quâ est in genus humánum benignitáte, inter álias quas infinítas nobis salútis nostræ occasiónes dedit, & hanc quoque viam nobis ad se munítam esse vóluit, idóneum ad capessendam virtútem stímulum, relictis scílicet intérim apud nos Sanctórum Relíquiis. Nam, post sermónis facultátem, ipsa certè Sanctórum sepulcra próximum locum obtinent ad ánimas hóminum in ipsos intuéntium, ad virtútum earumdem æmulatiónem excitandas. Cápsulæ enim aspectus in ánimam invádens, ipsam percellit & exsúscitat: ac perindè ásficit, quasi qui illíc mórtuus jacet, preces simul fundat, præsénsque adesse cernatur. Deindè fit ut qui sic se affectum sensit, álius prorsùs quodámmodò effectus, ita ex eo loco decédat.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli; ita ut super lánguidos deferrentur à córpore ejus sudária & semicínctia, & * Recedébant à lánguidis languóres, & spíritus nequam egrediebantur. ℣. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília? * Recedébant. Glória. * Recedébant. *Act.* 19. *Exod.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. d. Sicut Pater súscitat mórtuos, & vivíficat; sic & Fílius, quos vult, vivíficat. *Joann.* 5.

Ant. 8. c. Habentes spíritum fidei, crédimus: sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit. *II. Cor.* 4.

Ant. 4. f. Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo. *Rom.* 6.

℣. Apud te, Dómine, est fons vitæ. ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 20.

In illo témpore: Accessérunt quidam Sadducæó-

qui negant esse resur-
nem, & interrogavé-
esum. Et réliqua.
lia sancti Hierónymi
Presbyteri.
pusc. adv. Vigilant.
)let Vigilántius Már-
yrum Relíquias pre-
operíri velámine, &
el pannis, vel cilício
ári, vel prójici in
ilínium, ut solus Vi-
ius adorétur. Ergo
egi sumus, quando
olórum Basílicas in-
mur? Sacrílegus di-
s est Augustus Arcá-
qui ossa beáti Sa-
s longo post témpo-
Judæa tránstulit in
ciam? Omnes Epís-
, non solùm sacríle-
d & fátui judicandi,
m vilíssimam, & cí-
dissolútos in sérico,
se aúreo portavé-
Stulti ómnium Eccle-
n pópuli qui occur-
t sanctis Relíquiis;
tâ lætítiâ, quasi præ-
m viventémque Pro-
m cérnerent, susce-
it.... Mórtuum suspi-
, & idcircò blasphé-
Lege Evangélium.:
Abraham, Deus
, Deus Jacob: non
eus mortuórum, sed
um.
Multi de his qui dór-
t in terræ púlvere,
gilábunt in vitam æ-
ternam, & fulgébunt quasi
splendor firmamenti, &
quasi stellæ, in perpétuas
æternitátes. ℣. Quia resur-
gant mórtui, Móyses dicit
Dóminum Deum Abra-
ham, & Deum Isaac, &
Deum Jacob: Deus autem
non est mortuórum, sed
vivórum. * Evigilábunt.
Dan. 12. Luc. 20.

Lectio viij. Post pauca.

DIcis in libello tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus; postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudienda orátio; præsertìm cùm Mártyres ultiónem sui sánguinis obsecrantes, impetráre non quíverint. Si Apóstoli & Mártyres adhùc in córpore constitúti possunt oráre pro céteris, quando pro se adhùc debent esse sollíciti: quantò magìs post corónas, victórias & triumphos? Paulus Apóstolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas: & postquàm resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, & pro iis qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

℟. Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quíque ómnium invénit oríginem, & * Spi-

ritum vobis iterùm cum misericórdia reddet & vitam. ℣. Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. * Spíritum. Glória. * Spíritum. *II. Mach.* 7. *Coloss.* 3.

Lectio ix. Longè post.

MAlè facit ergo Románus Epíscopus qui super mortuórum hóminum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvísculum, offert Dómino sacrifícia, & túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solùm uníus urbis, sed totíus orbis errant Epíscopi qui, caupónem Vigilántium contemnentes, ingrediuntur Basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus, & favilla néscio quæ jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat: & quasi sepulcra Pharisáica foris dealbáta sint, cùm intùs immundo cínere, juxta te, immunda ómnia óleant atque sórdeant.... O portentum in terras últimas deportandum!

AD LAUDES.

Antiphona 1. *toni*, D.

EXpergiscímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere. *Is.* 26.

Ant. 2. D. A mórtuis suscitáre potens est Deus. *Hebr.* 11.

Ant. 3. a. Revelábit terra sánguinem suum, & non opériet ultrà interfectos suos. *Is.* 26.

Super Canticum. Réddidit [Sapiéntia] *suprà*, *p.* 517.

Ant. 4. d. Vivent mórtui tui: interfecti mei resurgent. *Is.* 26.

Ant. 5. a. De manu mortis liberábo eos: de morte rédimam eos. *Os.* 13.

Capitulum. I. Cor. 15.

SEminátur corpus in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte, surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

Hymnus.

ADeste, Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Coluntur ossa rítibus:
Votis favéte súpplicum.

NON illa, quanquam trístibus
Imum redacta in púlverem
Dudùm sepulcris squáleant,
Divína virtus déserit.

SED sancta præsenti fovet
Implétque templa Númine:
Sed & futuræ Spíritus

la servat glóriæ.
c ille qui nostris
:t
b aris cónditus,
ıedétur éfficax,
t, fugátque dæ-
nas.
ſumma, Christe,
ıs tibi,
: judex séculi,
ıtre, & almo Spí-
ı,
:órum sécula.
:n.
on derelinquet Dó-
ıanctos suos; ℟. In
n conservabuntur.

Bened. *Ant.* 8. g.
btùs altáre ánimas
ctórum propter ver-
ei; & clamábant
agnâ dicentes: Us-
ı non víndicas sán-
. nostrum? & dic-
: illis ut requiésce-
lhuc tempus módi-
lpoc. 6.

Oratio.

ge in nobis, Dómi-
:, resurrectiónis fi-
qui in Sanctórum
ı Relíquiis mirabí-
táris; & fac nos im-
is glóriæ partícipes,
.n eórum cinéribus
a venerámur; Per
um.

H O R A S.

torum Doxologia.

summa, Christe,
ıs tibi,

Ventúre judex séculi,
Cum Patre, & almo Spí-
ritu,
In seculórum sécula.
. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Expergíscí-
mini.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 25. *de Invocat. SS.*

AFfirmantes Sanctórum Relíquiis veneratiónem atque honórem non debéri; vel eas aliaque sacra monumenta à fidélibus inutíliter honorári; atque eórum opis impetrandæ causâ Sanctórum memórias frustrà frequentári; proùt jamprídem eos damnávit, & nunc étiam damnat Ecclésia.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. A mórtuis.
Capitulum. I. Cor. 15.

SI in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum.

℟. *br.* Cor meum & caro mea exultavérunt, * Allelúia, allelúia. ℣. In Deum vivum. * Allelúia, alle-

lúia. Glória. ℟. Cor meum. *Ps.* 83.

℣. Omnia ossa mea dicent: ℟. Dómine, quis símilis tibi? *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Revelábit.

Capitulum. I. Cor. 15.

IN Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem in suo órdine: primítiæ Christus, deindè ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.

℟. *br.* Vivificábis nos, Deus: * Allelúia, allelúia. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Vivificábis nos. *Ps.* 78.

℣. Nos pópulus tuus & oves páscuæ tuæ; ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD NONAM.

Ant. 5. a. De manu mortis.

Capitulum. I. Cor. 15.

CUm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus?

℟. *br.* Notas mihi fecisti vias vitæ: * Allelúia, allelúia. ℣. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Notas.

℣. Lætátum est cor meum, ℟. Et caro mea requiescet in spe. *Ps.* 15.

AD II. VESPERAS.

Antiphona 1. *toni*, D.

IPsi expectant resurrectiónem futúram justórum. *Act.* 24.

Ant. 4. E. Vivificábit nos Dóminus, suscitábit nos; & vivémus in conspectu ejus. *Os.* 6.

Ant. 7. G. Mórtui resurgent incorrupti, & nos immutábimur. *I. Cor.* 15.

Ant. 5. C. Cùm à mórtuis resurréxerint, sunt sicut Angeli in cœlis. *Marc.* 12.

Ant. 3. a. Beátus & sanctus qui habet partem in resurrectióne prima: in his secunda mors non habet potestátem. *Apoc.* 20.

Capitulum. II. Petr. 3.

NOvos cœlos & novam terram secundùm promissa Dómini expectámus, in quibus justítia hábitat: propter quod, caríssimi, hæc expectantes, satágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace.

Hymn. O vos unánimes, *suprà in I. Vesperis, p.* 529.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa Justórum: ℟. Unum ex his non conterétur. *Ps.* 33.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Nostra conversátio in cœlis est, undè Salvatórem

expectámus Dóminum Jesum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. *Philipp.* 3.

Oratio, Auge, *suprà.*

Fit Commemor. S. Caroli, Episc. Ant. Ipsum elégit. ℣. Elégit. *in Communi Pontificum, p.* xxvj. *Orat.* Ecclésiam tuam, *infrà.*

Deindè S. Godefridi, Episc. Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas, *p.* xxxij. *Orat.* Exaudi, *pag.* xxxiij.

DIE IX.

In Festo

SANCTI CAROLI

Borromæi,

Mediolanensis Episcopi.

Duplex.

Omnia de Commun. SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Erit ipsi pactum Sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo, & expiávit scelus filiórum Israel. *Num.* 25.

℣. Beátus quem elegisti & assumpsisti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Ego libentíssimè impendam & superimpendar ipse pro animábus vestris. *II. Cor.* 12.

℣. Invocábant Dóminum Sacerdótes ejus: ℟. Ipse exaudiébat eos, & loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

Lectio iv.

CArolus, Medioláni, Gilberto Borromæo, & Margarétâ Medicæâ natus est anno millésimo quingentésimo tricésimo octávo. A púero Clericáli milítiæ ascriptus, patrem admónuit ne réditus Ecclesiásticos quibus potiebátur, in rem familiárem convérteret; quorum ipse nactus administratiónem, quidquid superérat, expendébat in páuperes. Adolescens liberálibus disciplínis Pápiæ óperam dedit. Vicésimum tértium ætátis annum agens, à Pio quarto, avúnculo suo, in sacrum Cardinálium collégium cooptátus, commissa sibi gravíssima Ecclésiæ negótia summâ fide ac religióne administrávit. Mediolanensis deindè Archiepíscopus creátus, plúrimam óperam adhíbuit, ut secundùm Tridentínum Concílium, quod ejus potíssimùm sollicitúdine jam tùm fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commissam compóneret. Atque ut Ecclesiásticam disciplínam restitúeret, multas tùm Diœcesánas, tùm Provinciáles Synodos coégit. E Diœcési discessit nunquàm, nisi coactus, aut concedente Apostólicâ Sede, aut le-

nióre Provínciæ Epíscopo approbante. In profligandis hæréticis è pártibus Rhætórum & Helvetiórum, quorum plúrimos ad fidem convertit, máximè laborávit.

Lectio v.

EJus cáritas tùm præcípuè énituit, cùm, Uritáno principátu véndito, prétium univérsum ad quadraginta aureórum míllia unâ die in paúperes erogávit; nec minóri pietáte viginti míllia quæ sibi fúerant legáta, distríbuit. Ecclesiásticos proventus, dignitátes & múnera, quibus ab avúnculo copiósè fúerat cumulátus, dimísit. Quo témpore pestiléntia Medioláni grassabátur, doméſticam supelléctilem, ne sibi quidem serváto léctulo, in paúperes alendos cóntulit, super nuda deinceps tábula decumbens; eóque morbo laborantes, non in civitáte modò, sed & in réliqua Diœcési, diù noctúque invisébat, spirituália iis & temporália adminiſtrans: de alendis præcípuè órphanis ádeò sollícitus, ut ex his unum, ex ubéribus mórtuæ matris pendentem, suis ipse mánibus erípere véritus non fúerit. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicâ satisfactióne indíctâ, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus étiam ex offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetipsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat. Ecclésiásticæ libertátis acérrimus propugnátor fuit: disciplínæ regulári inter mónachos instaurandæ intentus, cùm ex more aliquandò in priváto oratório véspere cum família oráret, à perditíssimo quodam mónacho è Congregatióne Humiliatórum, sclopo percussus, divínâ virtúte servátus est illæsus.

Lectio vj.

VItam duxit aspérrimam, corpus domans flagellis, cilício, vigíliis ac jejúniis: pane tantum & aquâ, solis quandóquè lupínis, contentus. Oratiónem, ac verbi Dei prædicatiónem gravíssimis licèt curis occupátus, numquàm intermísit. Multas Ecclésias, Monastéria, Seminária, Collégia ædificávit. Plura scripsit ad Episcopórum præsertìm instructiónem utilíssima: ejúsque óperâ, Parochórum Catechísmus pródiit. Demùm in solitúdinem Varalli montis, ubi sculptæ imágines Domínicæ pas-

ſiónis myſtéria éxprimunt, ſeceſſit; ibíque diébus áliquot voluntáriâ caſtigatióne, duram ſed ſuávem ex Chriſti dolórum meditatióne vitam agens, in febrim íncidit. Mediolánum reverſus, ingraveſcente morbo, cínere & cilício coopertus, & óculis in Crucifixi imáginem defixis, migrávit in cœlum, anno ætátis quadragéſimo ſexto, Chriſti milléſimo quingentéſimo octogéſimo quarto. Quem miráculis conſpícuum Paulus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Bonus Paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. *Joann.* 10.

℣. Juſtítia ejus manet in séculum séculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Jeſus quibuſdam ex Pharisæis: Ego ſum Paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Cároli, Epiſcopi.

Or. hab. in Conc. Mediol. I. circa medium.

IN delictis corrigendis illa nobis ineunda rátio eſt, ut pro vi ac modo morbórum, ægrorúmque natúra, medicínam accommodémus; nunc lénibus admonitiónis, & objurgatiónis remédiis erráta caſtigantes; nunc acrióri curatióne utentes; dénique exulcerátis pártibus ferrum & ignem admoventes, quemádmodùm mali rátio & contagiónis perículum poſtulábit, mémores nos ſemper eſſe patres, non dóminos. * Morum autem diſciplínam fácilè reſtituémus, ſi quâ ratióne, quibúſve factis primùm conſtitúta, diúque conſerváta eſt, eamdem nos in reſtituenda adhibébimus; illórum veſtígia proſequentes, qui hanc bonórum amplitúdinem nobis, Deo auctóre, ſuâ virtúte peperérunt.

Lectio viij.

PRoponámus nobis, quæſo, Patres, illórum vitæ ſanctitátem, & in adminiſtratióne ſui officii ſapiéntiam. * Erant íntegri, caſti, símplices, modeſti, húmiles, benè moráti, in oratióne & lectióne aſsídui, ſuî deſpicientes, in aliénæ ſalútis cura & cogitatióne defixi, consílio & óperâ benigni, hoſpitáles, in doméſtico cultu & victu parci, in álios benéfici & liberáles. Erant vigilantes

Z vj

super grégibus suis, víneam Dómini summâ diligéntiâ, & labóre colentes, & custodientes.

De S. Godefrido, Episcopo.
Lectio ix.

Godefrídus in agro Suessionensi ingénuis paréntibus natus, statìm ab ortu ad Godefrídum Abbátem sancti Quintíni propè Perónam delátus, ab eo baptismum & nomen accépit. Inter mónachos ascriptus, brevì æquáles sciéntiâ, sanctitáte, ingénii morúmque maturitáte superávit. Vix quintum & vicésimum annum attígerat, cùm ad Presbyterátum evectus, & monastério Novigentensi præpósitus est: nec multò pòst commúnibus Cleri populíque Ambianensis suffrágiis in Antístitem est eléctus. In Episcopátu totus fuit in reformandis tàm Cleri, quàm pópuli móribus: plus factis, quàm dictis oves suas instituébat. Pater erat paúperum, pupillórum, viduarúmque patrónus. Tempus omne quod Episcopália múnera non assumébant, oratióni & sacrárum Scripturárum lectióni impendébat. Illatárum sibi injuriárum ímmemor inimícos diligébat ex ánimo, bono malum sciens víncere. Sedis suæ júrium acérrimus defensor, minas & contumélias irrídens, magnátum injustítiam & vexatiónes repressit. Viennensi Concílio præfuit. Post annos áliquot, relictis ómnibus ut uni Deo vacáret, Carthúsiam magnam pétiit; ibíque ad mortem usque mansisset, nisi tùm per Synódicas Suessionensis Concílii lítteras, tùm Ludovíci sexti jussu ad sedem suam revocátus fuisset. Tandem plenus méritis & opéribus bonis, cùm sedis suæ abdicatiónem postulatúrus Remos péteret, in monastério sancti Crispíni Suessiónum quinquagenárius obdormívit in Dómino, sexto Idus Novembris, anno Episcopátûs sui undécimo.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Cároli Pontíficis tui continuâ protectióne custódi; ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes; Per Dóminum.

Ad Laud. *Commemor. S. Godefridi, Episcopi, Ant.* Beatificávit. ℣. Magna est. *Oratio*, Exaudi, *pag.* xxxiv. & xxxiij.

Vesperæ *à Capit. de S.* Leone. *Commem. præcedent.*

Die X.

In Festo
ONIS MAGNI,
ipæ, & Ecclesiæ
Doctoris.

Duplex.

mnia de Communi SS.
rum, pag. xxxiv. *ex-*
qua sequuntur.

I. NOCTURNO.

t. 1. D. Nemo vicit
, nec superávit illum
im áliquod. *Eccli.* 48.
Os justi meditábitur
ntiam, ℟. Et lingua
loquétur judícium.
6.

II. NOCTURNO.

t. 6. F. Erudítus est
sapiéntiâ; & erat po-
n verbis & in opéri-
iis. *Act.* 7.
Beátus vir qui dispó-
rmónes suos in judí-
℟. In æternum non
iovébitur. *Ps.* 111.

Lectio iv.

o, Románus, factus
Diáconus, Sixto Pon-
auctor fuit ne recí-
Juliánum Pelagiá-
, in communiónem
siæ súbdolè irrepen-
, ut sedem amissam
eráret. Missus in Gál-
, ut dissidentes inter
tium & Albínum Ro-
s duces conciliáret;
câ legatióne revocá-
t, ut Sixto succéde-
Quatiebátur intérim
totus penè orbis christiá-
nus váriis hæreticórum
tempestátibus: Orientem
Nestoriáni, Occidentem
Pelagianórum relíquiæ in-
festábant. Manichæos qui
ex Africa à Vándalis deva-
státâ Romam conflúxe-
rant, cùm Cathólicæ com-
munionis spécie perfídiam
suam tégerent, sanctus
Póntifex iis præsertìm de-
texit indíciis, quòd Do-
mínicâ die, & Fériâ se-
cundâ jejunárent in honó-
rem Solis & Lunæ, & Sán-
guinem redemptiónis no-
stræ hauríre omnínò decli-
nárent.

Lectio v.

Pelagianórum relíquias
extinxit: Priscilliani-
stárum renascentem hære-
sim, congregátâ in His-
pánia Synodo, proscripsit.
In Concílio quarto œcu-
ménico apud Chalcédo-
nem celebráto, perlecta
est illíus ad Flaviánum
Epístola, quam ad se mis-
sam Galliárum Epíscopi
summis láudibus excépe-
rant: & ab univérsis Pá-
tribus acclamátum; Petrus
per Leónem locútus est.
Hujus Concílii definitió-
nem adversùs Eutychen &
Dióscorum ad eosdem Gál-
liæ Epíscopos Leo trans-
mísit. Missus à Valenti-
niáno Imperatóre ad At-
tilam qui Aquiléiam ex-

pugnáverat, pacem inter eos compóſuit. Romam reverſus, Genſeríco urbem invadenti perſuáſit, ut ab incéndio & cædibus abſtinéret.

Lectio vj.

CAnonum propugnátor fuit acérrimus: múltaque ſanctè & utíliter decrévit. Cléricum ultériùs ab aliéno Epíſcopo ſuum in clerum aſcríbi, ordinári bígamos, ſolemne Baptíſma niſi pervigílio Paſchæ & Pentecoſtes adminiſtrári prohíbuit. Epíſcopum qui, relictâ ſuâ civitáte, majórem ſedem ambíerit, utrâque ſpoliandum eſſe cénſuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacerdos eſſet ordinandus, ad omnes officii Clericális órdines proveherétur; ut diuturno témpore díſceret ea quorum & doctor eſſet futúrus. Plúrimis functus labóribus, multíſque luculenter ſcriptis, cùm Eccléſiam ab hæreticórum labe vindicaſſet, & Itáliam à barbarórum vaſtatióne, explétis in pontificátu vigínti & ampliùs annis, ábiit ad Dóminum. Propter pietátem, eruditiónem & tot res præclárè geſtas, méritò Magni nómine commendátus eſt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Concreſcat ut plúvia doctrína mea; fluat ut ros elóquium meum. *Deut.* 32.

℣. Os meum loquétur ſapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Pſ.* 48.

Lectiones ut in Comm. SS. Doct. p. xxxviij. *&* xxxix. *Oratio*, Excita, *pag.* xlj.

Vesperæ de ſequenti. Commem. præcedentis.

D I E XI.

In Feſto S. MARTINI, Túronenſis Epiſcopi.

Duplex III. Claſſis.

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Jerem. 1.

AD ómnia quæ mittam te, ibis; & univerſa quæcumque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas à fácie eórum; quia tecum ego ſum ut éruam te, dicit Dóminus.

Hymnus.

ECquis ardentes rápitur per auras?
Iſte quis pauper petit aſtra dives?
Cœlites plaudunt, comitémur hymnis
Aſtra petentem.

Flore ſub primo juvenílis ævi,
Cæſarum juſſu tulit arma miles;

Móxque depónet, tibi, Christe, nomen
Tiro proféssus.

Non furor belli benè Christiánum
Pectus infrégit: pius inter arma
Integros servat, semel obligáto
Nómine, mores.

Pauperi pauper malè membra nudo
Dívidit vestem: mediâque Christus
Obtulit sese túnicâ micantem,
Nocte sequenti.

Fonte lustrátur: melióre testes
Se sacramento vovet inter aras:
Induit Christum, simul ac profána
Exuit arma.

Hinc capit vires: velit Imperátor,
Solus advérsos penetrábit hostes:
Una crux Christi, velut umbo, tela
Omnia contra.

Sed novus miles nova bella tentat:
Sævit in sese: sibi factus hostis:
Undè majóres sibi pollicétur
Ferre triumphos.

Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

Ad Magníf. *Ant.* 8. g. Nonne Deus consíderat vias meas? si ambulávi in vanitáte? si negávi, quod volébant, paupéribus; & óculos víduæ expectáre feci? si despexi pereuntem, eò quòd non habúerit indumentum, & absque operimento páuperem. *Job.* 31.

Oratio, Deus qui, *infrà ad Laudes, pag.* 548.

Commemor. S. Leonis, Papæ & Eccles. Doct, Ant. Qui docti. ℣. Ignítum, *pag.* xlij. *Oratio*, Excita, *pag.* xlj.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Epíscopum animárum nostrárum, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 2.

Psalm. Veníte. *pag.* 2.

Hymnus.

Quo, fugis præceps? latitáre nescit
Mille portentis manifesta virtus:
Præsulem jam te feret in suprémum
Turo tribúnal.

Non tumet fastu, neque splendet auro:

Paúperem servat, velut antè, vestem:
Ora deformi dabat una virtus,
Undè nitéret.

Spréverit vili quis eum lacernâ,
Cujus ad nutus elementa parent?
Scilicet jussi posuére, fractis
Víribus, ignes.

Redditur cæco sua lux, & auris
Rédditur surdo, sua lingua muto.
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.

Imperat morbis: ábigit malignos
Spíritus, divûm simulácra vertit:
Luce defunctos vocat ad prióris
Múnera vitæ.

Fertur immáni ruitúra mole
Arbor, excíso trepidasse trunco:
Sústinet lapsum, capitíque sacro a-
versa pepercit.

Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Martínus, Sabáriæ in Pannónia, patre tribúno mílitum natus, Ticíni verò in Itália educátus, cùm esset annórum decem, invítis paréntibus in Ecclésiam confúgiens, inter Catechúmenos nomen dedit. Anno ætátis quinto & décimo ascriptus milítiæ ex Imperatórum edícto, quo veteranórum fílii sua nómina profitéri cogebantur; sub Constantíno sic méruit, ut non miles, sed mónachus viderétur. Ambiánis ad portam urbis, quæ Gemellórum dicebátur, paúperi nudo & algenti præ gelu immódico, cùm nihil habéret præter arma & vestiméntum, partem chlámydis dedit. Nocte insecútâ, Christus dimidiátâ illâ veste indútus appáruit, circumstantes Angelos sic álloquens: Martínus adhuc catechúmenus hâc me veste contexit. Post hanc visiónem, statim ad baptísmum convolávit; quem anno ætátis octávo & tricésimo suscépit: idque Ambiánis, ut ipsa rerum gestárum séries índicat. Relictâ, biénnio post, sub Juliáni prin-

cipátu, milítiâ, sanctum Hilárium Pictavensem Epíscopum ádiit, à quo ad Diaconális órdinis gradum jussus conscéndere, in ínfimo Exorcistæ officio subsédit. Nec multò pòst divínitùs admónitus, suos revísit, matrémque cum áliis non paucis gentilitátis absolvit erróre.

Lectio v.

AB Epíscopis Ariánis, qui in illis pártibus erant plúrimi, quòd ferè solus eórum perfidiam frángeret, váriè exagitátus, pública vérbera, víncula exiliúmque passus, Illyrico primùm, deindè Medioláno ubi monastérium sibi constrúxerat, ejectus, sedem in Pictónibus fixit; ibíque ædificáto Locociacensi monastério, quod primum ómnium in Gálliis fuit, sub Hilário mónachis præfuit. Ordinátus deindè Turonensis Epíscopus, álterum monastérium secundo ab ea urbe lápide cóndidit, in quo discípulos octoginta congregávit, quos sicut & Locociacenses vitam monásticam cum Clericáli vita conjúngere tam felíci mixtúrâ dócuit, ut nulla esset cívitas, nulla Ecclésia quæ non se de Martíni monastério cúperet habére sacerdótes. Idolórum fana dejécit, & lucos succídit, non véritus aliquandò vitæ adire discrímen, ut eórum cultum pénitùs aboléret. Illíus ánimus cœlo semper intentus: nullum ei tempus ab ópere Dei vácuum. Nemo unquàm illum vidit irátum, nemo commótum; nemo mœrentem, nemo ridentem: unus idémque semper cœlestem quodam modo lætítiam vultu præferébat. Nunquàm in illíus ore nisi Christus, nunquàm in illíus corde nisi píetas, nisi pax, nisi misericórdia ínerat. Injuriárũ fuit patientíssimus, ádeò ut impúnè vel ab ínfimis cléricis læderétur, ac sibi obtrectántium peccáta plerumque defléret. Obitum suum longè antè præscívit. Interìm Condatensis Ecclésiæ Cléricis inter se discordántibus, bonus ille Pastor bonam hanc virtútum suárum consummatiónem exístimans, si pacem Ecclésiæ rédditam reliquisset, illò profectus est.

Lectio vj.

PAce inter Cléricos restitútâ, cùm jam régredi ad monastérium cogitáret, víribus córporis cœpit repentè destítui, convocatísque discípulis índicat se jam resolvi. Tum verò mœror & luctus ómnium: vox

una plangéntium: Cur nos, Pater, déseris? aut cui nos desolátos relinquis? invádent gregem tuum lupi rapáces. Tunc ille motus his flétibus, conversúsque ad Dóminum, fléntibus respondit hâc voce: Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat volúntas tua. Ingravescente febre, nóbili illo strato suo in cínere & cilício récubans, cùm à discípulis rogarétur, ut saltem vília sibi sineret stramenta suppóni: Non decet, inquit, filii, christiánum nisi in cínere mori. Rogátus à Presbyteris, ut corpúsculum láteris mutatióne releváret: Sínite me, inquit, cœlum pótiùs respícere quàm terram, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Hæc locútus diábolum vidit propè assístere: Quid hîc astas, inquit, cruenta béstia? nihil in me, funeste, repéries: Abrahæ me sinus récipit. Cum hac voce spíritum cœlo réddidit, annos natus unum & octoginta. Vivus cláruit miráculis plúrimis, mórtuus innumerabílibus. Quæ martyrii laúrea viventi défuit, hanc ei áttulit ímpius Calvinistárum furor, qui sacras ejus exúvias cremáre ausi sunt. Supersunt tamen portiónes quædam, quæ ut par est, máximo sunt in honóre.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis: Nemo lucernam accendit, & in abscóndito ponit, neque sub módio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediuntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

Serm. in Festo S. Martini. num. 12.

MArtínus lucerna erat ardens & lucens. Eum saltem non pígeat imitári; sed imitári in eo quod est imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Ad mensam dívitis sedes hódiè: diligenter consídera quæ tibi apponuntur. Discerne inter cibos & vasa cibórum: illos enim jubéris tóllere, sed non illa. Dives est iste Martínus: dives in méritis, dives in miráculis, dives in virtútibus, dives in signis. Diligenter ergo consídera quæ apponuntur tibi, quænam vidélicet ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem. Húmilis fuit &

u pauper iste Martí-

io viij. §. 12. & 13.
scitávit Martínus tres
órtuos: .... réddidit
ı cæcis, surdis au-
ı, mutis loquélam,
is gressum, áridis sos-
:m. Evásit divínâ vir-
rerícula, próprii cór-
óbice flammas répu-
immánem sacrílegæ
inæ molem columnâ
è cœlo descendente
távit: leprósum mun-
ósculo, curávit óleo
yticum, dæmones
, Angelos vidit, fu-
prævídit. Verùm hæc
:m, céteraque ejús-
altíssima quæ fecit
ıália, quidni miríſica
am vasa díxerim dí-
hujus, auro grávia,
nis micántia, pariter-
natériâ & ópere pre-
? Noli in his sapórem
ere, sed miráre splen-
n.

ctio ix. Post pauca.

Eterùm ne putáveris
ornátas quidem Mar-
ámpades, sed vácuas
ıíri: non est fátua vir-
ıabet in vasis óleum,
: vinum in phíalis, ha-
ntra parópsides istas
um cópiam, delícias
.e spirituáles: ut non
ı vídeant & mirentur,
lant paúperes & satu-
r; atque in illis qui-
dem Dóminum laudent, porrò in his vivant corda eórum.... Ut ergo sit jucunda decóraque laudátio in admiratióne, étiam vivant ex imitatióne; &, ut avídiùs sumant delícias, ipsas quoque divítias curiósiùs contempléntur. Sic nimirùm inter splendórem & fervórem lucernæ hujus vicáriis quibusdam affé-ctibus discurrendum, ut nobis alter ex áltero commendétur, & ex mútua collatióne uterque complacítior fiat.

AD LAUDES.

Capitulum. Jerem. 1.

DIxit Dóminus ad me: Ego dedi te hódie in civitátem munítam, & in columnam férream, & in murum æreum super omnem terram, Régibus Juda, Princípibus ejus, & Sacerdótibus, & pópulo terræ.

Hymnus.

THURE fumantes quis hic inter aras,
Vérticem cujus sacra flamma lambit?
Intùs ardébat méliùs sacrátâ
Péctoris arâ.
REGIS accumbens épulis tuétur
Præsulum præsul benè par honórem:
Ipsa nunc vilem minor ante pannum

Púrpura pallet.
O virum, qualem píetas petébat,
Quem fides nullis labefacta seclis
Non semel sensit médios per enses
Sacra tuentem!
Læditur probris: sibi semper idem
Nescit irasci: fera corda placat,
Et suos tantùm cumulando donis
Súbjicit hostes.
Nec truci quamvis caput immolandum
Pro Dei causa pósuit sub ense;
Mártyris palmam, rétulit, vel isto
Dignus honóre.
Lætus æternum célebret Parentem
Orbis, æternum célebret Parentis
Fílium: sit par tibi cultus omni,
Spíritus, ævo.
Amen.

℣. Concupiscit, & déficit ánima mea, ℟. In átria Dómini. *Ps.* 83.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Mihi vívere Christus est, & mori lucrum. Coarctor autem è duóbus, desidérium habens dissolvi: & esse cum Christo multò magis mélius; permanére autem in carne necessárium propter vos. *Philipp.* 1.

Oratio.

Deus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es; ínnova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita separáre nos possit à caritáte Dómini nostri Jesu Christi; Qui tecum vivit.

AD II. VESPERAS.

Capitulum. Deut. 3.

Domine Deus, tu cœpisti osténdere servo tuo magnitúdinem tuam, manúmque fortíssimam: neque enim est álius Deus, vel in cœlo vel in terra, qui possit fácere ópera tua, & comparári fortitúdini tuæ.

Hymnus.

Perfusus ora lácrymis
Martínus astra súspicit,
Et in beáto pátriæ
Defixus obtútu gemit.
O Mors, ait, quid támdiù
Differs leváre víncula?
Amóre Christi saúcium
Priváre vitâ munus est.
Quid tu minráci gútture,
Draco cruente, síbilas?
Redi sub umbras tártari:
En lucis aula me vocat.
Et vos flagrans quos cáritas

Mihi dat esse filios,
Fletu molesto párcite
Tardáre patris gaúdia.
Quod si tamen nostros adhuc
Tellus labóres éxigit,
Jam laúream prensans manu
Reddar libenter prælio.
Sic fortis & constans sibi
Martínus usque pérstitit:
Nec pro Deo timet mori,
Sed nec recûsat vívere.
Sit Trinitáti glória,
Sermónibus quam víndicans
Martínus & miráculis,
Adeptus est in præmium.
Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine, ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Mórtuus est servus Dómini, jubente Dómino; & non surrexit ultrà prophéta in ómnibus signis atque portentis, quæ misit Dóminus per eum, ut fáceret in terra. *Deut.* 34.

Die XIII.

In Festo S. Brictii, Turonensis Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, p. xxv. Orat. Exaudi, pag. xxxiij.

Ex História Ecclesiástica Francórum sancti Gregórii Turonensis Epíscopi. *Libr.* 2. *cap.* 1. & *libr.* 10. *cap.* 31.

Lectio iij.

Bríctius, civis Turónicus, cùm esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quâdam autem die Bríctium Diáconum vir beátus allóquitur: En ego, Bricti, delírus tibi vídeor; amen dico tibi quia obtínui apud Deum, ut post meum tránsitum, ad Pontificátûs honórem accédas; sed nóveris te in Episcopátu multa adversa passúrum. * Adeptus ergo, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii & Honórii secundo, Pontificátûs officium, oratióni vacábat. Anno autem Ordinatiónis ejus tricésimo tértio óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negante. Illis verò non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo Sancti adimplerétur. Hoc enim ejecto, Justiniánum in Episcopátu constítuunt.** At Bríctius Epíscopus Romam véniens, cuncta quæ pertúlerat Papæ refert: ibíque plerúmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martí-

num delíquerat, deflendo díluit. Séptimo ígitur anno, immúnis inventus à crímine, ad urbem suam redíre jussus est. Fuerúntque omnes anni Episcopátûs ejus quadraginta septem; obiítque, & sepultus est in Basílica quam super sanctum Martínum ædificávit.

DIE XIV.

In Festo

S. LEONARDI, Solitarii.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Anachoretarum, pag. ij.

Oratio, Deus, qui nos ádmones, *pag.* lviij.

Lectio iij.

Leonardus, Clodovéo magno regnante, nóbili loco ortus, & sancti Remígii primùm discípulus extitisse perhibétur. Is tandem apud Lemovíces óbiit, fundáto Nobiliacensi cœnóbio, cui subjecta est ab inítio séculi décimi tértii Ecclésia de Crocíaco in Diœcési Parisiensi; in quâ ídeò Leonardus tanquàm Patrónus secundárius cólitur, eodémque nómine médiâ in urbe, scílicet in Ecclésia sancti Medérici celebrátur. Inter vária mirácula quibus tàm vivus quàm mórtuus inclàruit, mira prǽsertìm in captívis liberandis virtus ejus comprobáta est.

AD LAUD. *Hymn.* Quid tu, relictis úrbibus, *p.* lvij.

DIE XV.

In Festo

S. MACLOVII, Alethensis Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv.

Oratio, Præsta, *infrà.*

Lectio iij.

Maclóvius, qui & Machútes & Macútus dícitur, sancti Sampsónis ex soróre nepos, cognátus autem beáti Maglórii apud Carvannam, locum in Británnia majóri marítimum, sub Brindáni Abbátis disciplína à púero erudítus est. Cùm Britannórum mos esset Epíscopos ex monastériis pétere, defuncto Gummicastri Antístite, è cœnóbio per vim eductus, ad Episcopátum raptus est & ordinátus. *. Sed paulò pòst, conscensâ cum paucis navículâ, clàm subduxit se; & Aremóricos petens, ad eam primùm applícuit ínsulam in qua Aaron Abbas, vir angélicæ vitæ, cum quibúsdam discípulis versabátur. Is auctor illi fuit ut pagánis in vicínia degéntibus verbum Dei prædicáret. Quod in advérsa ínsula, in qua ...

ima civitas Aléthis
at, sédulo perfécit.
ultò pòst, adjunctis
quos illîc repérerat
iánis, ingenti ple-
e conversæ multitú-
ollicitúdinem Epis-
m utrisque rogánti-
hibuit. ** Aaróne
mórtuo, ejus étiam
rium regendum sus-
numerúmque mo-
rum ad septuaginta
ad quem étiam Cléri-
ethensis Ecclésiæ per-
dícitur. Verùm pó-
rátus ab íncolis illíus
is, in Aquitániam
atque íterùm se recé-
idémque, apud Ar-
a Bráïa Santonensis
icum, in cínere ac
expirávit séptimo
Calendas Novem-

Oratio.

sta, quæsumus, óm-
otens Deus, ut beá-
lóvii Pontíficis fe-
rantes, & fídei mu-
r auxílio, & caritátis
ámus exemplo; Per
um.

IE XVII.

In Festo

ANIANI,

lianensis Episcopi.

Simplex.

ia de Communi SS.
cum, pag. xxv.
io Deus, infrà.

Lectio iij.

ANiánus, máximus & consummátus Pontífex, dignus hábitus est qui Germáno Autissiodorensi, & Lupo Trecensi compararétur, eximiæque non solùm sanctitátis, sed & prudéntiæ vir, eo témpore Ecclésiæ Aurelianensi jam senex præerat, quo Attila Hunnórum rex Gállias devastábat. ** Imminébat Aureliánis præcípuè hæc tempestas, imò ira indignatiónis Dei, quam précibus suis differre nitebátur Aniánus, ut pópulum intérim ad pœniténtiam revocáret. Nec neglexit Arelátem usque ad Aétium pérgere, qui rebus Románis, Valentiniáni nómine, tunc præerat; ut festínum urbi periclitanti auxílium impetráret. * Jámque áderat Attila, totâque vi Aureliános impugnábat. Inclúsi pópuli, suo Pontífici, quid ágerent cùm acclamárent; ille fisus in Deo, jubet omnes in oratiónem prosterni, & cum lácrymis præsens semper in necessitátibus Dómini auxílium imploráre. Factum id íterùm ac tértio, ardentióre semper desidério, fletu uberióre; donec his, ut præcéperat, deprecántibus, post tértiam oratiónem, de muro, ut senex imperáverat,

aſpicientes, vidérunt éminùs quaſi nébulam de terra consúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Sacerdos: Auxílium Dómini eſt. ** Interìm tamen non oppugnabátur modò óppidum, ſed & expugnabátur. Jámque ingreſſi Hunnórum Próceres nihil niſi de victæ plebis ſpóliis cogitábant, cùm ecce mixti Románi Gothíque ex improvíſo ſupervéniunt, Hunnóſque fundunt, expellunt, fugant. Biénnio pòſt, ut créditur, Aniánus, plenus bonis opéribus, obdormívit in Dómino, & in Basílica ſancti Lauréntii cujus Abbas fúerat, ſepultus eſt.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Aniáni Pontíficis ánnuâ feſtivitáte lætíficas; præſta nobis, quæſumus, ex ejus intervention gaudére, & oratióne fulcíri; Per Dóminum.

DIE XVIII.

In Feſto

S. MOMBOLI,

Latiniacenſis Abbatis.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Abbatum, pag. lj. *Orat.* Da nobis, *in Communi, pag.* lviij.

Lectio iij.

Mombolus, qui & Momboléнus poſtquàm à Latiniacenſi monaſtério cum paucis frátribus deceſſit, in quemdam locum pagi Noviomenſis, Gundarínum vocábulo, ſuper flúvium Iſaram venit. Is à beáto Elígio Présbyter conſecrátus, facultátem prædicandi per totam illam Diœcéſim accépit. Apud Gundarínum mórtuus eſt quarto & décimo Calendas Decembris, ibíque ſepultus eſt. Corpus ejus póſteà tranſlátum eſt ad Cœnóbium Fontis ſancti Elígii propè Calníacum ad Iſaram, ubi honorífice aſſervátur & cólitur.

DIE XX.

In Feſto

SUSCEPTIONIS

RELIQUIARUM

S. MEDARDI,

Noviomenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

[*In Cathedr. Duplex II. Claſſ. Omnia de Communi SS. Pontific. p.* xxv. *exceptis quæ ſequuntur. In I. Noct. Lect. de Scriptur. occurr. In II. Noct. tres Lect. de duabus infrà, diviſione factâ ad aſteriſcos.* Basílica. * Hùc porrò. ** Anno autem. *In III. Noct. Evang. & tres Lection. de Homilia, ut in Communi,* pag. xxx. & xxxj.]

Extra Cathedr. Omnia de

Communi SS. Pontific. pag. xxv. *exceptis quæ sequuntur.*

Lectio ij.

BAsílica sancti Medardi juxta Suessiónem splendóre & opuléntiâ quam miraculórum crébritas pepérerat, inter primas Gálliæ século nono florébat, cùm anno octingentésimo octogésimo sexto, Normánnica calámitas totam Suessionensem civitátem depopuláta, inclytam illam Ecclésiam unà cum monastério concremávit. Medardenses mónachi corpus sancti Pontíficis antè occulúerant, ne in istud barbárica rábies desævíret: atque ibi sacræ beáti Medardi Relíquiæ míseræ illíus regiónis cladi subductæ sunt, & asservátæ, donec anno nongentésimo primo, præ metu barbarórum ómnia vastántium, indè asportátæ sunt usque ad territórium Divionense. * Hûc porrò delátæ beatíssimi Pontíficis exúviæ, procurante Ademáro loci Cómite, in ipso castro Divionensi, eò quòd firmíssimum & inexpugnábile viderétur, depósitæ sunt, & ejusdem anni nongentésimi primi mense Maio in Ecclésia Sancti Stéphani religiósè recónditæ. *Sic & in eamdem Ecclésiam & in eódem* perículo, desinente século præcedenti, córpora Sanctórum Benigni & Prudéntii, Mártyrum, & sancti Silvíni Tarvanensis Epíscopi invecta fúerant.

Lectio iij.

HAnc illatiónem consecúta est tanta miraculórum frequéntia ut ea vocitarétur Ecclésia, non jam sancti Stéphani, sed sancti Medardi. Hinc apud Diviónem céleber sancti Epíscopi cultus, ejusdémque in sacris supplicatiónibus invocátio. Exindè jam ab anno millésimo quinquagésimo Canónici Noviomenses cum Canónicis Divionénsibus precum societátem iniérunt. ** Anno autem millésimo sexcentésimo & quinquagésimo Diviónem à Capítulo Noviomensi missus est è Canónicis unus, qui à Jacóbo Cabillonensi Epíscopo, Abbáte sancti Stéphani Divionensis, & ab ejusdem Ecclésiæ Capítulo portiónem áliquam tanti thesauri expósceret; quátenùs Ecclésiæ Noviomensi Patrónum, parentem, primúmque Præsulem suæ postlimínio sedi rédderent, insígnem áliquam sacrárum illíus Reliquiárum partículam erogantes; ut quem, háctenùs absentem, ita semper venerá

est Ecclésia Noviomensis, jam præsentem venerári, & osculári licéret; atque in própria sede sinerent amantióri pietáte celebrári, quem in aliéna sede tanto cultu Divionensis Ecclésia prosequebátur. Annuit votis Ecclésia Divionensis & Canónico Noviomensi tráditum est os fémoris sinistri, quod die vigésimâ Novembris ejusdem anni ab Henríco Noviomensi Epíscopo in solemni supplicatióne exceptum est, & in Ecclésiam Cathedrálem honorífice illátum.

Oratio.

Deus, qui nos sancti Pontíficis Medardi, & doctrínâ pascis, & prótegis præsídio: éxcita in Translatióne Reliquiárum ejus, quam adhuc spirant, sacræ exúviæ pietátem, ejúsque précibus ab omni nos adversitáte custódi; Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti. Commem. præced.

[*In Cathedr. Vespera de Suscept. Reliq. S. Medardi. Commem. sequent.*]

Die XXI.

In Festo

PRÆSENTATIONIS

B. Mariæ Virginis.

Duplex III. Classis.

Psalmi de Feria, in toto Officio.

In primis Vesperis.

Antiphona, 5. toni, C.

Filiæ Jerúsalem, nuntiáte dilecto meo, quia amóre lángueo. *Cant. 5.*

Ant. 6. F. Totus desiderábilis est dilectus meus; & ipse est amícus meus. *Cant. 5.*

Ant. 2. D. Indica mihi quem díligit ánima mea, ubi pascas. *Cant. 1.*

Ant. 4. d. Quis mihi det te, ut invéniam te? Apprehendam te, & me docébis. *Cant. 8.*

Ant. 3. c. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant. 1.*

Capitulum. Is. 56.

Hæc dicit Dóminus: Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum: nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit.

Hymnus.

O Sancti Sanctórum Deus,
Quàm pura sese dévovet,
Ignóta prisco fœderi,
Tuas ad aras hóstia!
Afflata sancto Spíritu,
María virgo, cœlibis
Amóre vitæ, pérpeti
Se castitáti consecrat.

Prolis coætérnæ Patri
Futúra mater, cœlitum
Paráre Regi géstiens
Festínat aulam péctoris.

Exosa pompas séculi,
Latére, nescíri studet:
Solo placére cui cupit,
Deo frui beátior.

Hinc quanta posthæc vírginum
Floréscet in terris seges!
Laus quanta despéctæ priùs
Adjécta continéntiæ!

Quotquot pudóris æmulæ,
Matris prement vestígia,
Tot illa post se Fílii
Dux sistet ad Regis thronum.

Nunc, qui tuæ castam, Deus,
Devóvimus legi fidem,
Fac ne qua discordes sacris
Votis dies nos árguat.
Amen.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Dábitur illi fídei donum eléctum, & sors in templo Dei acceptíssima. *Sap.* 3.

Oratio, Deus, *infrà ad Laudes, pag.* 560.

Commemorat. Susceptionis Reliquiar. S. Medardi. *Ant.* Beatificávit. ℣. Magna est. *pag.* xxxiv. *Orat.* Deus, qui nos, *suprà.*

AD COMPLETORIUM.

Hymnus, Virgo, Dei génitrix, *pag.* xciv.

AD MATUTINUM.

Invitat. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Quam pulchrè gráditur Fília Príncipis,
Templi cùm próperat límina tángere!
Prælúdit melióri,
Quam mox ófferet hóstiam.

E matris grémio núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat:
Virgo, Núminis ara,
Aris víctima sístitur.

Sponso membra Deo móllia dévovet:
Cordis virgínei dédicat íntima:
Verbo débita mater
Verbo víscera cónsecrat.

Tecum cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat
Terræ quæ bona déspicis.

Sit supréma tibi glória, Trínitas:
Quo Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri Flamma amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Præcépit mihi qui creávit me: & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. *Eccli.* 24.

Ant. 3. *a.* Quasi cypressus exaltáta sum in monte Sion: & quasi terebinthus extendi ramos meos; & rami mei honóris & grátiæ. *Eccli.* 24.

Ant. 6. *c.* Quasi vitis fructificávi suavitátem odóris; & flores mei fructus honóris & honestátis. *Eccli.* 24.

℣. Ego sicut olíva fructífera in domo Dei: ℟. Sperávi in misericórdia Dei. *Ps.* 51.

Lectiones de Script. occurr.

℟. *j.* En dilectus meus lóquitur mihi; * Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósa mea; & veni. ℣. Ecce sto ad óstium, & pulso: si quis aperúerit mihi, intrábo ad illum. * Surge. *Cant.* 2. *Apoc.* 3.

℟. *ij.* Surgam & quæram quem díligit ánima mea: * Donec aspíret dies, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. ℣. Dicit mihi: Tempus propè est: Etiam, venio citò. * Donec. *Cant.* 3. & 4. *Apoc.* 22.

℟. *iij.* Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. * Quia índuit me. Glória. * Quia. *Is.* 61. *Luc.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. C. Quàm pulchra es, amíca mea, quàm pulchra es! óculi tui columbárum. *Cant.* 4.

Ant. 8. c. Ostende mihi fáciem tuam: sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra. *Cant.* 2.

Ant. 2. D. Favus distillans, lábia tua: mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. *Cant.* 4.

℣. Myrrha & gutta & cásia à vestimentis tuis; ℟. Ex quibus delectavérunt te filiæ regum. *Ps.* 44.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.

Lectio iv. Libr. 2. *Cap.* 2.

DE Maríæ virtútibus quid loquar? Virgo erat non solùm córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulterávit affectum: corde húmilis, verbis gravis, ánimi prudens, loquendi párcior, legendi studiósior: non in incerto divi-

tiárum, sed in prece paúperum spem repónens: intenta óperi, verecunda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quærere: nullum lædere, benè velle ómnibus, assúrgere majóribus natu, æquálibus non invidére, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem. Non gestus fráctior, non incessus solútior, non vox petulántior; ut ipsa córporis spécies simulácrum fúerit mentis, figúra probitátis.

℟. Audi, fília, & inclína aurem tuam, & * Obliviscere pópulum tuum & domum patris tui: & concupiscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dóminus tecum: ne tímeas, María. * Oblivíscere. *Ps.* 44. *Luc.* 1.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Lectio v.

Homil. 3. *super* Missus est. §. 3.

MEritò concupívit Rex decórem Vírginis. Fécerat enim quidquid longè ánteà præmónita fúerat à patre suo David, dicente sibi: Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum *patris tui*: &, si *hoc féceris, concupiscet* Rex decórem tuum. Audívit quippè, & vidit; . . . . audívit, & crédidit; vidit, & intellexit. Et inclinávit aurem suam ad obediéntiam, & cor suum ad disciplínam, & oblíta est pópulum suum, & domum patris sui: quia nec pópulum suum augére prolis successióne, nec dómui patris sui relínquere curávit hærédem: sed, quidquid honóris in pópulo, quidquid de paterna domo rerum terrenárum habére potuisset, ómnia arbitráta est ut stércora, ut Christum lucrifáceret.

℟. Quòd relíqueris parentes tuos, reddat tibi Dóminus pro ópere tuo: & * Plenam mercédem recípias à Dómino Deo tuo, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas. ℣. Benedícta tu, & beáta quæ credidisti. * Plenam mercédem. *Ruth.* 2. *Luc.* 1.

Lectio vj. §. 7.

O Virgo prudens, ô Virgo devóta, quis te dócuit Deo placére virginitátem? Quæ lex, quæ justítia, quæ página véteris Testamenti, vel præcipit, vel cónsulit, vel hortátur in carne non carnáliter vívere, & in terris Angélicam dúcere vitam? Ubi légeras, beáta Virgo Sapiéntia carnis mors est

&, Curam carnis ne perfecéritis in desidério? .... Ubi audíeras: Volo vos omnes esse sicut & meipsum: &, Bonum est hómini, si sic permáneat secundùm meum consílium? De virgínibus, inquit, præceptum non hábeo, consílium autem do. Tu verò non dicam præceptum, sed nec consílium, nec exemplum: nisi quòd unctio docébat te de ómnibus; ac sermo Dei vivus & éfficax, antè tibi factus magister quàm Fílius, priùs instrúxerit mentem, quàm indúerit carnem. Christo ergo dévoves te exhibére vírginem; & nescis quòd ipsi exhibéri te opórteat étiam matrem? Eligis in Israel esse contemptíbilis; &, ut illi pláceas cui te probasti, maledíctum incúrrere sterilitátis: & ecce maledíctio benedictióne commutátur, sterílitas fœcunditáte recompensátur.

℟. Omnis glória ejus, fíliæ Regis, ab intùs: * Afferentur Regi vírgines post eam in lætítia & exultatióne: † Adducentur in templum Regis. ℣. Unus de Angelis locútus est mecum dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam. * Afferentur. Glória. † Adducentur. *Ps.* 44. *Apoc.* 21.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Ant. 7. c. Introduxit me Rex in cellam vináriam: ordinávit in me caritátem. *Cant.* 2.

Ant. 4. E. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

℣. Defécit caro mea & cor meum: ℟. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo témpore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Libr. de sancta Virginitate. cap. 3. & 4.

Beátior María percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuídam: Beátus venter, qui te portávit; ipse respondit: Imò beáti qui áudiunt verbum Dei & custódiunt. Dénique frátribus ejus, id est secundùm carnem cognátis qui non in eum credidérunt, quia

prófuit illa cognátio? Sic & matérna propinquitas nihil Maríæ profuisset, nisi felíciùs Christum corde quàm carne gestasset.

℟. Dictum est à Dómino per Prophétam: Ecce virgo in útero habébit, & páriet fílium? * Et vocábunt nomen ejus Emmánuel: quod est interpretátum: Nobíscum Deus. ℣. Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. * Et vocábunt. *Matth.* 1. *Is.* 62.

Lectio viij. §. 4.

Ipsa quoque virgínitas ejus ídeò grátior, & accéptior, quia Christus priusquàm conciperétur, jam Deo dicátam de qua nascerétur, elégit. Hoc índicant verba quæ sibi fœtum annuntianti Angelo María réddidit: Quómodò, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognósco? Quod profectò non díceret, nisi Deo vírginem se antè vovisset.

℟. Dixit Deus: Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium. * Et ait Deus: Páriet Fílium, & constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum. ℣. Dixit María: Virum non cognósco. * Et ait. Glória. * Et ait. *Genes.* 17. *Luc.* 1.

Lectio ix. Cap. 5.

Non est ergo cur Dei vírgines contristentur, quòd étiam ipsæ, virginitáte serváta, matres carnis esse non possunt. Illum enim solùm virgínitas decenter párere posset, qui in sua nativitáte parem habére non posset. Verúmtamen ille uníus sanctæ vírginis partus ómnium sanctárum vírginum est decus. Et ipsæ cum María matres Christi sunt, si Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim & María laudabíliùs, atque beátiùs Christi mater est, secundùm suprà memorátam ejus senténtiam: Quicúmque facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est.

AD LAUDES.

Antiphona, 5. *toni*, a.

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: bonus est ánimæ quærénti illum. *Thren.* 3.

Ant. 2. D. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea: ante templum postulábam pro illa. *Eccli.* 51.

Ant. 4. E. A juventúte mea investigábam eam: inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam. *Eccli.* 51.

Super Cantic. Laudáte Dóminum Deum, *in Officio de Beata Maria in Sabbato*, pag. xcv.

Ant. 7. d. Multam invéni in me sapiéntiam, & multùm proféci in ea: danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. *Eccli.* 51.

Ant. 6. F. In voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam Dómino. *Jonæ*, 2.

Capitulum. Eccles. 4.

CUstódi pedem tuum, ingrédiens domum Dei; & appropinqua ut aúdias.

Hymnus.

INfans pulsa recèns matris ab úbere,
Abscondi tácitis quærit in átriis:
Templum Virgo futúra,
Templi crescit in ædibus.

In blanda réquie, plena negótio,
Uni nota Deo vívere cógitat:
Hìc pro lacte parentis
Sugit Núminis úbera.

Sic Auróra novi núntia lúminis
Primo manè latet núbibus óbsita;
Mox Solem paritúra
Plenum quì réferat diem.

Sol in virgíneo péctore, prævìis
Ardórem rádiis súscitat íntimum:
Hoc fœcunda calóre
Virtus ínsita gérminat.

Ut fert prima novis múnera fróndibus
Arbos irrígui fontis in álveo
Fructum Virgo datúra
Sic se flóribus índuit.

Sit supréma tibi glória, Trínitas:
Quò Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

℣. Dóminus abscondit me in tabernáculo suo; ℟. Protexit me in abscóndito tabernáculi sui. *Ps.* 26.

Ad Bened. Ant. 1. J. Circuíbam quærens sapiéntiam, ut mihi illam assúmerem; & ádii Dóminum. *Sap.* 8.

Oratio.

DEus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritûs sancti habitáculum, hodiernâ die in templo præsentári voluisti; præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur; Per Dóminum ....in unitáte ejusdem.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Pars mea Dóminus.

In ℟. *brev.* Qui natus es * de María Vírgine. Matth. 1.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Quæsívi sapiéntiam.

Capitulum. Sap. 6.

CUra disciplínæ diléctio est, & diléctio custódia legum illíus est: custodítio autem legum consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo.

℟. *br.* Propter innocéntiam * Suscepísti me, Deus. ℣. Confirmásti me in conspectu tuo in æternum. * Suscepísti me Deus. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 40.

℣. Adhæsit ánima mea post te; ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. 4. E. A juventúte.

Capitulum. Eccli. 17.

COgnosce justítias & judícia Dei, & sta in sorte propositiónis & oratiónis altíssimi Dei. In partes vade sǽculi sancti, cum vivis & dántibus confessiónem Deo.

℟. *br.* Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, * Dum oro ad te. ℣. Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. * Dum oro ad te. Glória. ℟. Exaudi. *Ps.* 27.

℣. Circúmdabo altáre tuum, Dómine: ℟. Ut áudiam vocem laudis, & enarrem univérsa mirabília tua. *Ps.* 25.

AD NONAM.

Ant. 6. F. In voce laudis.

Capitulum. Judith. 10.

DEus patrum nostrórum det tibi grátiam & omne consílium tui cordis suâ virtúte corróboret; ut gloriétur super te Jerúsalem, & sit nomen tuum in número sanctórum & justórum.

℟. *br.* Apud te laus mea * In Ecclésia magna. ℣. Vota mea reddam in conspectu timéntium eum. * In Ecclésia magna. Glória. ℟. Apud te. *Ps.* 21.

℣. Innocentes & recti adhæsérunt mihi; ℟. Quia sustínui te. *Ps.* 24.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 6. toni, F.

SUper te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60.

Ant. 8. g. Venit lumen tuum, & glória Dómini super te orta est. *Is.* 60.

Ant. 3. a. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44.

Ant. 7. d. Magna eris; & nomen tuum nominábitur in universa terra. *Judith.* 10.

Ant. 5. C. Magnificábitur super te Deus Israel. *Judith.* 13.

Capitulum. Apoc. 21.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipsi pó-

lus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

Hymn. O Sancte sanctórum, *in I. Vesp. pag.* 554.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Eò quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te: & ideò eris benedicta in æternum. *Judith.* 15.

Pro Commem. S. Cæciliæ, Ant. Infirma. ℣. Hæréditas, *in Commun. Virg. p.* lxix. *Orat.* Deus, *infrà.*

AD COMPLETORIUM.

Hymnus, Virgo, Dei génitrix, *pag.* xciv.

DIE XXII.

In Festo

S. CÆCILIÆ,

Virginis & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij.

Lectio iij.

CÆcília in virginitátis propósito, & in fidei confessióne, Dei múnere sic roboráta est, inquit sanctus Gregórius Magnus in Sacramentário, ut nec ætátis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandiméntis carnálibus demulcerétur, nec sexûs fragilitáte deterrerétur, nec tormentórum immanitáte vincerétur; sed servando córporis ac mentis integritátem, cum virginitátis & martyrii palma ætérnam mererétur adipísci beatitúdinem. Hæc una est è quátuor celebérrimis Ecclésiæ Occidentális Virgínibus martyrio coronátis, quarum nómina antiquitùs Cánoni Missæ inserta sunt. Corpus ejus in cœmetério Prætextáti, extra urbem viâ Appiâ, vel inítio sepultum est, vel illùc pósteà translátum.

Oratio.

DEus, qui nos ánnuâ beátæ Cæcíliæ Vírginis & Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur; Per.

DIE XXIII.

In Festo

S. CLEMENTIS,

Papæ & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *Oratio*, Omnípotens, *pag.* xv.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi, & Mártyris, adversùs Hæreses.

Lectio iij.

Libr. 3. *Cap.* 3. §. 5.

MAximæ & antiquíssimæ & ómnibus cógnitæ, à glorisíssimis duóbus Apóstolis Petro & Paulo Romæ fundátæ & constitútæ Ecclésiæ fidem, per successiónes Episcopórum usque ad nos perveniet

tem indicantes, confúndimus eos omnes qui prætérquàm opórtet, cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam propter potentiórem principalitátem necesse est omnem convenire Ecclésiam, hoc est eos qui sunt úndique fidéles. * Fundantes & instruentes beáti Apóstoli Ecclésiam, Lino Episcopátum tradidérunt. Succédit ei Anaclétus. Post Anaclétum tértio loco ab Apóstolis Episcopátum sortítur Clemens qui & vidit ipsos Apóstolos, & cóntulit cum eis, cùm adhuc insonantem prædicatiónem Apostolórum, & traditiónem ante óculos habéret: non solus; adhùc enim multi supérerant tunc ab Apóstolis edócti.** Sub hoc ígitur Clemente, dissensióne non módicâ inter eos qui Corinthi essent fratres ortâ, scripsit ea quæ Romæ est Ecclésia potentíssimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & réparans fidem eórum, & annúntians eam quam in recenti ab Apóstolis accéperant traditiónem. [Obiit tértio Traját ni anno, & nóminis ejus memóriam usque hódiè custódit extructa Romæ Ecclésia].

Vesp. de Feriâ. A Capitulo de S. Chrysógono. *Commemor. S. Anastasiæ, Viduæ & Mart. Ant.* Deus. ℣. Factus es, *pag.* lxxx. & lxxix. *Orat.* Deus, cujus, *pag.* lxxxv.

DIE XXIV.

In Festo

S. CHRYSOGONI,

Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *Oratio,* Præsta, *pag.* xv.

Lectio iij.

Chrysógonus, post longa víncula & cárceres Romæ pro Christi confessióne bienniò toleráto, jussu Diocletiáni, Aquiléiam perductus, cùm ejusdem Imperatóris nec blandítiis, nec minis à propósito deterréri potuisset, ad aquas Gradátas secúri percussus est. Corpus ejus in mare projectum, nec multò pòst inventum Zóilus Présbyter sepelívit in ædibus suis. Vetus est Romæ títulus sancti Chrysógoni, cujus nomen jam à primis tempóribus Cánoni Missæ insertum quotídiè ad altáre recitátur. ¶ Eódem die fit memória sanctæ Anastásiæ Románæ, quæ à sancto Chrysógono in fide erudíta est. Orbáta viro, cùm facultátes omnes paupéribus erogasset; & sanctum Chryso[illegible] in vin[illegible] [illegible] conj[illegible] per bien[illegible]

nium alimóniis fovisset, audítâ ejus morte, accurrit Aquiléiam, ut córpori ejus, quod à Zóilo Presbytero sublátum servabátur, dignam sepultúram procuráret: undè in Illyricum & Macedóniam usquè progrédiens, ut Christi Confessóribus & Martyribus sédulam óperam impénderet; à multis præsídibus & præfectis vexáta, tandem, post menses à Chrysógoni morte trédecim, in ora Illyridis marítima, martyrium consummávit. Ejus nomen quotídiè Románа Ecclésia in altáris sacrifício commémorat.

In Laud. *Fit Commem. S. Anastasiæ, Viduæ & Martyris, Ant.* Supra modum. ℣. Adhæsit. *p.* lxxxiv. *Orat.* Deus, cujus, *pag.* lxxxv.

Vesperæ de Festo sequenti.

Commem. S. Catharinæ, Virg. & Mart. Ant. Infirma. ℣. Hæréditas, *p.* lxix. *Orat.* Deus, qui, *p.* lxxv.

Die XXV.

In Festo

S. HERMELANDI,

Antrensis Abbatis.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Abbatum, pag. lj. *Oratio,* Famíliam tuam, *infrà.*

Lectio ij.

HErmelandus, Noviómi nobíliter natus, princeps pincernárum Clotárii tértii, relictâ aulâ, vitam monásticam ampléxus est in cœnóbio Fontanellensi, quod sanctus Vandregísilus condíderat, cuíque tùm præerat Landobertus Abbas: deindè, propter singuláres virtútes, à sancto Audoéno Présbyter est ordinátus. Cùm autem sanctus Paschárius, Nannetensis Epíscopus, Landoberti famâ commótus, ejus institútum in Diœcésim suam vellet indúcere; ad eum missus est Hermelandus cum sóciis, qui in Antrensi Lígeris ínsula monastérium extruxit. Conféctus sénio, nihil de disciplínæ obsèrvántia remísit: atque, ut divínæ contemplatióni libériùs vacáret, præfectúram monastérii depósuit; & réliquum vitæ tempus egit in cella, juxta quam construxit Oratórium in honórem sancti Leodegárii Mártyris. Tandem, prænuntiáto óbitûs sui die, Córporis & Sánguinis Christi Sacramento munítus, spíritum Deo réddidit vigésimâ quintâ Mártii. Sepultus est in Basílica sancti Pauli Apóstoli, quam ædificáverat juxta sancti Vandregísili Oratórium; ejúsque sepulcrum multis miráculis illustrátum est.

De S. Catharina, Virgine & Martyre.

Lectio iij.

CAtharínæ, seu Æcatherínes, Vírginis & Mártyris memóriam singulári cultu jamprídem venerátur Orientális Ecclésia; ejúsque corpus in Sina Arábiæ monte religiósè servátur. Paulus Latrensis, nóbilis Anachoréta, qui médio século décimo óbiit, ejus festum diem summâ imprímis solemnitáte celebrábat. Sequenti século, Símeon in monte Sina mónachus, consuétam Richardi Normánniæ ducis eleemósynam quæsitúrus, Rotómagum venit; ac secum allátas beátæ Catharínæ relíquias, in monastério supra montem urbi vicínum ædificáto depósuit. Indè cœpit beátæ Mártyris cultus per Gállias propagári.

Oratio.

FAmíliam tuam, Deus, in tua misericórdia sperantem, cœlesti prótege benignus auxílio; ut quæ de beáti Hermelandi Abbátis virtútibus gloriátur, ejus méritis & intercessióne, perpétuâ pace lætétur; Per.

In Laud. *Commem. S. Catharinæ. Ant.* Casta. ℣. Deus. *Oratio*, Deus, *pag.* lxxv.

Ad Vesp. Commem. S. Petri Alexandrini, Episcopi & Martyr. Ant. Qui vícerit. ℣. Justus, *pag.* ix. *Orat.* Fac nos, *p.* xv.

Die XXVI.

In Festo

SANCTI PETRI, Alexandrini Episcopi, & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *Orat.* Fac nos, *pag.* xv.

De Epístola sancti Athanásii Epíscopi ad Mónachos.

Num. 59.

Lectio iij.

PEtrus, apud nos ante persecutiónem Epíscopus, in persecutióne Martyr occúbuit. Hic Melétium qui Epíscopus in Ægypto erat, plurimórum convictum scélerum, ac potíssimum quòd immolasset idólis, in commúni Episcopórum Synodo depósuit. Melétius verò neque ad áliam confúgit Synodum, neque curávit apud pósteros sese purgáre; sed schísmatis auctor fuit: híncque factum ut ejus sectatóres háctenùs pro christiánis Meletiánis áudiant: statímque ille Epíscopos maledictis cœpit incéssere; primò quidem ipsum Petrum, dehinc Achillam calumniátus est, & post Achillam Alexandrum. Hoc autem Absalónis imitátus

exemplum, cállidè est aggressus; eo nempè ánimo, ut quandóquidem depositio ignomíniam inurébat, calúmniis saltem suis simpliciores posset circumvenire.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVII.

In Festo

S. ACHARII, Noviomensis Episcopi.

Duplex III. Classis.

Omnia de Communi Pontificum, pag. xxv. exceptis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Achárius, in célebri monastério Luxoviensi, cui præerat sanctus Eustásius, ab infántia summâ curâ educátus, in lítteris & in pietáte tantos progressus fecit, ut non juvénibus modò, sed étiam senióribus proponerétur tanquàm exemplum pœniténtiæ, siléntii, fervóris & obediéntiæ. Itaque sic illius fama ubíque percrebúerat, ut, mórtuo Ebúrtio Noviomensi Epíscopo, postulátus sit ómnium tam Prócerum, quàm pópuli votis, qui Noviomensi & Tornacensi Ecclésiæ præesset. Quo in múnere ómnia perfecti Præsulis múnia fidéliter adimplévit. Sibi ipsi diffídens, Amandum virum prorsùs Apostólicum, in auxílium advocávit qui labóres tremendi óneris partirétur. Ille à Dagoberto rege lítteras obtínuit quò majórem, apud Gandavenses tunc profáno Deórum cúltui adhùc déditos, habéret prædicandi Evangélium auctoritátem, & eos ad Christi fidem adducendi. Utriusque zelo & virtútibus permóti Gandavenses, Gentilitátis erróribus ejurátis, Christi fidem amplexi sunt. Ipse Dagoberto auctor fuit beáti Audomári ad sedem Tarvanensem jámdiù vacantem, evehendi. Demùm vigésimo Pontificátûs sui anno, plenus méritis mortalitátem éxuit, & ad Christum evolávit. Ante & post mortem multis cláruit miráculis. Corpus ejus, Noviómi, in Ecclésiâ beatórum Apostolórum Petri & Pauli in sacello sancti Geórgii, sepúltum est.

℟. Ego sequester * Et médius fui inter Dóminum & vos, ut annuntiárem vobis verba ejus. ℣. Ecclésiæ factus sum ego miníster secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. * Et médius fui. Deut. 5. Coloss. 1.

Ex Libro sancti Gregórii Papæ, de Cura Pastoráli.

Lectio v.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantùm distáre solet à grege vita pastóris. Oportet namque, ut metíri se sollícitè stúdeat, quantâ tenendæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necesse est, cogitatióne mundus, actióne præcípuus; discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus, benè agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non minuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relinquens.

℟. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos: * Libentíssimè impendam, & superimpendar ipse pro animábus vestris. ℣. Absit à me hoc peccátum, ut cessem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam. * Libentíssimè impendam. *II. Cor.* 12. *I. Reg.* 12.

Lectio vj.

CUm curam pópuli eléctus Præsul suscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, quâ præsumptióne percussum medéri própetat, qui in fácie vulnus portat? Ille modis ómnibus debet ad exemplum benè vivendi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola interna desíderat: cujus intentióni benè cóngruens, nec omninò per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repugnat spíritus: qui ad aliéna cupienda non dúcitur, sed própria largítur. Qui per pietátis víscera cítiùs ad ignoscendum fléctitur; sed nunquàm, plus quàm déceat ignoscens, ab arce rectitúdinis inclinátur. Qui nulla illícita pérpetrat, sed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex afféctu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, sicque in bonis próximi, sicut in suis proféctibus, lætátur. Qui ita se imitábilem céteris, in cunctis quæ agit, insínuat, ut inter eos non hábeat quod saltem de transáctis erubéscat.

℟. Caríssimi, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte: quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc ágite; * Et † Deus pacis erit vobiscum. ℣. Judícium patris audíte, fílii; & sic fácite ut salvi sitis. * Et. Glória. † Deus pacis. *Philipp.* 4. *Eccli.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Evangelium & Homilia ut in Communi SS. Pontif. pag. xxx. *&* xxxj.

Oratio.

DIrige, Dómine, oves tuas in viam salútis ætérnæ, quam beáti Pontíficis Achárii vita cum doctrína monstrávit; & fac nos, eódem intercedénte, sic ejus súbsequi vestígia, ut cum ipso coronári mereámur; Per Dóminum.

In II. Vesp. *Commem. S. Maximi, Episc. Ant.* Ipsum. ℣. Elégit. *p.* xxvj. *Oratio*, Da nobis, *infrà*.

DIE XXVIII.

In Festo S. MAXIMI, Reïensis Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, p. xxv. *exceptis quæ sequuntur.*

Lectio ij.

MAximus, Cornéti in Diœcési Reïensi natus, mirâ à téneris annis morum innocéntiâ effulsit. Ut séculi vanitátem & honóres effúgeret, in cœnóbio Lirinensi vitam monásticam professus est. Ibi tanto divíni amóris cultu succénsus est, tantæ pietátis & sapiéntiæ famam adeptus, ut, in loco Honoráti Lirinensis Abbátis, ómnium votis, suffectus fúerit. Suæ & fratrum suórum salúti assíduâ curâ incumbens, totum se oratióni & sacrárum litterárum stúdiis dedit. Virtútibus & miráculis clarus Epíscopus Reïensis ordinátus est.

Lectio iij.

IN Episcopátu vitam monásticam degit: collapsam Ecclesiásticam disciplínam ad formam Apostólicæ vitæ instauráre desíderans, sollicitudínibus pastorálibus intentus, Clero & gregi suo semper invigilávit, exemplis suis & documentis pópulum suum informávit. Sedit in Concíliis multis, Arelatensi secundo, Arausicáno, Arelatensi tértio: anno quadringentésimo trigésimo nono intérfuit Reïensi Concílio. Epístolam sancti Leónis papæ ad Flaviánum Constantinopolitánum cum magna reveréntia accépit, & per totas Gállias disseminávit. Ab Epis-

copis Romam cum Ravénnio missus est, ut jura & dignitátem Arelatensis Ecclésiæ defénderet. Reversus ad pópulum suum labóribus & vigíliis confectus obdormívit inDómino anno quadringentésimo sexagésimo secundo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Maxímo Pontífice, ut mémores virtútum quas verbo & exemplo prædicávit, ipsíus perenne consórtium ássequi mereámur; Per Dóminum.

In II. Vesp. *Fit Commemor. S. Saturnini, Episc. & Mart. Ant.* Qui vícerit. ℣. Justus, *p.* ix. *Orat.* Omnípotens, *pag.* xv.

Die XXIX.

In Vigilia S. ANDREÆ, Apostoli.

Officium de Feria, additis quæ sequuntur.

Ad Noct. *Lectiones duæ priores de Script. occurr. ex duabus ultimis fit ij.* ℟℟. *ex Proprio de Tempore.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joannem.

Lectio j. Cap. 1.

IN illo témpore: Stabat Joannes, & ex discípulis ejus duo: & respíciens Jesum ambulantem: dicit: *Ecce Agnus Dei. Et réliqua.*

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joann. Tract. 7.

AUdiérunt eum duo discípuli loquentem, & secúti sunt Jesum. Non sic illum sequebantur, quasi jam ut inhærérent illi: nam manifestum est, quando illi inhæsérunt, quia de navi eos vocávit; in his enim duóbus erat Andréas, sicut modò audistis; Andréas autem frater Petri erat: & nóvimus in Evangélio quòd Petrum & Andréam Dóminus de navi vocávit dicens, Veníte post me, & fáciam vos piscatóres hóminum; & ex illo jam inhæsérunt illi, ut non recéderent. Modò ergo quòd illum sequuntur isti duo, non quasi non recessúri sequuntur, sed vidére voluérunt ubi habitáret, & fácere quod scriptum est: Limen ostiórum ejus éxterat pes tuus; surge ad illum veníre assíduè, & erudíre præceptis ejus. Ostendit eis ille ubi manéret: venérunt & fuérunt cum illo. Quàm beátum diem duxérunt! quàm beátam noctem! Quis est qui nobis dicat, quæ audíerint illi à Dómino? Ædificémus & nosmetipsi in corde nostro, & faciámus domum, quò véniat ille, & dóceat nos, & colloquátur nobis.

℟. Videns Jesus duos discípulos sequentes se, dixit eis: Quid quæritis? * Dixérunt ei: Rabbi, ubi hábitas? Dicit eis: Veníte & vidéte. † Venérunt, & apud eum mansérunt die illo. ℣. Desiderábant ut audírent sapiéntiam quam déderat Deus in corde ejus. * Dixérunt. Glória Patri. † Venérunt. *Joann.* 1. *II. Paral.* 9.

Preces, flexis genibus.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus; ut beatus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut, à nostris reátibus absolúti, à cunctis étiam perículis eruámur; Per Dóminum.

Pro Commem. S. Saturnini, Ant. Bonum. ℣. Cantábo. *Orat.* Omnípotens, *in Communi unius Mart. pag.* xv. & xiv.

Fiunt Suffragia.

AD HORAS.

Preces, flexis genibus.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXX.

In Festo

S. ANDREÆ,

Apostoli.

Duplex III. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, pag. j. *exceptis quæ sequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. *Ant.* 1. D. Joannes respíciens Jesum ambulantem, dixit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt duo discípuli loquéntem, & secúti sunt Jesum. Erat autem Andréas frater Simónis Petri unus ex duóbus qui secúti fúerant eum. *Joann.* 1.

Oratio, infrà, pag. 573.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Andréas, Joannis seu Jonæ filius, Simónis qui póstmodùm Petrus dictus est, frater, Bethsáidæ in Galilæa natus, unus fuit ex duóbus discípulis Joannis Baptistæ, qui audiérunt eum de Jesu dicentem: Ecce Agnus Dei, & secúti sunt Jesum. Sciscitáti ambo ubi manéret, invitáti cómites venére, apud quem cùm mansissent die illâ, invénit Andréas primùm fratrem suum Simónem, & dixit ei: Invénimus Messíam, & addúxit eum ad Jesum. Ambos fratres, jam discípulos suos, nondùm tamen itínerum, vitæque perpétuos sócios, cùm ámbulans pósteà Jesus juxta mare Galilææ vidisset mittentes rete in mare, his voca-

vit verbis: Veníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum. Qui contínuò, relíctis rétibus secúti vocantem, ita ei adhæsérunt & placuérunt, ut inter Duódecim quos è discípulis suis elégit, & Apóstolos nominávit, primùm Simónem quem cognominávit Petrum, mox Andréam fratrem ejus, Matthæus & Lucas recénseant.

Lectio v.

QUærenti Christo, undè emerentur panes ut manducáret multitúdo máxima quæ vénerat ad eum, dixit Andréas: Est puer unus hîc qui habet panes quinque hordeáceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Jesum, paucis ante Passiónem suam diébus, sedentem in monte Olivárum contra templum, & subversiónem templi prædicentem interrogavérunt separátìm Petrus & Jacóbus, & Joannes, & Andréas: Diç nobis, quando ista fient, & quod signum erit, quando hæc ómnia incípient consummári? Quos ille cùm, ne seducerentur, monuisset, ac prænuntiasset eis bella, terræ motus per loca, & fames inítia dolórum, subjunxit statìm: Vidéte vosmetipsos: tradent enim vos in concíliis; & in synagógis vapulábitis; & ante præsides & reges stábitis propter me, in testimónium illis: & in omnes gentes primùm oportet prædicári Evangélium. Andréas, ut quod suum erat impléret, post ejus Passiónem ac Resurrectiónem, sortítur Scythiam; cúmque in Græciam pervenisset quamplúrimos ab idolórum cultu ad Christum colendum addúxit.

Lectio vj.

PAtras civitátem Achâiæ célebrem fecit, & morte quam óbiit cruci affixus, & túmulo. Hinc Constántius, circa annum trecentésimum quinquagésimum sextum, impérii verò sui vigésimum, ut æmulam Romæ Constantinópolim Apostólicis corpóribus muníret, sanctórum Andréæ & Lucæ córpora tránstulit, & unà cum córpore sancti Timóthei à se jam anno superióre transláto, in Basílica sanctórum Apostolórum, quam Constantínus ædificáverat, ut in ea Imperatóres humarentur, collocávit. Toto itínere, & per omnes vias quà córpora sancta transiére, divínam manum

mira signa operátam fuisse refert sanctus Paulínus. Anno autem milléssimo ducentésimo décimo, post Constantinópolim à Gallis captam, corpus sancti Andréæ, Petrus Capuánus Apostólicæ sedis legátus, Amalphim in pátriam suam in regno Neapolitáno deferri curávit, ubi fidélium concursu recólitur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 5. in Evang.

AUdistis, fratres caríssimi, quia ad unius jussiónis vocem Petrus & Andréas, relictis rétibus, secúti sunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant: & tamen ad unum Dómini præceptum, hoc quod possidére videbantur obliti sunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus? quot flagellis afflígimur? quantis minárum asperitátibus deterrémur? & tamen vocantem sequi contémnimus. In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet: jam jugo fidei colla géntium súbdidit, jam mundi glóriam strávit, jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propinquantem denúntiat: & tamen superba mens nostra non vult hoc sponte desérere, quod quotídiè perdit invíta.

Lectio viij. §. 2.

SEd fortasse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam uterque iste piscátor quid aut quantùm dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed hâc in re, fratres caríssimi, affectum debémus pótiùs pensáre, quàm censum. Multùm relíquit, qui sibi nihil retínuit: multùm relíquit, qui quantúmlibet parùm, totum deséruit. Certè nos & hábita cum amóre possidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex desidério quærimus. Multùm ergo Petrus & Andréas dimísit, quando uterque étiam desidéria habendi derelíquit.

Lectio ix. §. 4.


Quia ergo, fratres carissimi, beáti Andréæ Apóstoli natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Ostendat nostræ obséquium devotiónis immutátæ solémnitas mentis: despiciámus quæ terréna sunt: relictis temporálibus, mercémur ætérna. Si autem necdùm póssumus relínquere própria, saltem non concupiscámus aliéna. Si necdùm mens nostra accénditur igne caritátis, in ambitióne sua hábeat frænum timóris; ut profectûs sui pássibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéscitur, quandóque ad própria contemnenda perducátur, adjuvante Dómino nostro Jesu Christo.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Invénit Andréas primùm frátrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam, quod est interpretátum Christus: & adduxit eum ad Jesum. *Joann.* 1.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus; ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxtitit prædicátor & rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercessor; Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.



FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

IN FESTO SANCTI ELIGII, NOVIOMENSIS EPISCOPI, ET DIŒCESIS PATRONI.

ANNUALE.

In primis Vesperis.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*, A. NOn fuit ei símilis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum & recédens à malo. *Job.* 2.

Ant. 7. G. Proficiébat, atque crescébat & placébat tàm Deo quàm homínibus. *I. Reg.* 2.

Ant. 4. E. Ipse enim quasi vir verax & timens Deum, plùs céteris videbátur. *II. Esdr.* 7.

Ant. 4. F. Cùm venisset ad Regem fecit omne opus ejus. *III. Reg.* 7.

Ant. 2. A. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum suórum, habébit amícum Regem. *Prov.* 22.


Capitulum. Eccli. 50.

QUasi stella matutina in médio nébulæ, & quasi luna perfecta in diébus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

℟. Ecce ego locutus sum, & vocávi eum: * Adduxi eum, & directa est via ejus. ℣. Ejus apprehendi déxteram, ut subjíciam ante fáciem ejus gentes. * Adduxi eum. Glória Patri. ℟. Ecce ego. Is. 48. & 45.



ELIGIUS artem suam consecrat Sanctorum capsis fabri
& exornandis ; opes verò suas egenis sublevandis imp
inv. et Sculps.



Hymnus.

QUID times sacris, venerande Præsul,
Infulis sacram redimíre frontem?
Te Deus poscit; fácilis precantùm
Annue votis.

ANNUIT; læti cecinére cives;
Gaudet Urbs; oris nova lux serénis
Ad novos fausti radiasse visa
Síderis ortus.

UT gregis curas, trepidante dextrâ
Sumpsit; haud cessat vigiláre Pastor;
Crédito ne quid, rábie lupórum,
De grege perdat.

FRONTE non asper, fácilis, benignus,
Voce non solâ docet: ipsa vultûs
Blanda majestas pietátis almum
Afflat amórem.

SE probat patrem, docet imperítos
Erigit tristes, inopésque pascit;
Fidus illæsum vigilando Pastor
Servat ovíle.

NOSTRA te summum célebrent Parentem
Ora, te summo Génitum Parente;
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus ævum. Amen.

℣. Beátus quem elegisti & assumpsisti! ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníf. *Ant.* 6. C. Sicut Pastor gregem suum pascet: in bráchio suo congregábit agnos, & in sinu suo levábit. *Is.* 40.

Oratio, infrà ad Laudes.

Pro Commemor. S. Andreæ, Ant. Vidit Jesus Simónem & Andréam fratrem ejus, mittentes rétia in mare; & dixit eis: Veníte post me, & fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. Et prótinùs, relictis rétibus, secúti sunt eum. *Marc.* 1.

℣. Nimis, *pag.* vij. *Orat.* Majestátem, *ut suprà, pag.* 573.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. d. Gaudémus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundántiùs orantes ut compleámus ea quæ desunt fídei vestræ. *I. Thess.* 3.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. F. Memoriále tuum, Dómine, in desidério ánimæ; ánima mea desiderávit te in nocte. *Is.* 26.

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum qui dedit nobis Pastórem juxta cor suum, * Veníte, adorémus. *Jerem.* 3.

Psalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Quid times, *pag.* 575.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Constituisti.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem, propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas quæ tu fundasti:

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronasti eum, * & constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Constituisti, Dómine, sanctum tuum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

Ant. 4. E. Salvum.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exaúdiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem, * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

Glória Patri.

Ant. Salvum fecit Dóminus

minus Christum suum, & exaudívit illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Ant. 8. G. Glóriam.

Psalmus 20.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum.

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis, * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum, * & in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Ant. Glóriam & magnum decórem imposuisti super eum, Dómine. *Ps.* 20.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

AB infántia mea crevit mecum miserátio: & de útero matris meæ egressa est mecum. Si despexi pereuntem, eò quòd non habúerit indumentum, & absque operimento paúperem: si non benedixérunt mihi látera ejus, & de velléribus óvium meárum calefactus est: si levávi super pupillum manum meam, étiam cùm vidérem me in porta superiórem: húmerus meus à junctúra sua cadat, & bráchium meum cum suis óssibus confringátur. Semper enim q

metet. * De pánibus. Glória Patri. ℟. Qui pronus, uſque ad ℣. Qui séminat. Proverb. 22. II. Cor. 9.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Impinguaſti.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collo-avit.

Super aquam refectiónis lucávit me, * ánimam eam convertit.

Deduxit me ſuper sémi-s juſtitiæ * propter no-n ſuum.

Nam, & ſi ambulávero médio umbræ mortis, n timébo mala, * quó-am tu mecum es.

Virga tua & báculus us, * ipſa me conſoláta

raſti in conſpectu meo nſam * adversùs eos qui ulant me.

Impinguaſti in óleo ca-meum: * & calix meus rians quàm præclárus

miſericórdia tua ſub-tur me * ómnibus dié-vitæ meæ;

ut inhábitem in domo ini, * in longitúdinem um.

Ant. Impinguaſti in ó-caput meum, *ut inhá- in domo tua*, Dó-*Pſ.* 22.

Ant. 6. c. Cir

Pſalmus 2

JUdica me, D quóniam ego i céntia mea ingreſſ * & in Dómino ſpe infirmábor.

Proba me, Dóm tenta me: * ure ren & cor meum.

Quóniam miſer tua ante óculos me * & complácui in v tua.

Non ſedi cum c vanitátis; * & cum geréntibus non intr

Odívi ecclésiam gnántium, * & cum non ſedébo.

Lavábo inter inn tes manus meas, * cúmdabo altáre tuum mine:

Ut aúdiam vocem la * & enarrem univerſa rabília tua.

Dómine, dilexi decó domûs tuæ, * & lo habitatiónis glóriæ tu

Ne perdas cum ím Deus, ánimam meam, cum viris sánguinum vi meam.

In quorum mánibus quitátes ſunt: * déx eórum repléta eſt mu bus.

Ego autem in inno tia mea ingreſſus ſu rédime me, & m meî.

tumentes super me fluctus tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui.

℟. j. Dividébat unicuíque, prout póterat, de facultátibus suis: * Esurientes alébat, nudísque vestimenta præbébat. ℣. Timens Deum cum omni domo sua, fáciens eleemósynas multas plebi, & déprecans Deum semper. * Esurientes. Glória. ℟. Dividébat. *usque ad* ℣. Timens. *Tob.* 1. *Act.* 10.

Lectio ij.

SI putávi aurum robur meum, & obrízo dixi: Fidúcia mea. Si lætátus sum super multis divítiis meis, & quia plúrima réperit manus mea: si vidi solem, cùm fulgéret, & lunam incedentem claré: & lætátum est in abscóndito cor meum, & osculátus sum manum meam ore meo: quæ est iníquitas máxima, & negátio contra Deum altíssimum: si gavísus sum ad ruínam ejus qui me óderat, & exultávi quòd invenísset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus.

℟. ij. Beátus dives qui inventus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris. * Quis est hic? & laudábimus eum; fecit enim mirabília in vita sua. ℣. Qui probátus est in illo & perféctus est, erit illi glória ætérna. * Quis est hic? *Eccli.* 31.

Lectio iij.

FOris non mansit peregrínus, óstium meum viatóri pátuit. Si abscondi quasi homo peccátum meum, & celávi in sinu meo iniquitátem meam. Si expávi ad multitúdinem nímiam, & despéctio propinquórum térruit me; & non magis tácui, nec egréssus sum óstium. Quis mihi tríbuat auditórem, ut desidérium meum áudiat Omnípotens, & librum scribat ipse qui júdicat, ut in húmero meo portem illum, & circumdem illum quasi corónam mihi? Per síngulos gradus meos pronuntiábo illum, & quasi Príncipi ófferam eum. Si adversùm me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent: si fructus ejus comédi absque pecúnia, & ánimam agricolárum ejus afflixi. Pro frumento oriátur mihi tríbulus, & pro hórdeo spina.

℟. iij. Qui pronus est ad misericórdiam, benedicétur; * De pánibus enim suis dedit páuperi. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus &

metet. * De pánibus. Glória Patri. ℟. Qui pronus, *usque ad* ℣. Qui séminat. *Proverb.* 22. *II. Cor.* 9.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Impinguasti.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ * propter nomen suum.

Nam, & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Impinguasti in óleo caput meum, ut inhábitem in domo tua, Dómine. *Ps.* 22.

Ant. 6. c. Circúmdabo.

Psalmus 25.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum, * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut aúdiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam.

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: * rédime me, & miserére meî.

Pes meus stetit in dirécto; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Ant. Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut enarrem univérsa mirabília tua. *Ps.* 25.

Ant. 3. a. Apud me.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est: * proptéreà memor ero tui de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invocat: * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? & quare contristátus incédo, * dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Apud me orátio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Suscéptor meus es. *Ps.* 41.

℣. Elégit Dóminus servum suum; ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

Lectio iv.

ELígius Lémovix, aurífaber indústrius, relícta pátria, in Fránciam se cóntulit; ubi, peritiam suam

famâ, Clotário secundo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accensus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte; &, peractâ gravi pœniténtiâ, de reconciliatióne sua divínitùs cértior factus est. Ex eo témpore in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam étiam cùm artem exercébat, subindè in sacros códices intendébat óculos; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid verò arte suâ comparábat, illud totum fovendis egénis, & captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, redimendis erogábat. Hinc tantus ad eum paúperum concursus, ut quærenti domum Elígii dicerétur: Ubi paúperum cœtum conspéxeris, illìc & Elígium repéries. Intra domum autem vacábat orationi cum familiáribus, qui diù noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant.

℟. iv. Fecit ei Rex sicut fécerant ei qui ante eum fuérunt, * Et exaltávit eum in conspectu ómnium amicórum suórum. ℣. Audíto eo multa faciébat, & libenter audiébat eum. * Et exaltávit eum. *I. Mach.* 11. *Marc.* 6.

Lectio v.

Clotário acceptus fúerat; non minùs acceptus fuit & Dagoberto, à quo ad Aremoricórum regem, pacis componendæ causâ, missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu & impensis extructa sunt templa & monastéria. Solemniacense in Lemovícibus cœnóbium cóndidit; Parísiis monastérium Vírginum: ad quarum córpora sepelienda Ecclésiam sancti Pauli constrùxit. Instaurávit ibídem Basílicam sancti Martiális; in quam cùm sancti Epíscopi relíquiæ deportarentur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cœlitùs patuérunt. Plúrima diversis tempóribus, auro, argento & gemmis ornávit sepulcra Sanctórum, Germáni, vidélicet, Severíni Agaunensis, Martíni, Quintíni, Genovéfæ & aliórum: & mausolæum imprimis Mártyris Dionysii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem quæ altas in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno stúdiis, exstirpávit; effecítque cum eo, ne quis deinceps Episcopus eligerétur, nisi qui inte

tate morum céteris præfulgéret.

℟. v. Audíta est cáritas tua & fides quam habes in Dómino Jesu & in omnes sanctos, * Víscera sanctórum requievérunt per te. ℣. Communicátio fidei tuæ évidens facta est in agnitióne omnis óperis boni. ℣. Víscera. *Philem.* ℣. 5.

Lectio vj.

TOt in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Achário, Diœcési Noviomensi præpósitus est. In eo órdine non modò salúti gregis sibi commissi consúluit; sed & Flandros ac Frísios aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre, & vitæ discrímine ad Christum adduxit. Noviómi extruxit monastérium, ubi & congregatiónem magnam, & vitæ institutiónem distríctam índidit. Sed & ália multa monastéria tùm ejus ópere, cùm à discípulis ejus constructa intra Gállias noscuntur. Nam multi ex discípulis ejus Ecclésias condidérunt; multi monastéria salúbriter rexérunt; multi étiam in régimen Episcopále sublimáti Ecclésiis præfuérunt. Sedit in Concílio Cabillonensi, sub Clodovéo secundo. Multa præclárè scripsit; ejécit dæmones; futúra divínitùs prædixit; áliis miráculis illustris, Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus Regína Bathildis pedes, nec sine lácrymis, cum líberis & totâ famíliâ proseccúta est. Caput ejus pósteà Calam allátum, ibídem huc usque religiósè à moniálibus asservátur. Unum verò ex óssibus bráchii ab Epíscopo & Capítulo Noviomensi Ecclésiæ Parisiensi donátum est, anno millésimo ducentésimo duodécimo.

℟. vj. Víscera ejus abundántiùs in vobis sunt, reminiscentis ómnium vestrûm obediéntiam: * Quómodò cum timóre & tremóre excepistis illum. ℣. Judícium patris audíte, filii, & sic fácite, ut salvi sitis; Deus enim honorávit patrem. * Quómodò. Glória. ℟. Víscera, *usque ad* ℣. *II. Cor.* 7. *Eccli.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Beátus.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, & assumpsisti! * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes: & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: * múltiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis: parasti cibum illórum; * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria: multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti; * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Beátus quem elegisti & assumpsisti! inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ant. 2. D. Concupiscit.

Psalmus 83.

Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus!

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor: ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice

Deus; * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te!

Ant. Concupiscit & déficit ánima mea in átria tua, Dómine. *Ps.* 83.

Ant. 1. a. Custodiébant.

Psalmus 98.

Dominus regnávit, irascantur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno; quóniam terríbile & sanctum est; * & honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Custodiébant testimónia ejus, & præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

℣. Os meum apérui & attraxi spíritum; ℟. Quia mandáta tua desiderábam. *Ps.* 118.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Elígii Epíscopi.

S. Audoen. in ejus vita. Libr. 2. *cap.* 15.

Consideráte, fratres, quia opórtet me sine cessatióne vestros ánimos

ad tremendum Dei judícium, & ad desiderandum cœleste præmium excitáre; ut vobiscum páriter mérear, in Angelórum consórtio, perpétuâ pace gaudére: ideóque rogo ut diem judícii semper pertimescátis, diem mortis suspectum quotídie ante óculos habeátis. Consideráte quales éritis præsentandi conspéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis vicissitúdinem receptúri; si potuéritis in illo die illibátum referre quod in baptismo promisistis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo fecistis, atque abrenuntiáre vos diábolo & ómnibus opéribus ejus in ipso baptismi Sacramento promisistis.

℟. vij. Absit à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis; * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Dabo óperam & frequenter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. * Et docébo vos. *I. Reg.* 12. *II. Petr.* 1.

Lectio viij.

Ecce prædixi vobis simplíciter, ut intellígere possítis quæ sunt unicuíque ventúra. Nemo jam se de ignorántia excusáre póterit, quóniam *vita & mors vobis prænuntiáta sunt.* Jam verò in arbítrio vestro consístit elígere quod teneátis: unusquisque enim quod hìc concupíverit & assecútus fúerit, hoc útique illìc possidébit. Vitam ergo æternam toto nisu concupíscite: nec emendatiónem vestram diútiùs differátis, sed, ad lucranda cœléstia regna, ultrò ipsi relínquite quod in lucis istíus fine perdendum est. Surgat jam, quæso, quicumque peccáti caténâ astrictus tenétur; &, expergefactus à somno suæ mortis, evígilet: recurrat ad confessiónem, & agat pœniténtiam.

℟. viij. Audíte, fílii mei, patrem vestrum. * Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi. ℣. Ut filios meos caríssimos móneo. * Servíte. Glória. *Repetitur* ℟. Audíte. *usque ad* ℣. *Tob.* 14. *I. Cor.* 4.

Lectio ix. Post pauca.

HÆc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat: hæc nos præcepta frequenter sollícitent. Débitum vitæ finem jamjamque affutúrum putémus; vicinúmque sperémus mortis diem, quem longinquum esse nescímus. Modò emendémus quod delíquimus, ne tunc pœnitére incipiámus, quando

jam non valébimus. Erit quidem & in inferno pœniténtia, sed omnínò infructuósa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, sed jam medicínam non habens: ibíque nullátenùs póterit à Deo promeréri quod petit, qui hìc nolúerit audíre quod Deus jussit.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona 1. *toni*, D.

HIc est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris; qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

Ant. 6. F. Vir amátor civitátis & bene aúdiens; pro affectu Pater appellabátur. *II. Mach.* 14.

Ant. 7. b. Símilem illum fecit Dóminus in glória sanctórum: glorificávit illum in conspectu regum, & osténdit illi glóriam suam. *Eccli.* 45.

Ant. 5. C. Curávit.

Canticum. Eccli. 51.

DEdit mihi Dóminus linguam mercédem meam, * & in ipsa laudábo eum.

Appropiáte ad me, indócti, * & congregáte vos in domum disciplínæ.

Quid adhuc retardátis? & quid dícitis in his? * ánimæ vestræ sítiunt vehementer.

Apérui os meum, & locútus sum: * Comparáte vobis sine argento.

Et collum vestrum subjícite jugo, & suscípiat ánima vestra disciplínam: * in próximo est enim inveníre eam.

Vidéte óculis vestris quia módicùm laborávi, * & invéni mihi multam réquiem.

Assúmite disciplínam in multo número argenti, * & copiósum aurum possidéte in ea.

Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, * & non confundémini in laude ipsíus.

Operámini opus vestrum ante tempus; * & dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

Ant. Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne; & adeptus est glóriam in conversatióne gentis. *Eccli.* 50.

Ant. 3. a. Implébitur benedictiónibus, & videntes illum laudábunt. *Eccli.* 37.

Capitulum. Eccli. 39.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Hymnus

O Qui pro grégibus das ánimam tuis,
Alto consílio quàm benè próvidum
Caro ponis ovíli
Quem tu, Christe, vocas ducem.

Factus forma gregis, quæ pópulos doces,
Elígi, sóciis móribus éxprimis:
Dum mandas, amor urget;
Si damnas, amor árguit.

Dum tu corda sacris légibus ímbuis,
Discussis ténebris stat fídei decus:
Sese pandit aperta
Toto lúmine véritas.

In te turpis opum nil pótuit fames;
Thesaurus pótior péctora móverat:
Æris pródiga dextra
Sparsit quæ méteret polo.

Fuit sola tibi cura, salus gregis;
Fuit sola quies, contínuus labor:
Tibi vívere Christus;
Tibi grande lucrum mori.

Christi frugífero vínea pálmite
Tuis crescat adhuc culta labóribus:
Tanto nata satóre
Surgant sémina cœlitùs.

Qua nos duxit amans Elígius viâ,
Hanc fac, summe Deus, cúrrere sémitam:
Duc, ne lóngiùs errent,
Serva, ne péreant, oves.

Æternus sit honos ingénito Patri;
Sit par Unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine:
℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Bened. *Ant.* 6. C. Impléte gáudium meum ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes. *Philipp.* 2.

Oratio.

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Pontíficis Elígii assumptióne consecrasti; da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exultanti, ut apud misericórdiam tuam & exemplis ejus & méritis adjuvétur; Per Dóminum.

AD HORAS.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Hic est.

CANON.

Ex Sancto Elígio Epíscopo Noviomensi.

In ejus vita à S. Audoëno scripta, libr. 2. cap. 16.

EGo, quantùm ad me áttinet, absolvo coram Deo consciéntiam meam, testésque super hoc ínvoco cœlum & terram, quòd præbúerim vobis opportúnum ministérium, atque annuntiáverim vitam & mortem: céterùm in præsenti vobis innotesco, quòd si spreveritis verba mea, méque contemnentes, audíre nolúeritis, équidem véniens coram Redemptóre meo accusábo pertináciam vestram.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Vir amátor.

Capitulum. Eccli. 50.

IN accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, & ipse stans juxta aram: & circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cédri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ.

℟. *br.* Introíbo in domum tuam in holocaustis; * Allelúia, allel. ℣. Reddam tibi vota mea; * Allelúia. allel. Glória. ℟. Introíbo.

℣. Holocausta medulláta ófferam tibi, ℟. Cum incenso aríetum. *Ps.* 65.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Símilem illum.

Capitulum. Rom. 15.

HAbeo ígitur glóriam in Christo Jesu ad Deum: non enim áudeo áliquid loqui eórum quæ per me non éfficit Christus in obediéntiam géntium verbo & factis, in virtúte signórum & prodigiórum, in virtúte Spíritûs sancti.

℟. *br.* Veníte & vidéte ópera Dómini: * Allelúia, allelúia. ℣. Quæ pósuit prodígia super terram; * Allelúia, allelúia. Glória. Veníte. *Ps.* 45.

℣. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus, ℟. Et deprecatiónem eórum exaúdiet. *Ps.* 144.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Implébitur.

Capitulum. Eccli. 48.

AMplificátus est in mirabílibus suis: & quis potest simíliter sic gloriári tibi? Beáti qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti sunt!

℟. *br.* In memória ætérna erit Justus: * Allelúia, allelúia. ℣. Ab auditióne mala non timébit; * Allelúia, allelúia. Glória. In memória.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Dominica, excepto ultimo, cujus loco, dicitur Psalm. Memento, Dómine, David, *cum sua divisione, pag.* 110.

Antiphona 1. *toni*, G.

AMbulávit in conspectu tuo, Dómine, (servus tuus) in veritáte & justítia & recto corde tecum. *III. Reg.* 3.

Ant. 8. g. Relíquum vitæ suæ in gaúdio fuit, & cum bono profectu timóris Dei perrexit in pace. *Tob.* 14.

Ant. 6. F. Mórtuus est in senectúte bona, plenus diérum, & divítiis, & glóriâ. *I. Paral.* 29.

Ant. 4. E. Memória ejus in compositiónem odóris facta, opus pigmentárii: in omni ore quasi mel indulcábitur. *Eccli.* 49.

Ant. 5. C. Jucundábitur in filiis suis, & in die oratiónis suæ exaudiétur. *Eccli.* 3.

Capitulum. Philipp. 4.

FRatres, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & vidistis in me, *hæc ágite; & Deus pacis erit vobiscum.*

Hymnus.

PRæscius mortis propè jam futúræ,
Ut novas vires animósque sumat
Páscitur Christo, solidâque fortis
Fervet ab escâ.

Flebat astantis pia turba cleri;
Ipse gaudébat properáre cœlo
Et siti longâ cúpidè petítum
Vísere Numen.

In Deum toto tua major orbe
Mens anhelábat; tua vota cœlum;
Hìc opes fluxas benè condidisti
Próvidus hospes.

Sat datum terris; tua nunc olympo,
Te gravem virtus méritis reposcit:
Rédditas tandem fídei triumphans
Necte corónas.

De tuis, si te mala nostra tangunt,
Sédibus, terras húmiles tuére;
Nec tuam quæ te studet æmulári,
Déspice prolem.

Summa laus Patri, simul æqua Nato,
Et tibi compar, utriusque vinclum,
Spíritus, custos & origo sancti

Fons & amóris.
Amen.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Adimplévit illum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intellectûs: stolâ glóriæ vestívit illum; jucunditátem & exultatiónem thesaurizávit super illum, & nómine ætérno hæreditávit illum: allel. *Eccli.* 15.

Oratio, Deus, *ut suprà, ad Laudes, pag.* 587.

Pro Commemoratione S. Francisci Xaverii, Presbyteri.

Ant. Oportet te prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & Régibus multis. *Apoc.* 10.

℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine, ℟. Et nómini tuo psalmum dicam. *Ps.* 17.

Oratio.

DEus, qui Indiárum gentes, beáti Francisci Xavérii prædicatióne & miráculis, Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti; concéde propítius, ut cujus glorióſa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD COMPLET. *Psalmi de Dominica, Antiphona post Psalmos & ad* Nunc dimittis, *ut heri.*

DIE II.

In Festo S. FRANCISCI XAVERII Presbyteri.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Presbyterorum, pag. xlij. *exceptis quæ sequuntur.*

Oratio, infrà ad Laudes.

AD NOCTURNUM.

Lectio j. de Script. occurr. è tribus una.

Lectio ij.

FRanciſcus Xavérius, nóbilis Cántaber, Paríſiis emenſo Philosóphico stádio, Magistérium ártium conſecútus, mox Philosóphiæ profeſſor, ac deindè Baccalaúreus, Theológiæ curſum abrúpit, ut ſe beáto Ignatio sócium adjúngeret. Tùm ſanctióris vitæ genus profitéri cœpit, non jejúniis modò, aliíſque córporis afflictatiónibus, & paúperum, præſertìm infirmórum, curâ quibus in xenodóchiis ministrábat; ſed & ſinguári Religiónis propagandæ stúdio, ſummâ in Epiſcopos & Presbyteros obſervántiâ, eóque in Deum fervóre caritátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, ſæpiùs exla-

Satis est, Dómine;
:.
Lectio iij.
:urante Joanne Lu-
niæ Rege, à Paulo
Indiæ destinátus,
passìm toto Oriente
ános ad meliórem
revocávit, & pó-
uam plúrimos igno-
ténebris involútos
isti fidem adduxit:
ræter Indos, Brach-
& Malábares, ipse
Parávis, Jais, Min-
, Malacénsibus &
bus, multis éditis
lis & exantlátis la-
s, Evangélii lucem
Perlustrátâ tandem
â, ad Sinas profe-
, in ínsula Sanciána
anno ætátis quadra-
quinto, Christi
mo quingentésimo
agésimo secundo.
s ejus post menses
:cim íntegrum & in-
tum Goam delátum
ınc, Indiárum Apó-
toto orbe appellá-
ipsis étiam pagánis
éticis commendábi-
Gregórius décimus
is Sanctis adscripsit,
nilléfimo sexcentési-
gésimo secundo.
Laudes, *post Hym-*

Justítiam tuam, Dó-
non abscondi in
corde meo; ℟. Veritátem
tuam & salutáre tuum dixi.
Ps. 39.

Ad Bened. *Ant.* 1. G. Prædicávi Evangélium, non ubi nominátus est Christus, sicut scriptum est: Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt. *Rom.* 15.

Oratio.

Deus, qui Indiárum gentes, beáti Francisci Xavérii prædicatióne & miráculis, Ecclésiæ tuæ aggregáre voluisti; concéde propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per Dóminum.

Fit Commemoratio Octavæ S. Eligii per Antiph. Impléte gaudium meum, ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes. *Philipp.* 2.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine; ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Oratio.

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Pontíficis Elígii assumptióne consecrasti; da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exultanti, ut apud misericórdiam tuam & exemplis ejus & méritis adjuvé-

tur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

VESPERÆ de Sabbato ante Dominicam I. ADV. *cum Commemor. S. Franc. Xaverii, & Commemorat. Octavæ, ut habetur Parte Hyemali.*





DOMINICA I. SEPTEMBRIS.

IN FESTO SACRATISSIMI CORDIS JESU.

Duplex II. Classis.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona 6. toni, F.

Delíciæ meæ esse cum filiis hóminum. Nunc ergo, filii, audíte me: Beáti qui custódiunt vias meas. *Prov.* 8.

Ant. 4. E. Fériam eis pactum sempiternum, & non désinam eis benefácere. *Jerem.* 32.

Ant. 3. a. Lætábor super eis cùm benè eis fécero, in toto corde meo & in tota ánima mea. *Jerem.* 41.

Ant. 1. g. Sanábo contritiónes eórum; díligam eos spontáneè. *Ose.* 14.

Ant. 5. C. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. *Ose.* 11.

Capitulum. Isai. 66.

[Hæc dicit Dóminus]: Quómodò si cui mater blandiátur, ità ego consolábor vos, & in Jerúsalem consolabímini: vidébitis, & gaudébit cor vestrum.

℟. Aúferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum: * Et † Spíritum meum ponam in médio vestrî. ℣. Veníte ad me, omnes qui laborátis, & oneráti estis; & ego refíciam vos. * Et Spíritum. Glória. † Spíritum. *Ezech.* 36. *Matth.* 11.

Hymnus.

Non tingat aras jam pécudum cruor;
En immolátur dígnior hóstia:
Flammis adustum Cor supernis
Ecce Deo Deus ipse libat.

Unctus perenni chrísmate Póntifex
Ad sancta templi nos vocat íntima;
Quid thura legis? thure pectus
Pontíficis melióre fumat.

AGNUM sub ara perpé-
tuis sacri
Fornax amóris cónficit
ígnibus;
Unâ litandum cæde Na-
tum
Jugis amor sine cæde ma-
ctat.

Tu par Parenti; quæ
Pater imperat;
Promptus statúto témpore
pérficis;
Descripta vivit lex pa-
terna
In tábulis animáta Cor-
dis.

Laus summa Patri,
summaque Fílio,
Sanctóque compar glória
Flámini;
Da, Christe, sacri Cordis
instar,
Pacíficos humiléſque sen-
sus.
Amen.

℣. Suávis Dóminus uni-
versis, ℟. Et miseratiónes
ejus super ómnia ópera
ejus. *Ps.* 144.

Ad Magníf. [*Duplicatur Antiph.*] *Ant.* 6. C. Amantíssimus Dómini habitábit confidenter in eo: quasi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiescet. *Deut.* 33.

Oratio, Dómine Jesu, *infrà ad Laudes*, *pag.* 601.

Fit Comm. Sabbati.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ad Hymnum, Doxologia:

Sit laus Patri; laus
Filio,
Qui Cordis alto vúlnere
Nos sanat; & quo pé-
ctora
Fervent, sit æqua Flámi-
ni. Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum, qui diléxit nos, & trádidit semetipsum pro nobis, * Veníte, adorémus. *Galat.* 2.

Ps. Venite, *pag.* 2.

Hymnus.

CHRISTE, fons jugis
salientis undæ,
Péctoris sacros áperi re-
cessus,
Ut Deo plenos bibat ore
puro
Spíritus amnes.

Hîc latens blando plá-
cidus sopóre,
Nóxio mundi procul à tu-
multu,
Ebrius largo jacet affluen-
tis
Núminis haustu.

Igneis pectus jáculis
ferítur;
Vulnus infligit Deus ipse
telum:
Lædit & sanat feriéntis
idem
Ictus amóris.

CHRISTE, quo ferves cremer intus æstu;
Corda fac zèlus bene doctus urat;
Qui tuos rexit, regat ille nostros
Spíritus actus.

PECTÓRIS sacris látebris sepulta
Mens sibi sanctè moritura vivat:
Vana dediscens tibi, Christe, fida
Sérviat uni.

QUI pari sese rédamant amóre,
Summa laus Patri, Genitóque summa;
Laus tibi compar, utriusque sancte
Nexus amóris.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ps. Dómine Dóminus noster, pag. 36.

Ant. 2. D. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? *Job.* 7.

Ps. Conserva me, Dómine, *pag.* 93.

Ant. 3. a. A dextris est mihi [Dóminus], ne commóvear: propter hoc lætátum est cor meum. *Ps.* 15.

Ps. Exaúdiat te Dóminus, *pag.* 67.

Ant. 6. F. Holocaustum tuum pingue fiat; tríbuat *tibi [Dóminus] secundùm cor tuum. Ps.* 19.

℣. Parátum cor meum, Deus, ℟. Parátum cor meum. *Ps.* 107.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. C. 8.

PONE me, ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, quasi níhilum despíciet eam.

℟. Egredímini & vidéte, fíliæ Sion, Regem in diadémate, quo coronávit illum mater sua * In die desponsatiónis illíus, & in die lætítiæ cordis ejus. ℣. Ecce Sponsus venit; exíte óbviam ei. * In die. *Cant.* 3. *Matth.* 25.

De Isaía Prophéta.

Lectio ij. C. 63.

MISERATIÓNUM Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, & super multitúdinem bonórum domûs Israel, quæ largitus est eis secundùm indulgéntiam suam

& secundùm multitúdinem misericordiárum suárum. Et dixit: Verúmtamen pópulus meus est, filii non negantes; & factus est eis salvátor. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, & ángelus faciéi ejus salvávit eos. In dilectióne sua, & in indulgéntia sua ipse redémit eos, & portávit eos, & elevávit eos cunctis diébus sǽculi.

℟. Miserátor & miséricors Dóminus, * Pátiens & multùm miséricors. ℣. Dilexit nos, & lavit nos, à peccátis nostris in sánguine suo. * Pátiens. *Ps.* 44. *Apoc.* 1.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iij. C. 4.

Habentes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum Filium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis implémini, * Spíritus enim meus super mel dulcis, & hæréditas mea super mel & favum. ℣. Tóllite jugum meum super vos. * Spíritus enim. Glória. * Spíritus. *Eccli.* 24. *Matth.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Ps. Dóminus regit me, *pag.* 68.

Ant. 3. a. Misericórdia tua subsequétur me ómnibus diébus vitæ meæ. *Ps.* 22.

Ps. Dóminus illuminátio mea, *cum sua divisióne*, *pag.* 135.

Ant. 1. G. Tibi dixit cor meum; exquisívit te fácies mea. *Ps.* 26.

Ps. Exaudi, Deus, deprecatiónem meam, *p.* 103.

Ant. 4. E. A fínibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum. *Ps.* 60.

℣. Exultábit cor meum in salutári tuo, Dómine: ℟. Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 61. *In Cant.*

Lectio iv.

Ego fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex viscéribus Dómi-

ni; quóniam misericórdiâ áffluunt, nec desunt forámina per quæ éffluant. Fodérunt manus ejus & pedes, latúsque lánceâ foravérunt; & per has rimas licet mihi súgere mel de petrâ, oleúmque de saxo duríssimo; id est gustáre & vidére, quóniam suávis est Dóminus. Ferrum pertránsiit ánimam ejus, & appropinquávit cor illíus, ut non jam non sciat cómpati infirmitátibus meis. Patet arcánum cordis per forámina córporis: patet magnum illud pietátis sacramentum: patent víscera misericórdiæ Dei nostri, in quibus visitávit nos Oriens ex alto.

℟. Ecce dedi coram te * Ostium apertum quod nemo potest claúdere. ℣. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum. * Ostium. *Apoc.* 3. *Cant.* 4.

Lectio v.

Ex Tract. de Passione Domini. C. 3.

Vulnerasti, inquit in Cánticis amóris Sponsus, cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum. Sed quia semel vénimus ad cor dulcíssimum Jesu, & bonum est nos hîc esse, ne sinámus nos fácilè avelli ab eo. O quàm bonum & quàm jucundum habitáre in corde hoc! Bonus thesaurus, bona margaríta, cor tuum, bone Jesu! Quis hanc margarítam abjíciat? Quin pótiùs dabo ómnia, omnes cogitatiónes, & affectus mentis commutábo, & comparábo illam mihi, jactans omnem cogitátum meum in corde Dómini Jesu.

℟. Quid mihi est in cœlo, & à te quid vólui super terram, * Deus cordis mei & pars mea, Deus, in æternum? ℣. Quis nos separábit à caritáte Christi? * Deus cordis mei. *Ps.* 72. *Rom.* 8.

Lectio vj.

Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctórum, ad hanc arcam testamenti adorábo, & laudábo nomen Dómini, dicens cum David: Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni cor regis, fratris & amíci benigni Jesu: & numquid non adorábo? Orábo útique: cor enim illíus meum est. Audacter dicam: si, imò quia caput meum Christus est, quómodò quod capitis mei est, non meum est? Hoc

igitur corde tuo & meo, dulcíssime Jesu, invento, orábo te Deum meum. Admitte tantùm in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas: imò me totum trahe in cor tuum.

℟. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum & refúgium meum, & liberátor meus. ℣. Dilexit me, & trádidit semetipsum pro me. * Dóminus. Glória. * Dóminus. *Ps.* 17. *Gal.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Ps. Expectans expectávi Dóminum, *cum sua divisione, pag.* 124.

Ant. 7. G. [Dicit Dóminus:] Si non occurri tibi in témpore afflictiónis, & in témpore tribulatiónis advérsùs inimícum. *Jerem.* 15.

Ps. Quàm bonus Israel Deus, *pag.* 89.

Ant. 5. C. Ego quasi nutrítius portábam eos in bráchiis meis; & nesciérunt quòd curárem eos. *Ose.* 11.

Ps. Quàm dilecta, *p.* 106.

Ant. 6. F. Fílios enutrívi, & exaltávi: ipsi autem sprevérunt me. *Isai.* 1.

℣. Posuérunt advérsùm me mala pro bonis, ℟. Et ódium pro dilectióne meâ. *Ps.* 108.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vij. C. 15.

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manéte in dilectióne mea. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Joannem, Homil. 75.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Istud advérbium, Sicut, ad hómines dictum, vim própriam habet. Nam qui mori vóluit, qui servos, inimícos, hostes tanto honóre dignátus est, & in cœlum adduxit, quómodò dilectiónis mensúram osténdit! Si ergo vos díligo, confídite. Indè ne negligentes fáceret, vide quómodò eos rursùs éxcitat: Manéte in dilectióne meâ: hoc in vestrâ est potestáte. Quómodò autem hoc erit? Si præcepta mea servavéritis, sicut & ego præcepta Patris mei servávi. Si in dilectióne meâ mansséritis, nihil vobis nocére póterit. Magnum namque & inseparábile quiddam dilectio est, quæ non nudis verbis, sed re ostendenda est. Ipse

:os reconciliávit ,
ı amóre perstémus ;
ncépit , nos saltem
juámur : ipse non sui
ıodi grátiâ ; nullíus
eget ; nos saltem ad
ım utilitátem diligá-
ipse inimícos , nos
ı eum qui amícus
ımóre prosequámur.

Cœpit Jesus contri-
ε mœstus esse ; Tunc
iscípulis] : * Tristis
ıima mea usque ad
m. ℣. Anxiátus est
me spíritus meus ;
e turbátum est cor
ı: *Tristis. *Matth.* 26.
42.

Lectio viij.

ajórem hâc dile-
ctiónem nemo ha-
ıt ánimam suam po-
uis pro amícis suis.
dit se non ódio áli-
liscédere , sed dile-
:. Quare magis ad-
i me debétis ; pro
ánimam meam po-
ıt. supériùs inquit ,
ıum pastórem descri-
Hoc autem in loco
dmonet , & dilectió-
uæ magnitúdinem ,
alis ipse sit ostendit.
uâ grátiâ semper di-
ıem extollit ? quó-
hoc est discipuló-
argumentum , hoc
em *corróborat.* Pro-
ptéreà Paulus tantóperè dilectiónem laudávit , útpotè verus Dei discípulus , qui ejus vim sit expertus.

℟. Impropérium expectávit cor meum & misériam ; * Et † Sustínui qui simul contristarétur ; & non fuit ; & qui consolarétur , & non invéni. ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. * Et sustínui. Glória. † Sustínui. *Ps.* 68. *Joan.* 15.

¶ *Lectio ix. Evangelium & Homilia Dominicæ.*
Si Festum transferatur , propter Festum Patroni , & non celebretur in die Dominica , Lectio ix. ut sequitur.]

Lectio ix.

Vos amíci mei estis , si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus : vos autem dixi amícos , quia ómnia quæ audívi à Patre meo , nota feci vobis. Ex his verbis ínnuit máximi amóris indícium , quòd arcána Patris cum eis & communicáverit , & díxerit. Cùm autem Omnia dicit , intelligendùm de his est , quæ eos audíre convéniat. Indè áliud neque parvum amóris argumentum ad-

dúcit : Non vos me elegistis, inquit ; sed ego elégi vos : Hoc est, in amóre præcucurri. Ecce quot modis suam propónit dilectiónem, cùm & secréta Patris eis aperúerit, cùm in amóre prævénerit, cùm pro ipsis tot mala patiátur.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiph. 1. *toni*, D.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos; manéte in dilectióne mea. *Joan.* 15.

Ant. 8. g. Majórem hâc dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. *Joann.* 15.

Ant. 7. a. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit. *I. Joan.* 3.

Super Canticum, Confitébor ... quóniam irátus es mihi, *pag.* 101.

Ant. 5. a. Fortis est ut mors diléctio; aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem. *Cant.* 8.

Ant. 6. F. Ignem veni míttere in terram, & quid volo nisi ut accendátur? *Luc.* 12.

Capitulum. Prov. 8.

Ego diligentes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ & glória, opes supérbæ & justítia.

Hymnus.

O QUAM digna coli cánticibus æmulis
Quæ Christi látitant corde sub íntimo!
Patris progénies, Christus Homo-Deus,
Quantis dignus honóribus!

TEMPLUM tu, Génitor, péctoris íntima
Præsens ipse tuo Númine cónsecras;
Tu votis, Génitus, súpplicibus Patrem
Cultu non colis ímpari.

TEMPLUM perpétuis laúdibus ínsonat,
Templum perpétuis fragrat odóribus;
Hîc mens pura Deo múnera dévovet,
Dignas mens litat hóstias.

IN Christo quot opes, dona sciéntiæ
Quot præcelsa Pater pródigus ábdidit!
O quàm dives adest in penetrálibus
Thesaurus sapiéntiæ!

Ardens intérius qui sacer ártifex
Tantum finxit opus, Spíritus ínsidet
Perlustrans óperis grande decus sui,
Mirum quàm sibi cómplacet!

Quæ Christi cúmulas alta sacrária
Tantis divítiis, laus tibi, Trínitas:
Fac nos, Christe, piis munéribus sacri
Cordis perpétuò frui.
Amen.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

Ad Benedictus, [*Duplicatur Antiph.*], *Ant.* 1. J. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ, Dómine, lætificavérunt ánimam meam. *Ps.* 93.

Oratio.

Dómine Jesu, qui Ecclésiæ sponsæ tuæ, Cordis tui divítias ineffábiles aperíre dignátus es: concéde propítius ut grátiis cœléstibus ex eo dulcíssimo fonte manántibus, corda nostra ditári, ac recreári mereantur; Qui *vivis & regnas.*

Fit Comm. Dominicæ.

AD HORAS.

Psalmi de Dominica.

Doxologia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui Cordis alto vúlnere
Nos sanat; &, quo péctora
Fervent, sit æqua Flámini.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Sicut dilexit.

In ℟. *br.* ℣. Qui mitis es & húmilis corde. *Matth.* 11.

CANON.

Ex sancto Bernardo, Abbáte.

Tractatus de Passione Domini. C. 3.

Proptéreà vulnerátum est [Cor Jesu], ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodò hic ardor méliùs ostendi potest, nisi quòd non solùm corpus, verùm étiam ipsum cor lánceâ vulnerári permísit. Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále ostendit. Quis illud cor tàm vulnerátum non díligat?

AD TERTIAM.

Ant. 8. g. Majórem.

Capitulum. Hebr. 4.

Adeámus cum fiducia ad thronum grátiæ,

ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. br. Memor sit [Dóminus] omnis sacrifícii tui, * Allelúia, allelúia. ℣. Et holocaustum tuum pingue fiat : * Allelúia, allelúia. Glória. Memor. *Ps.* 19.

℣. Tríbuat tibi secundùm cor tuum, ℟. Et omne consílium tuum confírmet. *Ps.* 19.

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. In hoc cognóvimus.

Capitulum. Ephes. 3.

Det vobis [Pater] secundùm divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

℟. br. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * Allelúia, allel. ℣. Et salutáre tuum da nobis : * Allelúia, allel. Glória. Ostende. *Ps.* 84.

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Ignem.

Capitulum. Prov. 8.

Qui me invénerit, invéniet vitam, & hauriet salútem à Dómino.

℟. br. Desidérium cordis ejus tribuísti ei, [Dómine], * Allelúia, allel. ℣. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * Allelúia, allelúia. Glória. Desidérium. *Ps.* 20.

℣. Gustáte & vidéte, ℟. Quóniam suávis est Dóminus. *Ps.* 33.

AD II. VESPERAS.

Ps. Dixit Dóminus, *pag.* 28.

Antiphona 1. *toni*, A.

Atténdite ad petram undè excísi estis, & ad cavernam laci, de qua præcísi estis. *Isai.* 51.

Ps. Confitébor tibi, Dómine, ... in concílio, *pag.* 25.

Ant. 3. E. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus. *Ps.* 110.

Ps. Crédidi; propter quod locútus sum, *p.* 109.

Ant. 2. A. Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi? *Ps.* 115.

Ps. In convertendo Dóminus, *pag.* 110.

Ant. 4. E. Nos ergo digámus Deum, quóniam Deus prior dilexit nos. *Joan.* 4.

Ps. Memento, Dómine, David, *cum sua divisione, pag.* 110.

Ant. 5. C. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anáthema. *I. Cor.* 16.

Capitulum. Rom. 8.

Quis ergo nos separábit à caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius?

Hymnus.

Sit qui tonantem, Christe, canat manum;
Sit mille cinctum qui rádiis caput;
Cor nos sacrátum, caritátis
Perpétuæ venerámur aram.

Altis quot ignes viscéribus latent!
Amóris & quot divítiæ tui!
Æterna nostræ spes salútis,
Indè sacer cruor úsque manat.

Tu, secla nondùm cúrrere cœperant,
Tu nos amábas: dùm cádimus nece
Omnes paternâ, dùm minátur
Fulmen, ades, loquerísque pacem.

Ex orbis ipsâ cæsus orígine
Prodis Redemptor; jam cúpidum sitit
Mortem, dolóres, probra pectus:
Quid nímio nimis est amóri?

Pendens cruentâ quos cruce párturis,
Ardente gestas núnequam foves sinu;
Adhùc & insons pro nocente
Cor gémitu rogat efficáci.

O Cor amandum! quis mihi símplicis
Alas colúmbæ quis dabit, ut tuos
Petam recessus, sic amantem
Ut dócear redamáre Christum.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit summa sancto glória Flámini;
Tu fac adúrat dedicátum,
Christe, tibi tua flamma pectus.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abscondisti timéntibus te! *Ps.* 30.

Ad Magníficat, [*Duplicatur Ant.*] *Ant.* 7. G. Propter verbum tuum, Dómine, & secundùm cor tuum fecisti ómnia magnália hæc: allelúia. *II. Reg.* 7.

Oratio.

Dómine Jesu, qui Ecclésiæ sponsæ tuæ, Cordis tui divítias ineffábiles aperíre dignátus es: concéde propítius ut grátiis cœléstibus ex eo dulcíssimo fonte manántibus, corda nostra ditári, ac recreári mereantur; Qui vivis & regnas.

Fit Comm. Dominicæ.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica.

Cetera ut heri.



COMMUNE

COMMUNE SANCTORUM.

COMMUNE APOSTOLORUM.

In primis Vesperis.

[*In hoc Communi & in cæteris, ad I. Vesperas Psalmi semper de Feriâ*].

Antiphona, 1. G.

VOs Sacerdótes Dómini vocabímini, minístri Dei nostri: fortitúdinem géntium comedétis. *Is.* 61.

Ant. 6. F. Vocabuntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. *Is.* 61.

Ant. 8. g. Ædificábunt deserta à sǽculo, & ruínas antíquas érigent, & instaurábunt civitátes dissipátas. *Is.* 61.

Ant. 2. D. Pópulos vocábunt ad montem: ibi immolábunt víctimas justítiæ. *Deut.* 33.

Ant. 7. d. Omnes qui víderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus. *Is.* 61.

Capitulum. Is. 66.

HÆc dicit Dóminus: Annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino.

In Duplicibus secundæ Classis & suprà, ℟. Pósuit Dóminus óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum; * Ut nomen sanctificatiónis collaudent, & magnália enarrent óperum ejus. ℣. Fecit ut essent duódecim cum illo, & ut mitteret eos prædicáre * Ut nomen. Glória Patri. * Ut nomen. *Eccli.* 17. *Marc.* 3.

[*In Duplic.* 1. *Class. & suprà, post* ℣. Glória Patri. *resumitur, non reclamatio, sed* ℟. *usque ad* ℣.

Et sic pro alio quolibet Communi].

Hymnus.

CŒlestis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina;
Olim futúri júdices:
Mersis gravi calígine

Per vos dies renáscitur:
Quos vanus error lúserat,
Illústrat ipsa Véritas.
NON vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus,
Verbo sed irrísæ Crucis
Christo rebelles súbditis.
QUIBUS gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula:
Jam gaudet excússo jugo,
Liber Dei sub légibus.
VULGATA terris ómnibus
Per vos Dei mystéria;
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.
UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur. *Ps.* 21.

Duplicatur Ant. sequens in Festis Duplicib. 2. *Class. & suprà; & sic in quolibet Communi.*

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus; vos autem dixi amícos, quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. *Joann.* 15.

Oratio propria est.

AD COMPLETORIUM, *semper dicuntur Psalmi Feriales.*

[*In Annualibus, Ant.* 3. c. Vos estis lux mundi: lúceat lux vestra coram homínibus. *Matth.* 5.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Vox speculatórum Sion: parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. *Is.* 52.]

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joann.* 13.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

SUPREME, quales, Arbiter,
Tibi minístros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!
HÆC nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu nube scissâ fúlgura.
TOTUM per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
CHRISTUM sonant, versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum.
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.

FAC, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accensa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

[*In Annualibus & Duplicib.* I. *Class. ad Officium Noctur. & ad II. Vesperas Psalmi de Dominica, nisi proprii designentur.*

Ad Laudes, Horas & Completorium, semper Psalmi de Dominica.

In Duplicib. 2. *Class. & infrà, Psalmi Feriales in toto Officio, & sic in quolibet Communi*].

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Erat Jesus pernoctans in oratióne Dei: & cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos. *Luc.* 6.

Ant. 5. a. Elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 6. F. Dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent; & misit illos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram: ℟. *Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Ps.* 44.

Pater noster.

Absolutio & Benedictiones habentur ad calcem Psalterii.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente, si propria non assignentur. [*In Annualibus post repetitam j. iij. vj. & viij. Resp. reclamationem, dicitur* Glória Patri. *Deinde resumitur, non reclamatio, sed Responsor. usque ad* ℣. *In Duplicib. autem* I. *Classis, illud idem observatur in ultimo Matutini Responsorio tantùm.*

Et sic in quolibet Communi].

℟. *j.* Non vos me elegistis; sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis, & fructum afferátis, * Et fructus vester máneat. ℣. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis. * Et fructus. *Joann.* 15.

℟. *ij.* In viam géntium ne abiéritis; sed pótiùs * Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. ℣. Dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor; & factæ sunt in devoratiónem. * Ite. *Matth.* 10. *Ezech.* 34.

℟. *iij.* Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum: * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prude-

tia & sciéntia ; & próteget gradientes simplíciter. * Estóte. Glória. * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : & quod in aure audítis, prædicáte super tecta. *Matth.* 10.

Ant. 1. G. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

Ant. 8. c. Dico vobis amícis meis : Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámpliùs quid fáciant. *Luc.* 12.

℣. Eruet eos Dóminus à peccatóribus, & salvábit eos; ℟. Quia speravérunt in eo. *Ps.* 36.

Pater noster.

Absolutiò & Benedictiones habentur ad calcem Psalterii.

Tres Lectiones in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis ; * Non est servus major dómino suo : si me persecúti sunt, & vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me. * Non est. *Joann.* 15. *Ps.* 108.

℟. *v.* Nolíte timére opprobrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis : * Salus autem mea in sempitérnum erit : ego, ego ipse consolábor vos. ℣. Tradémini à paréntibus & amícis ; & morte affícient ex vobis : & éritis ódio ómnibus propter nomen meum. * Salus. *Is.* 51. *Luc.* 21.

℟. *vj.* Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodò aut quid loquámini : * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére. * Non enim. Glória Patri. * Non enim. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Quicumque volúerit inter vos major fieri, sit vester miníster : sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre. *Matth.* 20.

Ant. 2. D. Ego Dóminus & Magíster exemplum dedi vobis, ut quemádmodùm ego feci vobis, ita & vos faciátis. *Joann.* 13.

Ant. 8. g. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dícite : Servi inútiles sumus ; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

Pater noster.

Absolutio & Benedictiones ad calcem Psalterii.

Evangelium & Homilia in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Ecce dedi vobis potestátem super omnem virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére; gaudéte autem quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

℟. *viij.* In regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, * Sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. ℣. Judícium sedébit, ut potestas & magnitúdo regni detur pópulo sanctórum. * Sedébitis. Glória. * Sedébitis. *Matth.* 19. *Dan.* 7.

[*Post ix. Lectionem dicitur immediatè* Te Deum. *& sic in quolibet Communi*].

AD LAUDES.

Antiphona, 6. F.

JEsus locútus est úndecim Discípulis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra; euntes ergo docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 8. c. Prædicáte Evangélium omni creatúræ; *baptizantes* eos, do*centes servare* ómnia quæcumque mandávi vobis. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

Ant. 8. g. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis: & quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joann.* 20.

Ant. 1. G. Accipiétis.

Canticum Is. 52.

QUàm pulchri super montes pedes annuntiantis * & prædicantis pacem;

Annuntiantis bonum, prædicántis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt.

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte simul, deserta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium géntium.

Et vidébunt omnes fines terræ * salutáre Dei nostri.

Ant. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

Ant. 3. a. Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi. Matth. 28

Capitulum. Ephes. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas; álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

Hymnus.

QUI venit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

OCCISUS Agnus à lupis
Vos misit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

QUÆ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

HOc rore facta pínguior
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

QUAM si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps. 95.*

Duplicatur Antiph. ad Bened. *in Festis Duplicibus 2. Class. & suprà; & sic in quolibet Communi.*

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Prædicábant ut pœniténtiam ágerent, & dæmónia multa ejiciébant, & ungébant óleo multos ægros, & sanábant. *Marc. 6.*

Oratio propria est.

[*Ad Horas, Antiphonæ sumuntur ex Laudibus, quartâ prætermissâ, & sic in omni alio Communi*].

AD PRIMAM.

Antiph. 6. F. Jesus.

Capitulum, Regi sæculórum.

CANON Ferialis.

Cætera ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Antiph. 8. c. Prædicáte.

Capitulum. Rom. 1.

PEr Jesum Christum accépimus grátiam & Apostolátum, ad obediendum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus.

[*In Duplicib. 2. Classis & suprà, ac per Octavas quascumque, (nisi aliter notetur) adduntur* ℟℟. *brevibus Tertiæ, Sextæ & Nonæ, duo* Allelúia; *& sic in quolibet Communi*].

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. ℣. Et in fines orbis terræ ver-

ba eórum. * Exívit. Glória. ℟. In omnem.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

Oratio propria est.

AD SEXTAM.

Antiph. 8. g. Quorum.

Capitulum. 2. *Cor.* 5.

POsuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Venite, * Et vidéte ópera Dómini. ℣. Quæ pósuit prodígia super terram. * Et vidéte. Glória. ℟. Venite. *Ps.* 45.

℣. Subjécit pópulos nobis, ℟. Et gentes sub pédibus nostris. *Ps.* 46.

AD NONAM.

Antiph. 3. a. Ecce.

Capitulum. Ephes. 2.

JAm non estis hóspites & ádvenæ; sed estis cives sanctórum & doméstici Dei, superædificáti super fundamentum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo anguläri lápide Christo Jesu.

℟. *br.* In convertendo Dóminus captivitátem Sion, * Facti sumus sicut consoláti. ℣. Magnificávit Dóminus fácere cum eis. * Facti sumus. Glória. ℟. In convertendo.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum; ℟. Facti sumus lætantes. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 6. F.

INjecérunt manus in Apóstolos, & posuérunt eos in custódia. *Act.* 5.

Ant. 2. D. Cæsis denuntiavérunt, ne omnínò loquerentur in nómine Jesu. *Act.* 5.

Ant. 4. E. Ibant gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act.* 5.

Ant. 1. G. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia; & virtúte magnâ reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Capitulum. 1. *Cor.* 4.

DEus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

Hymnus, Qui venit in terras, Deus, &c. *ut ad Laudes supra*, pag. vi.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus;

Nimis confortátus est principátus eórum, *Ps.* 138.

Duplicatur Ant. in Festis Dupl. 2. *Class. & suprà. Et sic in quolibet Communi.*

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. In fundamentis duódecim civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni. *Apoc.* 21.

Oratio ut in Proprio.

[*In Annualibus*, AD COMPLET. *& ad* Nunc dimittis. *Ant. propria ut suprà, ad Complet. post I. Vesp. Et sic in omni alio Communi*].

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN PRIMIS VESPERIS.

[*In Festis Semiduplicibus , Antiphona unica, eaque prima , nisi aliter notetur : & sic in quolibet Communi*].

Antiphona , 1. *toni.* D.

SI quis venit ad me , & non odit ánimam suam, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

Ant. 4. E. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. *Matth.* 10.

Ant. 2. D. Qui perdíderit ánimam suam propter me, & Evangélium , salvam fáciet eam. *Marc.* 8.

Ant. 3. a. Hæc est grátia , si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias , pátiens injustè. 1. *Petr.* 2.

Ant. 3. g. Usque in tempus sustinébit pátiens ; & pósteà reddítio jucunditátis. *Eccli.* 1.

Capitulum. Apoc. 3.

QUi vícerit , vestiétur vestimentis albis , & non delébo nomen ejus de libro vitæ , & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

In Duplicibus secundæ Classis & suprà , ℟. Beátus vir qui suffert tentatiónem , quóniam * Cùm probátus fúerit , † Accípiet corónam vitæ quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus , si in probatióne fúerit , coronábitur. * Cùm. Glória. † Accípiet. *Jac.* 1. *Tob.* 3.

Hymnus.

EX quo , salus mortálium ,
Fluxit sacer Dei cruor,
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

NON jam crucis Christi pudet ;
Quin surgit ingens glória ,

Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.
Hoc iste plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.
Parata spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.
Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.
Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo
Quodcumque durum nómine.
Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris ómni témpore. Amen.

℣. Justus cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3.

Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi propria sit.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad Benedictus, *&* ℣. *ex Laudibus, cum ea Oratione quæ in Proprio Sanctorum assignata est. Quod servatur in omni alio Communi.*

[*In Annualibus*, Ad Complet. (*in quo semper dicuntur Psalm. Feriales.*) *Ant.* 3. c. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ. *Joann.* 8.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Ego ad Dóminum aspíciam; expectábo Deum Salvatórem meum. *Mich.* 7].

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum qui dat vincenti manna abscónditum, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Felix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam;
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas, fidem.
Pœnis victa quibus defíceret fides?
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere;
Ne succúmbere possis

Tecum prælia súſtinet.
Et nos delícias vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat
Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

[*In Duplicibus ſimpliciter dicitur Antiphona unica in unoquoque Nocturno, eaque prima de tribus uniuscujuſque Nocturni, ſi Feſtum occurrat Feriâ II. aut V. ſecunda, ſi Feriâ III. aut VI. & tertia, ſi Feriâ IV. aut Sabbato. In Semiduplicibus & Simplicibus, tres Antiphonæ ad Nocturnum, Verſiculus & duo* ℟℟. *ſumuntur ex uno eodemque Nocturno, juxta Ferium, id eſt, ſi Feſtum occurrat Feriâ II. vel V. tres Antiph. Verſiculus & Reſponſoria* j. & iij. *de I. Nocturno: ſi Feriâ III. aut VI. tres Ant. Verſic. &* ℟℟. iv. & vj. *de II. Noct. ſi autem Feriâ IV. aut Sabbato, tres Ant. Verſic. &* ℟℟. *de III. Noct. & ſic in quolibet Communi*].

Ant. 1. a. Bonus Dóminus, & confortans in die tribulatiónis, & ſciens ſperantes in ſe. *Nahum.* 1.

Ant. 3. c. Qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus; non timébit cùm vénerit æſtus. *Jerem.* 17.

Ant. 2. D. In tentatióne Deus illum conſervábit, & liberábit à malis. *Eccli.* 33.

℣. Parátum cor ejus ſperáre in Dómino; ℟. Confirmátum eſt cor ejus, non commovébitur. *Pſ.* 111.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Probávit me Dóminus quaſi aurum quod per ignem tranſit: * Veſtigia ejus ſecútus eſt pes meus; viam ejus cuſtodivi, & non declinávi ex ea. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoſcendum Chriſtum & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus: * Veſtígia. *Job.* 23. *Philipp.* 3.

℟. *ij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. ℣. Confortátus eſt fide, dans glóriam Deo, * Ut vínceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. *iij.* Cuſtodívit illum Dóminus ab inimícis: * Deſcendit cum illo in fóveam, & * In vínculis non derelíquit illum. ℣. Ex-

Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * Descendit. Glória. † In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13.

Ant. 6. F. Víncula & tribulatiónes me manent; sed nihil horum véreor. *Act.* 20.

Ant. 1. G. Non fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consummem cursum meum. *Act.* 20.

℣. In Deo sperávi; ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 311. *in nat. Cypr. Mart. Lectio iv.*

ISTum nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum, imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótiùs diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, & ideò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit: ideò victor ad Deum accessit.

℟. *iv.* Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo; * Cùm enim infirmor, tunc potens sum. ℣. In Dómino sperans, non infirmábor. * Cùm enim. 2. *Cor.* 12. *Ps.* 25.

Lectio v.

ABundant in isto século errores & terróres: beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit: secútus Agnum, leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat: sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, & pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exília, víncula, torménta, flammas, béstias, cruces, mortes.

℟. *v.* Ego non solùm alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. ℣. Ego

a vj

mam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et mori. *Act.* 21. 2. *Mach.* 7.

Lectio vj.

ALius moriebátur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Numquid hoc fácerent, nisi flagrántiâ caritátis de consciéntia veritátis? Prædicavérunt mórtuũ quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam; sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem; pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur?

℟. vj. Secundùm expectatiónem & spem meam in nullo confundar; sed * Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem. ℣. E cœlo membra ista possídeo, sed propter Dei leges hæc ipsa despício. * Magnificábitur. Glória. * Magnificábitur. *Philipp.* 1. 2. *Mach.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Fórtiter vitâ excedendo exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. d. Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 6. F. Si ímmolor supra sacrifícium & obséquium fídei, gaúdeo: idipsum & vos gaudéte, & congratulámini mihi. *Philipp.* 2.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Grégorii Papæ.

Homil. 35. *in Evangelia.*

QUia Dóminus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vitiis enutrítæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat? nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset. Sed cœlestis médicus síngulis quibusque vitiis obviántia ádhibet medicamenta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida ca-

lidis curantur : ita Dóminus noster contrária oppósuit medicamenta peccátis , ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracundis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℞. *vij.* Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ : * Qui vícerit, non lædétur à morte secunda. ℣. Usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. * Qui vícerit. *Apoc. 2. Eccli. 4.*

Lectio viij.

CErtè cùm se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit : Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apertè dicat : Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium & vestra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat, audiámus : Qui vult post me veníre, ábneget semetipsum. Ibi dicitur, ut abnegémus nostra ; hìc dícitur ut abnegémus nos. Et fortasse laboriósum non est hómini relinquere sua : sed valde laboriósum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegáre quod habet ; valde autem multum est, abnegáre quod est.

℞. *viij.* Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo ; * Et salvum fáciet in regnum suum cœléste. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jesu meo : super excelsa dedúcet me victor, * Et salvum. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4 *Hab.* 3.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris : quia quicumque ad fidei agónem venímus, luctámen contra malignos spíritus súmimus. Nihil autem maligni spíritus in hoc mundo própriũ póssident ? nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisquam cum nudo luctátur, citiùs ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quædam córporis indumenta ? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succumbat.

AD LAUDES.

[*In Semiduplicibus & infrà Antiphona unica, eaque quarta ; & sic in quolibet Communi*].

Antiphona, 8. g.

PRopter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam. Philipp. 2.

Ant. 3. a. Patienter sust

nens destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. a. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, invisíbilem tanquam videns sustínuit. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Gloriosíssimam.

Canticum. Eccli. 51.

Confitébor tibi, Dómine rex, * & collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protector factus es mihi.

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; * & in conspectu astántium factus es mihi adjútor.

Et liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui * à rugiéntibus præparátis ad escam:

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

Ant. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 6. F. Hoc modo vitâ decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelinquens. *II. Mach.* 6.

Capitulum. Rom. 8.

Fratres, exístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

Hymnus.

Jam non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco
Fulgentes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperùm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus, & índuit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundísque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.

Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máximo Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Cantábo, Dómine

fortitúdinem tuam; ℟. Et exultábo manè misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui beátum Mártyrem tuum *N.* virtúte constántiæ in passióne roborasti; ex ejus imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus adversa formidáre; Per Dóminum.

Si sit Pontifex, Oratio.

FAc nos, Dómine, imitári sacerdotálem constántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem servantes quam dócuit, ejusdem corónæ consortes efficiámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnípotens sempiterne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuisti; fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui solus vera vita es, pervenire; Per Dóminum.

[*Si facienda sit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad* Magníficat, *&* ℣. *II. Vesperarum. Quod servatur in omni alio Communi*].

AD PRIMAM.

Antiph. 8. g. Propter.

AD TERTIAM.

Antiph. 3. a. Patienter.

Capitulum. 2. *Tim.* 2.

LAbóra sicut bonus miles Christi Jesu; nam & qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítimè certáverit.

℟. *br.* In Deo salutáre meum, * Et glória mea. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. * Et glória. Glória. ℟ In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, ℟. Et sperábo in eum. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Antiph. 1. a. Magis.

Capitulum. 2. *Tim.* 1.

PAtior, sed non confundor; scio enim cui crédidi, & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra, * Non timébit cor meum. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperábo. * Non. Glória. ℟. Si.

℣. Dóminus illuminátio

mea & salus mea; ℟. Quem timébo? *Ps.* 26.

AD NONAM.

Antiph. 6. F. Hoc modo.

Capitulum. Tob. 3.

POst tempestátem tranquillum facis, Dómine; & post lacrymatiónem & fletum exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedíctum in sécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Susceptor meus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. * Susceptor. Glória. ℟. Factus es. *Ps.* 58.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

[*In Semiduplicibus, Antiph. unica, eaque prima, nisi aliter notetur. Et sic in quolibet Communi*].

Antiphona, 4. f.

CUm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo labóres; secundùm ánimam verò libenter hæc pátior. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. a. Gaúdeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea. *Col.* 1.

Ant. 5. a. Replétus sum consolatióne, superabundo gáudio in omni tribulatióne. 2. *Cor.* 7.

Ant. 8. g. Dóminus mihi ástitit, & confortávit me: & salvum fáciet in regnum suum cœleste. 2. *Tim.* 4.

Ant. 4. f. Eripuisti me de témpore iníquo; proptéreà confitébor & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini. *Eccli.* 51.

Capitulum. 1. *Joann.* 5.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra.

Hymnus, Jam non te lácerant, *ut in Laudibus*, *pag.* xiv.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum. *Ps.* 33.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Justum à peccatóribus liberávit Dóminus, & non derelíquit illum, & dedit illi claritátem ætemam. *Sap.* 10.



COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 2. D.

VEnit hora ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. *Joann.* 16.

Ant. 3. a. Injícient vobis manus suas, & persequentur trahentes ad reges & præsides. *Luc.* 21.

Ant. 4. f. Occídent vos, & éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. *Matth.* 24.

Ant. 5. a. In mundo pressúram habébitis; sed confídite, ego vici mundum. *Joan.* 16.

Ant. 1. D. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. *Luc.* 21.

Capitulum. 1. *Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit.

In Duplicibus 2. *Classis & suprà.* ℟. Digné Evangélio Christi conversámini, & in nullo terreámini ab adversáriis; * Quia † Vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. A verbis viri peccatóris ne timuéritis: confortámini, & viríliter ágite in lege. * Quia. Glória. † Vobis. *Philipp.* 1. 1. *Mach.* 2.

Hymnus.

FORTES cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœlestis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet
Passo Deo quod défuit:
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

QUEM lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor;
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.

ET ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.

SIC, Christe, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuósque múnerans, tua
Æquus corónas múnera.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de omni-

bus his liberábit eos Dóminus. *Pf.* 33.

Ad Magníficat *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte & exultáte; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. *Luc.* 6.

Oratio, ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

In Annualibus, AD COMPLETORIUM. *Ant.* 3. c. Complebuntur dies luctûs tui, Sion: non óccidet ultrà ſol tuus. *Iſ.* 60.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Sérvient Deo ſervi ejus, & vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum legítimè certantes coronantem, * Veníte, adorémus. *II. Tim.* 2.

Pſalmus Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

QUAM vincla ſunt hæc fórtia
Quæ Mártyres Deo ligant!
Non vita, mille non neces
A caritáte ſéparant.

VIX corpus unum ſúfficit:
Non eſt ſatis ſemel mori;
Quot ſciſſa membra, tot litant
Deo placentes víctimas.

SÆVIT tyrannus, állicit;
Temnunt minas, temnunt preces
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.

ACTI procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur; &, Chriſto duce,
Portus beátos óccupant.

FAC, Chriſte, ſemper mens tibi
Inter cruces adhæreat:
Fac dura quæ corpus premunt,
Ad te magis nos érigant.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni tempóre.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce natiónes convenérunt adversùm nos, ut nos diſperdant: quómodò potérimus ſubſiſtere, niſi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3.

Ant. 5. a. Séquimur te in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam: érue nos, & da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3.

Ant. 8. g. Omnes qui oſtendunt ſervis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua, & ſciant quia tu es Dóminus Deus ſolus. *Dan.* 3.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Nos stulti propter Christum : maledícimur, & benedícimus ; * Persecutiónem pátimur, & sustinémus ; blasphemámur, & obsecrámus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis. * Persecutiónem. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43.

℟. *ij.* Quis nos separábit à caritáte Christi ? tribulátio ? an angústia ? an fames ? an persecútio ? an gládius ? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, Dómine. * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. *iij.* Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicùm passos ipse perfíciet : ipsi glória & impérium † In sǽcula seculórum. ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit : * Módicùm. Glória. † In sǽcula. 1. *Petr.* 5. *II. Mach.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. b. In mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur *in carne nostra* mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 5. b. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

Ant. 6. F. Propítius sit nobis Deus : non est nobis útile relínquere legem, & justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem ; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. *in nat. Mart.*

Lectio iv.

QUóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs áliquid deléctet nos dícere, nisi de glória ipsórum ? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò ante beátum Apóstolum Paulum prædicantem : Quis nos separábit à caritáte Christi ? (Ista vox est Mártyrum.) Tribulátio ? an angústia ? an persecútio ? an fames ? an núditas ? an perículum ? an gládius ? Sicut scriptum est : Propter te morte affícimur totâ die ; deputáti sumus ut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus per eum qui diléxit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere : illum dilígere qui glorificátur in suis ; ut qui gloriá-

tur, in Dómino gloriétur.

℟. *iv.* Absit à nobis ut relinquámus Dóminum, & serviámus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, & obediéntes érimus præceptis ejus. ℣. Et si sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus Deus. * Dómino. *Jos.* 24. 1. *Cor.* 8.

Lectio v.

NOvérunt & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, & exultáte, justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda: primò vincendæ sunt delectatiónes, & pósteà dolóres. Quómodò potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò superáre potest quod minátur?

℟. *v.* Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre, à Deo, íterùm ab ipso resuscitandos. ℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra. * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

Lectio vj.

HAbent delectatiónem suam divítiæ: quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis inciderit, ut duo hæc véniant in contentiónem, divítiæ & justítia, & non possis habére utrumque; sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut admittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ: modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti: Lætámini in Dómino, & exultáte, justi: modò videámus si non sine causa audisti: Quis nos separábit à caritáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, & te vóluit ea commemoráre, quibus sævit mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat: illa útique certámina ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum timórem mortis & hostem sævíssimum.

℟. vj. Exhibeámus nos-

metipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. Glória. * In necessitátibus. 2. *Cor.* 6. *Judith.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Elegérunt magis mori, & noluérunt infríngere legem Dei sanctam, & trucidáti sunt. *I. Mach.* 1.

Ant. 1. f. Et si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Ant. 4. a. Módico nunc dolóre sustentáto, sub testamento vitæ æternæ effécti sunt. *II. Mach.* 7.

℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos; ℟. In æternum conservabuntur. *Ps.* 36.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fieri, sed *nondum statim finis.* Et *reliqua.*

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 35. *in Evang.*

AUdítis tot terróribus, turbári póterant infirmórum corda, atque ídeò consolátio adjúngitur: Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os & sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri. Ac si apertè membris suis infirmántibus dicat: Nolíte terréri, nolíte pertiméscere: vos ad certámen accéditis, sed ego prælior: vos verba éditis, sed ego sum qui loquor.

℟. *vij.* Ludíbria & vérbera experti, ínsuper & víncula & cárceres: * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. ℣. Tradidérunt córpora sua ne servírent, & ne adorárent omnem Deum, excepto Deo suo. * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

Lectio viij.

SEquitur: Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis. Sed quia dura sunt quæ prædicuntur de afflictióne mortis, prótinùs consolátio súbditur de gáudio resurrectiónis, cùm dicitur

Capillus de cápite vestro non períbit; vidélicet apertè dicens : Cur timétis ne péreat quod incísum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incísum non dolet ? Séquitur : In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Idcircò posséssio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur, quia radix ómnium custósque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam verò possidémus ánimas nostras; quia dum nobis ipsis domináriu díscimus, hoc ipsum incípimus possidére quod sumus.

℞. viij. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi ; * Et † Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam , adepti sunt repromissiónes. * Et. Glória. † Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Lectio ix.

ET nos sine ferro esse póssumus Mártyres, si patiéntiam veráciter in ánimo custodímus . . . . Serváte ergo, fratres, in mente patiéntiam, eamque, cùm res éxigit, exercéte in operatióne. Nullum vestrùm ad ódium próximi contumeliósa verba commóveant, nullum peritúrárum rerum damna perturbent. Si enim mansúra damna pertiméscitis ; damna rerum transeúntium grávia non putátis. Si ætérnæ retributiónis glóriam concupíscitis, de temporáli injúria non dolétis. Toleráte ergo adversários vestros : sed ut fratres dilígite, quos tolerátis. Ætérna præmia pro damnis temporálibus quærite.

AD LAUDES

Antiphona, 7. d.

VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimóniū quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 1. a. Stabant ante thronum in conspectu Agni, & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 2. D. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiéscerent. *Apoc.* 6.

Ant. 6. F. Hi sunt.

Canticum. Sap. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, * & non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt óculis insipiéntium mori , * & æstimáta est afflíctio éxitus illórum ;

Et quod à nobis est iter, extermínium : * illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus tormenta passi sunt, * spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti, in mul-

enè disponentur; * [...]iam Deus tentávit eos, [...]vénit illos dignos se. [...]nquam aurum in for[...] probávit illos, & holocausti hóstiam [...]it illos; * & in témerit respectus illó[...]

[...]lgébunt justi, * & tan[...] scintillæ in arundi[...] discurrent.

[...]dicábunt natiónes & [...]nabuntur pópulis; * [...]gnábit Dóminus illó[...]in perpétuum.

[...]. Hi sunt ante thro[...] Dei, & sérviunt ei die [...]octe in templo ejus. [...]. 7.

[...]. 8. c. Non esúrient [...]e sitient ámpliùs, nec [...]t super illos sol, neque æstus. *Ibid.*

[C]apitulum. Jac. 1.

[O]Mne gaúdium existimáte, Fratres mei, in tentatiónes várias [...]éritis: sciéntes quòd [...]átio fídei vestræ pa[...]iam operátur; patién[...]utem opus perfectum [...]t.

Hymnus.

[...]UAM, Christe, signa[...]sti viam
[...]us, profúso sánguine,
[...]hanc tui te fórtiter
[...]m sequuntur mílites.
[...]ssus manus, fossus pedes,
[...]s ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triumpho se tuo.

OMNES in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

AUDIRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

FAC, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Salus justórum à Dómino: ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiã, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* quorum celebrámus victórias, participémus & præmiis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, cujus grátiâ sancti Mártyres tui *N.* & *N.* mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti sunt; da nobis ut te solum diligentes, próspera mundi simul & adversa despiciámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Vidi.

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Stabant.

Capitulum. Sap. 3.

TAnquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respectus illórum.

℟. *breve.* Probasti nos, Deus: * Igne nos examinasti. ℣. Sicut examinátur argentum. * Igne. Glória. ℟. Probasti. *Ps.* 65.

℣. Lætáti sumus pro dié bus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Datæ sunt.

Capitulum. Sap. 10.

REddidit justis Deus mercédem labórum suórum, & deduxit illos in via mirábili, & fuit illis in velamento diéi: tránstulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nímiam.

℟. *br.* Transívimus* Per ignem & aquam. ℣. Et eduxisti nos, Deus, in refrigérium. * Per. Glória. ℟. Transívimus. *Ps.* 65.

℣. Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in sǽculum. *Psal.* 43.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Non esúrient.

Capitulum. Is. 9.

LÆtabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captâ prædâ, quando dívidunt spólia.

℟. *breve.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. ℣. Euntes ibant & flebant mittentes sémina sua. * In. Glória. ℟. Qui.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 5. a.

LÆtítia sempiterna super caput eórum, gáudium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus. *Is.* 35.

Ant. 3. c. In perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum. *Sap.* 5.

Ant. 1. D. Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. *Sap.* 3.

Ant. 4. E. Qui vicérunt, habent cítharas Dei, & can-

[redacted]

tant cánticum Agni. *Apoc.* 15.

Ant. 8. g. Agnus qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7.

Capitulum. Is. 65.

OBlivióni tráditæ sunt angústiæ prióres, & non erunt in memória prióra, & non ascendent super cor; sed gaudébitis & exultábitis usque in sempitérnum.

Hymnus. Quam, Christe, *ut in Laudibus, pag.* xxiij.

℣. Exultent justi in conspectu Dei, ℟. Et delecténtur in lætítia. *Ps.* 67.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Ecce quomodò computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est. *Sap.* 5.

COMMUNE SS. PONTIFICUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 5. a.

SUscitábo super oves meas Pastórem unum; ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastórem. *Ezech.* 34.

Ant. 8. g. Elégi eum ex ómnibus mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 6. F. Pones tiáram in cápite ejus, & sanctificábo eum ut sacerdótio fungátur mihi. *Exod.* 29.

Ant. 2. D. Juxta cor meum & ánimam meam fáciet, & ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

Ant. 3. c. Gestábit judícium filiórum Israel in pectore suo in conspectu Dómini semper. *Exod.* 28.

Capitulum. Hebr. 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret, sed qui locútus est ad eum: Tu es Sacerdos in ætérnum, secundùm órdinem Melchísedech.

[*In Duplicibus secundæ Classis & suprà*, ℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixisti: Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens dixit: Invéni virum secundùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. Ps. 88. Act. 13.]

Hymnus.

CHRISTE, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

ILLE non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.

STRENUUM bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

FIT gregis Pastor, pater atque forma.
Omnium curas levat & labóres;
Lætus impendit. sua seque, cunctis
Súfficit unus.

PRO reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit.
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

FAC, ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac, Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. E. Ipsum elégit Dóminus ab omni vivente, offerre sacrifícium Deo, incensum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi propria assignetur.

[*In Annualib.* AD COMPLETORIUM, *Ant.* 3. a. Ténebræ tuæ erunt sicut merídies; & réquiem tibi dabit Dóminus semper. *Is.* 58.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 7. G. Cùm vénerit Dóminus & pulsáverit, beáti servi quos invénerit vigilantes. *Luc.* 12].

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Epíscopum animárum nostrárum, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2.

Psalmus Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

CHRISTE, decréto Patris institútus,
Póntifex summo, tibi segregátos
Ponis, & formas pópulis regendis
Ipse minístros.

HUNC juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis coruscans,

Sumpsit invítus, trepidante dextrâ,
Pondus honóris.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille qui, summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.

FECERAT fervens amor inquiétum.
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus; mora non euntem
Ulla retardat.

DUX iter, vitâ præeunte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis,
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odóre.

LUX erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúsque
Omnia factus.

CHRISTE, Pastórum bonus ipse Pastor,
ui greges pascis próprio cruore,
: ut æternæ súbeant opíma
áscua vitæ.
Amen.

I I. NOCTURNO.

nt. 2. D. Vocávit eum *inus, & ait:* Vidi affli-ctiónem pópuli mei; & mittam te ut edúca pulum meum. *Exod.* 3

Ant. 1. G. Dixit ad um: Quis sum ego ut dam & edúcam filios rael? Qui dixit ei: I ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Vade in h fortitúdine tua, & libe bis Israel: scito quòd m serim te. *Jud.* 6.

℣. Beátus quem elegis & assumpsisti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Lectiónes de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Póntifex super cujus caput fusum est unctiónis óleum, * Non contaminábitur, ne pólluat sanctuárium Dómini. ℣. Oportet Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem. * Non. *Levit.* 21. *Tit.* 1.

℟. *ij.* Speculatórem dedi te dómui Israel: * Aúdiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. ℣. In mente habe quáliter accéperis & audíeris, & serva. * Aúdiens ergo. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. *iij.* Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocaustum, & † Deprecáre pro te & pro pópulo. ℣. Debet Póntifex quemádmodùm pro pópulo, ita étiam & pro semetipso offerre pro peccá

* Offer. Glória. † Deprecáre. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem, docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israel. *Eccli.* 45.

Ant. 5. a. In lege Dómini congregatiónem judicávit, & in fide sua probátus est Prophéta, & cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46.

Ant. 6. F. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, & legem exquisívit, & ábstulit omnem iníquum & malum. 1. *Mach.* 14.

℣. Invocábant Dóminum sacerdótes ejus; ℟. Ipse exaudiébat eos, & loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 10. *in Epist.* 1. *ad Tim.*

Lectio iv.

SI quis Episcopátum áppetit, non principátus ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis & caritátis affectu, non împrobo: bonum quippe desíderat opus. Quippe & Móyses eamdem rem appetivisse cognóscitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitúm que dominandi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audire refúgeret, cùm illi dicerétur: Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quòd omnes inspíciat, cúnctaque speculétur. Oportet ígitur Epíscopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profectò facit, eam rem áppetens, quâ indignum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios súscipit, tantâ decet glóriâ virtútis excéllere ut, instar solis, céteros, véluti stellárum ignículos, in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére immaculátam atque compósitam, ut omnes in illum & in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueantur.

℟. iv. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis; & dedi ei timórem, & tímuit me. * Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non est inventa in lábiis ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant: * Lex. *Malach.* 2. *Hebr.* 3.

Lectio v.

VIgilantem esse necesse est eum qui non tantùm suî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervígilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, & affectûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústriâ præcéllere; ut die noctúque exércitum & castra perlustret, labóret, & sui offícii munus diligentíssimè ímpleat, atque ómnium curam & sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, & hospitalitátis amatórem. Ista & in súbditis plerúmque vídeas. Verùm quóniam oportet eum & ea quæ sunt rectóris habére, idcircò subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: céterùm illi ante ómnia adesse debet, qui ejúsmodi suscépit offícium.

℞. v. Dedit pópulis legem, ne oblivisceréntur præcepta Dómini; &, ut non exerrárent méntibus, hortabátur * Ne legem amovérent à corde suo. ℣. Hic erat edoctus viam Dómini, & fervens Spíritu loquebátur. * Ne legem. 2. *Mach.* 2. *Act.* 18.

Lectio vj.

IDcircò nos elégit Deus, ut simus quasi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magistri ceterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus & púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro ingéntia lucra conquírant; ut sémina simus, ut fructum lætíssimũ afferámus. Non opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magistris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis esset, si ipsi, ut oportet, Christiáni esse curarémus; si Dei mónitis ac scitis obtemperarémus; si injúrias perpessi, vicem non referrémus; si maledictis lacessiti, benedicerémus; si pro malis bona redderémus. Nemo esset ita fera béllua, ut non statim ad cultum veræ religiónis accúrreret, si vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes essémus hujúsmodi, quot terrárum orbes & ipsi attráhere possémus?

℞. vj. In pace & in æquitáte ambulávit, & multos avertit ab iniquitáte. * Labia enim sacerdótis custo-

dicent sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus, quia † Angelus Dómini exercítuum est. ℣. Oportet Epíscopum amplecti eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrína sana. * Lábia. Glória. † Angelus. *Maluch.* 2. *Tit.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quæsívit bona genti suæ; & plácuit illis potestas ejus & glória ejus ómnibus diébus. 1. *Mach.* 14.

Ant. 4. A. In omni ópere dedit confessiónem Sancto & Excelso in verbo glóriæ. *Eccli.* 47.

Ant. 1. a. Inventus est perfectus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. *Eccli.* 44.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc. Homo péregrè proficiscens vocávit servos suos, & trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii verò unum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 9. *in Evangel.*

LEctio sancti Evangélii, fratres caríssimi, sollícitè considerare nos ádmonet, ne nos qui plus céteris in hoc mundo accepisse áliquid cérnimur ab auctóre mundi, grávius inde judicémur. Cùm enim augentur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tantò ergo esse humílior, atque ad serviendum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quantò se obligatiórem esse cónspicit in reddenda ratióne. Ecce homo qui péregrè profícíscitur, servos suos vocat, iisque ad negótium talenta pártitur. Post multum verò témporis positúrus cum eis ratiónem revértitur: benè operantes pro apportáto lucro remúnerat, servum verò à bono ópere torpentem damnat.

℟. *vij.* Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem; & * Super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque; * Super. *Is.* 21. *Act.* 20.

Lectio viij.

QUis ítaque iste homo est, qui péregrè pro-

ficíſcitur ; nisi Redemptor noſter qui ſervis ſuis bona ſua trádidit, quia fidélibus ſuis ſpirituália dona conceſſit ? Et uni quidem dedit quinque talenta, álii duo, álii verò commíſit unum.... Sed is qui quinque talenta accéperat, ália quinque lucrátus eſt.... Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abſcondit pecúniam Dómini ſui.

℞. viij. Omnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos : * Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar. ℣. Zelátus ſum bonum, & non confundar ; proptéreà bonam poſſidébo poſſeſſiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. Cor. 9. Eccli. 51.

Lectio ix.

TAlentum in terra abſcóndere eſt acceptum ingénium terrénis áctibus implicáre, lucrum ſpiritále non quærere ; cor à terrénis cogitatiónibus nunquam leváre. Servus qui gemináta talenta rétulit, à Dómino laudátur, atque ad æternam remunerationem intromíttitur. Piger verò ſervus per pœnam, in exterióres ténebras cadit, qui per culpam ſuam ſponte in interióres cécidit. Et illic coactus pátitur ténebras ultiónis, qui hìc libenter ſuſtínuit ténebras voluptátis. Sciendum verò eſt, quòd nullus piger ab hac talenti acceptióne ſecúrus eſt. Nullus namque eſt qui veráciter dicat : Talentum mínimè accépi, non eſt unde ratiónes pónere cogar. Talenti enim nómine cuílibet paúperi étiam hoc ipſum reputábitur, quod vel mínimum accépit.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. f.

SAcerdos magnus in vita ſua ſuffulſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50.

Ant. 2. D. Zelando zelum Dei, accépit teſtamentum ſacerdótii æterni. 1. *Mach.* 2.

Ant. 3. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 7. d. In aſcenſu.

Canticum. Eccli. 50.

SAcerdos magnus in aſcenſu altáris ſancti, * glóriam dedit ſanctitátis amictum.

In accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, * & ipſe ſtans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum, * quaſi plantátio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ ; * &

omnes filii Aaron in glória sua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, * coram omni synagóga Israel.

Et consummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excelsi Regis.

Porrexit manum suam in libatióne, * & libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundamento altáris odórem divínum * excelso príncipi.

Ant. In ascensu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amictum. *Eccli.* 50.

Ant. 6. F. Abstulit abominatiónes, & fecit omnes servíre Dómino Deo suo. 2. *Paral.* 34.

Capitulum. Eccli. 45.

FActum est illi in testamentum ætermum sicut dies cœli, fungi sacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum suum in nómine ejus.

Hymnus.

JEsu Sacerdótum decus,
In hac die quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: audiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.

Quam sentit errantem, jugis
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet frementes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequentem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

Supreme Christe Pontifex,
Jugis tibi sit glória:
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Véritas mea & misericórdia mea cum ipso;
℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

Ad Benedictus *Ant.* 5. C. Sacerdótes tui induantur salútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: memento misericordiárum servi tui. 2. *Paral.* 6.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, intercedente beáto *N.* Pontífice, Spíritum sapiéntiæ, quibus præesse dedisti Ecclésiæ

tuæ; ut de profectu sanctárum óvium fiant gaúdia ætérna Pastórum; Per... in unitáte ejusdem Spíritûs.

Alia Oratio.

EXaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti *N.* Pontíficis festivitáte deférimus; & ejus qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccátis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Antiph. 1. f. Sacerdos.

AD TERTIAM.

Antiph. 2. D. Zelando.

Capitulum. Hebr. 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assumptus, pro homínibus cónstitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis.

℟. *br.* Introíbo * Ad altáre Dei. ℣. Ad Deum qui lætíficat juventútem meã. * Ad. Glória Patri. ℟. Introíbo. *Ps.* 42.

℣. Altária tua, Dómine virtútum, ℟. Rex meus & Deus meus. *Ps.* 83.

AD SEXTAM.

Antiph. 3. a. De omni.

Capitulum. Eccli. 50.

MAnus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israel, dare glóriam Deo à lábiis suis, & in nómine ipsíus gloriári; & iterávit oratiónem suam, volens osténdere virtútem Dei.

℟. *br.* In sancto, Dómine, * Appárui tibi. ℣. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. * Appárui. Glória. ℟. In. *Ps.* 62.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

AD NONAM.

Antiph. 6. F. Abstulit.

Capitulum Eccli. 49.

IPse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. * In. Glória. ℟. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Deduxit eos in viam rectam, ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Ps.* 106.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 7. a.

DEdit illi Dóminus sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45.

Ant. 2. D. Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50.

Ant. 7. d. Sacrifícia ipsíus consumpta sunt igne quotídie. Eccli. 45.

Ant. 5. C. Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. *Eccli.* 50.

Ant. 8. g. Ad ejus eruditiónem omnis Israel sanctificabátur Dómino. 2. *Paralip.* 35.

Capitulum. Eccli. 45.

In bonitáte & alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo pro Israel: ídeo státuit illi testamentum pacis, príncipem sanctórum & gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum.

Hymnus, Jesu sacerdótum decus, *ut in Laudibus, pag.* xxxij.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Ps.* 20.

Ad Magníficat *Ant.* 1. D. Beatificávit illum Deus in glória, & induit eum stolam glóriæ, & coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45.

COMMUNE SS. DOCTORUM.

In primis Vesperis.

Antiphona, 5. a.

Melior est sapiéntia cunctis pretiosíssimis; & omne desiderábile ei non potest comparári. *Prov.* 8.

Ant. 4. D. Doctrix est disciplínæ Dei: prudéntiam docet, & justítiam & virtútem. *Sap.* 8.

Ant. 8. g. Beátus vir qui in sapiéntia morábitur, & in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. *Eccli.* 14.

Ant. 1. D. Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam: dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, & in ipsa laudábo eum. *Eccli.* 51.

Ant. 3. a. Quò introíbit sapiéntia, benedícet Deus: qui audit illam, judicábit gentes. *Eccli.* 4.

Capitulum. Sap. 7.

Deus ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor. In manu enim illíus & nos & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia & disciplína.

[*In Duplicibus secundæ Classis & suprà*, ℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profunda & abscóndita; & lux cum eo est. ℣. Spíritus ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. * Ipse. Glória. * Ipse. *Dan.* 2. *I. Cor.* 2].

Hymnus.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,

Vox æterna Patris Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súfficis!

Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fídei vírgineū decus.
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.

Infames ábolent rellíquias deûm,
Errores ábigunt, crímina dédocent;
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides.
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.

Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine;
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Sápiens in pópulo hæreditábit honorem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37.

Oratio ut infra ad Laudes, p. xlj. *nisi sit propria.*

[*In Annualibus*, ad Complet. *Ant.* 6. ç. Qui vigiláverit propter sapiéntiam, citò secúrus erit. *Sap.* 6.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 2. D. Oriétur in ténebris lux tua. *Is.* 58].

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Fontem sapiéntiæ Verbum Dei, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Jam nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Relígio, caput.
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.

Cum per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres;
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.

Quando sparsa lues úndique críminum;
Hi gliscens vítium prótinùs ámputant.
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant instábiles, & dúbios regunt;

Monstrant tuta procul líttora naúfragis.
Nobis, qui véhimur cæca per æquóra,
Lucent perpétuæ faces.
QUÆ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprime.
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non est multis manifesta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in Ecclésia; & verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21.

Ant. 2. D. Vir sápiens plebem suam érudit, & fructus sensûs illíus fidéles sunt. *Eccli.* 37.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam; ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Sápiens apériet os suum in oratióne: * Si enim Dóminus magnus volúerit; spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter: * Si enim. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

℟. *ij.* Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: ipse * Palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testamenti Dómini gloriábitur. ℣. Bonus minister Christi Jesu, enutrítus verbis fidei, & bonæ doctrínæ. * Palàm. *Eccli.* 39. 1. *Tim.* 4.

℟. *iij.* Omnis scriba doctus in regno cœlórum, * Símilis est hómini patrifamílias, qui † Profert de thesauro suo nova & vétera. ℣. In corde prudentis requiescit sapiéntia, & indoctos quosque erúdiet: * Símilis est. Glória. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Sciéntia sapientis tanquam inundátio abundábit, & consílium ejus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

Ant. 5. a. Beátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ. *Proverb.* 3.

Ant. 7. d. Qui moderátur sermónes suos, doctus & prudens est, & pretiósi spíritûs vir erudítus. *Prov.* 17.

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício; ℟. In ætérnum non commovébitur. *Ps.* 111.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum.

Ex libro 2. Cap. 10.

Lectio iv.

SAnctos & in sancta Ecclésia illustres Antístites Dei, non Platónicis & Aristotélicis & Zenónicis aliisque hujuscémodi, vel Græcis vel Latínis, quanquam & istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos, nominatìm sicut oportébat expressi: eorumque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine ulla éditas ambiguitáte digessi; ut in eis tímeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, & sancta templa construxit: qui tunc de ista causa judicavérunt, quando eos nemo potest dícere pérperam cuíquam vel adversári vel favére potuisse. Nullas nobiscum vel vobiscum amicítias attendérunt vel inimicítias exercuérunt; neque nobis neque vobis iráti sunt; neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia, tenuérunt: quod didicérunt, docuérunt: quod à pátribus accepérunt, hoc fíliis tradidérunt.

℟. iv. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, * Conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. ℣. Potens exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt argúere. * Conscripsit. *Eccli.* 12. *Tit.* 1.

Long. post præd. Lectio v.

ISti Epíscopi sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes inveníre quod spernas. Si episcopális synodus ex toto orbe congregarétur, mirum si tales possent illîc fácilè tot sedére. Quia nec isti unò témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per diversas ætátes témporum, locorúmque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quo navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

℟. v. Fuit gratus Deo, & erudítus omni sapiéntia, & erat potens in verbis & in opéribus suis. * Hic est

qui accépit verba vitæ dare nobis. ℣. Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit in códice; renovávit sapiéntiam de corde suo. * Hic est. *Act.* 7. *Eccli.* 50.

Lectio vj.

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si teneres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem; quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac & cibum parvis magnísque ministravérunt; quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit. Ideò profánas voces vestræ novitátis expávit; & cauta ac sóbria, ex admonitióne apostólica, ne sicut serpens Evam seduxit astútiâ suâ, sic & mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fidei virginitáte insídias vestri dógmatis surrepentis exhórruit, & tanquam caput cólubri, calcávit, obtrívit, abjécit.

℟. vj. Qui fécerit & docúerit, hic * Magnus vocábitur in regno cœlórum. ℣. Parávit cor suum ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret. * Magnus. Glória. * Magnus. *Matth.* 5. *I. Esdr.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivendum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea; & efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Inventi sunt sermónes tui, Dómine, & comédi eos; & factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. *de Serm. Domini in Monte. Cap.* 6.

OStendit Dóminus fátuos esse judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectantes, vel inópiam metuentes, amit-

tunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auferri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? id est, si vos, per quos condiendi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines, per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem aúferat ceterórum?

℟. *vij.* Super salútem & spéciem diléxi Sapiéntiam, & * Propósui pro luce habére illam: venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desursùm est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdiâ & frúctibus bonis. * Propósui. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

Lectio viij.

Ergò ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, & calcétur ab homínibus. Non itaque calcátur ab homínibus qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timendo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

℟. *viij.* Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. * Et divítias. Glória. * Et divítias. *Sap.* 7. *Philipp.* 3.

Lectio ix.

Vos estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ; sic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipienda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiendis & extinguendis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hîc mundum, non cœlum & terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

AD LAUDES.

Antiphona, 8. *Toni*, g. Dedit se ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, & aliórum librórum qui nobis à paréntibus nostris tráditi sunt. *Prolog. Eccli.*

Ant. 4. f. Vóluit & ipse scríbere áliquid eórum quæ ad doctrínam & sa-

piéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 7. d. Dedit illi Sapiéntia sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus. *Sap.* 10.

Ant. 1. a. Fuit máximus.

Capitulum. Eccli. 15.

Cibávit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, * & aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum.

Et firmábitur in illo, & non flectétur; * & continébit illum, & non confundétur.

Et exaltábit illum apud próximos suos, * & in médio ecclésiæ apériet os ejus.

Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ & intelléctûs, * & stolâ glóriæ véstiet illum.

Jucunditátem & exultatiónem thesaurizábit super illum, * & nómine ætérno hæreditábit illum.

Ant. Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, ut consequerétur hæreditátem Israel. *Eccli.* 46.

Ant. 2. D. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur. *Eccli.* 39.

Capitulum. Eccli. 51.

A Juventúte mea investigábam sapiéntiam; inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam; multam invéni in meipso sapiéntiam, & multùm proféci in ea.

Hymnus.

Vos succensa Deo splendida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

Per vos Relígio túta que Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus.
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesauros sapiéntiæ.

Vestris unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager, mundà nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus, qui tibi mílitant,
Hi sunt, qui stábiles ædíficant domos,
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.

Vicistis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites:
His pugnámus adhuc nec dúbio éxitu;
His armis quoque víncimus.

Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Deus, docuisti me à juventúte mea; ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Sapiéntia & fortitúdo Dómini sunt. Tibi, Deus, confíteor, teque laudo, quia sapiéntiam & fortitúdinem dedisti mihi. *Dan.* 2.

Oratio.

Excita, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* tuórum corda fidélium; ut sacris intenta doctrínis, & stúdeant amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per.

Alia Oratio.

Tua nos, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* véritas semper illúminet, & ab omni pravitáte defendat; Per.

AD PRIMAM.

Antiph. 8. g. Dedit.

AD TERTIAM.

Antiph. 4. f. Vóluit.

Capitulum. Eccli. 24.

Doctrínam quasi prophetíam effundam, & relinquam illam quæréntibus sapiéntiam; & non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. *br.* Os meum annuntiábit * Justítiam tuam, Dómine. ℣. Totâ die salutáre tuum. * Justítiam. Glória. ℟. Os meum annuntiábit. *Ps.* 70.

℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, ℟. Quia ómnia mandáta tua æquitas. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Antiph. 7. d. Dedit.

Capitulum. Eccli. 51.

Animam meam direxi ad sapiéntiam, & in agnitióne invéni eam: possédi cum ipsa cor ab inítio; propter hoc non derelinquar.

℟. *br.* Bonum mihi * Lex oris tui. ℣. Super míllia auri & argenti. * Lex. Glória. ℟. Bonum.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui; ℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Collaudábunt.

Capitulum. Eccli. 39.

Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

℟. *br.* Annuntiávi justítiam tuam * In ecclésia

magna. ℣. Veritátem tuam & salutáre tuum dixi. * In. Glória. ℟. Annuntiávi. *Psalm.* 39.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : ℟. Dico ego ópera mea regi. *Psal.* 44.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 2. D.

DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo. *Is.* 50.

Ant. 5. a. Doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, & enarrábo illam usque ad longinquum. *Eccli.* 24.

Ant. 3. c. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

Ant. 6. F. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritûs & virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 4. f. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifíxum. 1. *Cor.* 2.

Capitulum. Eccli. 14.

BEátus vir qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor, & in viis illíus consistens: protegétur sub tégmine illíus, & in glória ejus requiescet.

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in primis Vesperis, pag.* xxxiv.

℣. Ignítum elóquium tuum, Dómine; ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti : & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

COMMUNE SS. PRESBYTERORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 7. *d.*

LOcútus est Dóminus ad Móysen: Tribum Levi constítue super tabernáculum testimónii, & quidquid ad cæremónias pértinet. *Num.* 1.

Ant. 6. F. Cunctórum consecrábis manus, sanctificabísque illos, ut sacerdótio fungantur mihi. *Exod.* 28.

Ant. 1. a. Stabunt in conspectu meo, ut óffecrant mihi ádipem, & custódiant cæremónias meas. Ezech. 44.

Ant. 3. *a.* Tuli eos pro cunctis primogénitis Israel; ut sérviant mihi pro Israel in tabernáculo fœderis, & orent pro eis. *Num.* 8.

Ant. 5. a. Sancti erunt Deo suo, & non pólluent nomen ejus: incensum enim Dómini & panes Dei sui ófferunt. *Levit.* 21.

Capitulum. Hebr. 7.

Reprobátio fit præcedentis mandáti propter infirmitátem ejus & inutilitátem; nihil enim ad perfectum adduxit lex.

[*In Duplicib. II. Class. & suprà*, ℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in ætérnum secundùm órdinem Melchísedech. ℣. Non secundùm legem mandáti carnális factus. * Tu es. Glória. * Tu es. *Ps.* 109. *Hebr.* 7].

Hymnus.

Jam satis fluxit cruor hostiárum:
Prístinæ cessent holocausta legis.
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra ministri.

Elicit flammas Elías ab alto:
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo Deus altat aris,
Hóstia factus.

Pingue libámen, novus & Sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

Tale nil priscis pátribus tribútum:
Angelis nusquàm data par potestas.
Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.

Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris.
Cáritas aptos tua nos treméndis
Applicet aris.

Luminis splendor, Patris una proles
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Israel, non accípiam de domo tua vítulos; ℟. Immola Deo sacrificium laudis. *Ps.* 49.

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Ab ortu solis usque ad occásum, in omni loco sacrificátur & offertur nómini meo oblátio munda, dicit Dóminus. *Malach.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes, p. xlix. *nisi sit propria.*

[*In Annualib.* AD COM-

plet. *Ant.* 5. c. Lucerna pédibus meis verbum tuũ, Dómine. *Ps.* 118.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. C. Verbum tuum, Dómine, lumen sémitis meis. *Ps.* 118].

AD MATUTINUM.

Invitat. Sacerdótem in æternum Jesum Christum, *Veníte, adorémus. *Heb.* 5.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Jam satis fluxit, *ut in I. Vesperis*, *pag.* xliij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Sacerdótes qui accédunt ad Dóminum, sanctificentur. *Exod.* 19.

Ant. 1. a. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium ejus. *Levit.* 21.

Ant. 2. D. Discant bonis opéribus præesse, ut non sint infructuósi. *Tit.* 3.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; ℟. In sécula seculórum laudábunt te. *Ps.* 83.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi; & * Quos elégerit, appropinquábunt ei. ℣. Hi probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. *Quos. *Num.* 16. 1. *Tim.* 3.

℟. *ij.* Non erit eis hæréditas; * Ego hæréditas eórum: & possessiónem non dábitis eis in Israel; ego enim posséssio eórum. ℣. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. *Ego. *Ezech.* 44. *Joann.* 17.

℟. *iij.* Surrexit quasi ignis, * Et verbum ipsíus † Quasi fácula ardébat. ℣. Docébat diligenter ea quæ sunt Jesu. * Et. Glória. † Quasi. *Eccli.* 48. *Act.* 18.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Implestis manus vestras Dómino: accédite, & offerte víctimas & laudes in domo Dómini. 2. *Paral.* 29.

Ant. 8. g. Date Dómino glóriam: leváte sacrifícium, & veníte in conspectu ejus; & adoráte Dóminum in decóre sancto. 1. *Paral.* 16.

Ant. 4. f. Erit vobis hoc legítimum sempitérnum, ut orétis pro fíliis Israel, & pro cunctis peccátis eórum. *Levit.* 16.

℣. Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℟. Et speráte in Dómino. *Ps.* 4.

Lectio iv.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

7. *in Ev. ad Episcopos, in Fonte Lateranensi.*

DEbémus pensáre contínuò quod à Dómino sanctis dícitur Apóstolis, & per Apóstolos nobis: Vos estis sal terræ: Si

ergo sal sumus, condíre mentes fidélium debémus. Curáre namque Sacerdótem necesse est, quæ síngulis dicat, unumquemque quáliter admóneat: ut quisquis Sacerdóti júngitur, quasi è salis tactu ætern æ vitæ sapóre condiátur. Sal étenim terræ non sumus, si corda audiéntium non condímus. Quod profectò condiméntum ille próximo veráciter impendit, qui prædicatiónis verbum non súbtrahit.

℟. *iv*. Nolíte neglígere; * Vos elégit Dóminus ut stetis coram eo, & ministrétis illi. ℣. Superædificámini domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo. * Vos. 2. *Paral.* 29. 1. *Petr.* 2.

Lectio v.

SEd tunc verè áliis recta prædicámus, si dicta rebus & exemplis osténdimus; si nos ipsi divíno amóre compúngimur, & humánæ vitæ quæ sine culpa transíri nequáquam potest, quotidiánas lácrymis máculas lavámus. Nullum autem puto, fratres charíssimi, ab áliis majus præjudícium quàm à sacerdótibus tólerat Deus: quando eos, quos ad aliórum correctiónem pósuit, dare de se exempla pravitátis cernit: quando ipsi peccámus, qui compéscere peccáta debúimus: nulla animárum lucra quærimus, ad nostra quotídie stúdia vacámus, terréna concupíscimus, humánam glóriam intentâ mente captámus.

℟. *v*. Ministráte in sanctuário, & sanctificáti immoláte: * Fratres étiam vestros, ut possint juxta verba quæ locútus est Dóminus fácere, præparáte. ℣. Dignè Evangélio Christi conversámini, collaborantes fídei Evangélii. * Fratres. 2. *Par.* 35. *Phil.* 1.

Lectio vj.

ET quia eo ipso quo cæteris præláti sumus ad agenda quælibet majórem licéntiam habémus; suscéptæ benedictiónis ministérium vértimus ad ambitiónis argumentum: Dei causas relínquimus; ad terréna negótia vacámus: locum sanctitátis accípimus & terrénis áctibus implicámur. Implétum est in nobis profectò quod scriptum est: Et erit sicut pópulus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat à pópulo, quando nullo mérito vitæ suæ vulgi transcéndit actiónem.

℟. *vj*. Invocávit Dóminum omnipoténtem * In oblatióne Agni inviolári

℣. Debet pro pópulo & pro semetipso offerre pro peccátis * In oblatióne. Glória. * In oblatióne. *Eccli.* 46. *Hebr.* 5.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Secundùm eum qui vocávit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti sitis. 1. *Petr.* 1.

Ant. 8. g. Qui benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máximè qui labórant in verbo & doctrína. 1. *Tim.* 5.

Ant. 6. F. Qui benè ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu. 1. *Tim.* 3.

℣. Qui statis in domo Dómini, ℟. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta. *Ps.* 133.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Designávit Dóminus & álios septuaginta duos; & misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 17. *in Evang. n.* 3.

MIssis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Messis quidem multa; operárii autem pauci: rogá[te] Dóminum messis, [ut mit]tat operários in mes[sem suam.] Ad messem multam [operá]rii pauci sunt; qu[od sine] gravi mœróre loq[ui non] póssumus: quia, [etsi sunt] qui bona áudiant, [desunt] tamen qui dicant. [Ecce] mundus Sacerdóti[bus ple]nus est; sed tamen i[n messe] Dei rarus valdè in[venitur] operátor; quia o[fficium] quidem sacerdotále [susce]pimus, sed opus off[icii non] implémus. Sed pe[nsate,] fratres caríssimi, [quod] quod dícitur: Rog[ate Dó]minum messis ut [mittat] operários in messem [suam.] Vos pro nobis péti[te, ut] digna in vobis oper[ari va]leámus; ne ab exh[ortatió]ne lingua tórpeat; [ne post]quam prædicatióni[s locum] suscépimus, apud [justum] júdicem nostra nos [tacitur]nitas addícat.

℟. vij. Vos estis lu[x mun]di: * Sic lúceat lux [vestra] coram homínibus, [ut vi]deant ópera vestra [bona,] & gloríficent Patre[m ve]strum qui in cœlis [est.] ℣. Justórum sémita qu[asi lux] splendens procédit, [et cre]scit usque ad per[fectam] diem. * Sic lúceat. M[atth. 5.] *Prov.* 4.

Lectio viij.

SÆpè enim pro [ne]quítia, prædic[atóribus]

lingua restríngitur : sæpè verò ex subjectórum culpa ágitur, ut eis qui præsunt prædicatiónis sermo subtrahátur. Ex sua quippe nequítia prædicántium lingua restríngitur, sicut Psalmista ait : Peccatóri autem dixit Deus : Quare tu enarras justítias meas ? Et rursùm ex vítio subjectórum vox prædicántium subtráhitur, sicut ad Ezechiélem Dóminus dicit : Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans; quia domus exásperans est. Ac si apertè dicat : Idcircò tibi prædicatiónis sermo tóllitur, quia dum me in suis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri sermo subtrahátur, non fácilè cognóscitur ; quia verò Pastóris taciturnitas, aliquando sibi, semper autem subjectis, nóceat, certíssimè scitur.

℟. *viij*. Sitis sine reprehensióne in médio natiónis pravæ & perversæ ; * Inter quos † Lucétis sicut luminária in mundo. ℣. Dilígite lumen sapiéntiæ, omnes qui præestis pópulis. * Inter quos. Glória. † Lucétis sicut. *Philipp.* 2. *Sap.* 6.

Lectio ix. n. 8.

SEd quid nos (quod tamen sine dolóre dícere non possum) quid nos, ô Pastóres, ágimus, qui & mercédem conséquimur, & tamen operárii nequáquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclésiæ in stipéndio quotidiáno percípimus; sed tamen pro æterna Ecclésia mínimè in prædicatióne laborámus. Pensémus cujus damnatiónis sit, sine labóre hîc percípere mercédem labóris. Ecce in oblatióne fidélium vívimus; sed quid pro animábus fidélium laborámus ? Illa in stipéndium nostrum súmimus, quæ pro redimendis peccátis suis fidéles obtulérunt ; nec tamen contra peccáta éadem, vel oratiónis stúdio, vel prædicatiónis, ut dignum est, insudámus. Vix pro sua culpa quémpiam apertâ voce reprehéndimus. Et adhuc (quod grávius est) aliquando si persóna in hoc mundo potens sit, ejus fórsitan erráta laudámus, ne si adversétur, per iracúndiam munus súbtrahat, quod impendébat.

AD LAUDES.

Antiphona, 8. c.

O Homo Dei, sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. 1. Tim. 6.

Ant. 1. G. Noli neglígere grátiam quæ est in te, quæ data est tibi cum impositióne mánuum presbytérii. 1. *Tim.* 4.

Ant. 7. *d.* Nemo adolescéntiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidélium. 1. *Tim.* 4.

Ant. 5. a. Vigila.

Canticum. Malach. 2.

PActum meum fuit cum eo vitæ & pacis; * & dedi ei timórem, & tímuit me, & à facie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus, * & iníquitas non est inventa in lábiis ejus.

In pace & in æquitáte ambulávit mecum, * & multos avertit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; * quia Angelus Dómini exercítuum est.

Ant. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple: sóbrius esto. 2. *Tim.* 4.

Ant. 7. G. Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic facientem. *Matth.* 24.

Capitulum. 2. *Tim.* 3.

PErmane in iis quæ didicisti, & crédita sunt tibi, sciens à quo didíceris; & quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.

Hymnus.

O Sacerdótum veneranda jura!
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri claudunt, reserántque nobis
Atria cœli.

OMNE pendentes scelus in statéra,
Cùm reum solvunt, Deus ipse solvit:
Cùm ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

QUAM manus morbis ádhibent perítas!
Cùm secant, semper pia dextra cædit;
Cùm fovent, semper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri:
Nempè divínæ sacra verba legis
Mente recondunt.

IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab adverso, Domi-númque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

DUM Sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti,
Consonent

Consonent mores; populique fiat
Forma Sacerdos.
Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Voluntáriè sacrificábo tibi, ℟. Et confitébor nómini tuo, Dómine. *Ps.* 53.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Euge, serve bone & fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium Dómini tui. *Matth.* 25.

Oratio.

Domine Deus omnípotens, qui fámulum tuum N. ut Sacerdótio tibi fungerétur à pópulo segregasti; præsta, quæsumus, ut ejus exempla sectantes, regále Sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Præsta, quæsumus, miséricors Deus, ut beáti N. Sacerdótis tui précibus adjúti, hóstia sancta tibi consecrémur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. O homo Dei.

AD TERTIAM.

Ant. 1. G. Noli.

Capitulum. II. Tim. 1.

Admóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? ℣. Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo. * Pro ómnibus. Glória. ℟. Quid.

℣. Vota mea Dómino reddam, ℟. Coràm omni pópulo ejus. *Ps.* 115.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Nemo.

Capitulum. Tit. 2.

In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte: verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. *br.* Dómine, dilexi * Decórem domûs tuæ; ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. * Decórem domûs tuæ. Glória. ℟. Dómine.

℣. Ego in innocéntia mea ingressus sum: ℟. Rédime me, & miserére meî. *Ps.* 25.

AD NONAM.

Ant. 7. G. Beátus.

Capitulum. I. Tim. 4.

Exerce teipsum ad pietátem: nam corporális

exercitátio ad módicum útilis est; píetas autem ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ quæ nunc est, & futúræ.

℟. br. Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. * Benedictiónem. Glória. ℟. Hic. Ps. 23.

℣. Beátus quem elegisti & assumpsisti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. Ps. 64.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 8. G.

NAtus est homo firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum pópuli. *Eccli.* 49.

Ant. 2. D. De omni corde suo laudávit Dóminum; & dilexit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 5. a. Operátus est bonum & rectum, & verum coràm Dómino Deo suo in universa cultúra ministérii domûs Dómini; & prosperátus est. *II. Paral.* 31.

Ant. 1. D. Obtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

Ant. 7. d. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, & legem exquisivit, & ábstulit omnem iníquum & malum: sancta glorificávit. *I. Mach.* 14.

Capitulum. Eccli. 50.

COnsummatióne fungens in ara, amplificáre oblatiónem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ: effúdit in fundamento altáris odórem divínum excelso Príncipi.

Hymnus, O Sacerdótum, *ut in Laudibus*, *pag.* xlviij.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui. ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. F. In lege Dómini congregatiónem judicávit, & cógnitus est in verbis suis fidélis; & invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne agni invioláti. *Eccli.* 46.



COMMUNE SS. ABBATUM, Monachorum, Cœnobitarum & Anachoretarum.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 1. D.

DOminus ponet desértum Sion quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. *Is.* 51.

Ant. 3. a. Gaúdium & lætítia inveniétur in solitúdine, gratiárum áctio & vox laudis. *Is.* 51.

Ant. 8. g. In cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci; & erit ibi sémita & via, & Via sancta vocábitur. *Is.* 35.

Ant. 5. a. Exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium: gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans. *Is.* 35.

Ant. 1. a. Erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempiternum. *Is.* 32.

Capitulum. II. Cor. 6.

EXíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in filios.

[*In Duplicibus secundæ Classis & suprà*, ℟. Suscéptor meus es tu, Dómine, & in verbum tuum supersperávi; * Declináte à me, maligni, & † Scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magister, sequar te quocumque íeris. * Declináte. Glória. † Scrutábor. *Ps.* 118. *Matth.* 8].

Hymnus.

FELICES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
UT te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.
NUDI, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
ÆTERNAS ut opes cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra:

Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
Illis summa fuit glória déspici;
Illis divítiæ paupériem pati;
Illis summa voluptas
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictâ,
Immortália quærere.
Æternus sit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio.
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Potens in terra erit semen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat *Ant.* 3. E. Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrábo tibi; faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi. *Gen.* 12.

Si non sit Abbas, ℣. Pinguéscent speciósa deserti; ℟. Et exultatióne colles accingentur. *Ps.* 64.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. c. Habitábit in solitúdine judícium; & sedébit pópulus meus in pulcritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Is.* 32.

Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi propria assignetur.

[*In Annual. ad* Complet. *Ant.* 4. c. Qui hábitant in deserto, securi dórmient. *Ezech.* 34.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 2. A. Ponam in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34].

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum qui ductus est in desertum à Spíritu, *Veníte, adorémus. *Mat.* 4.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Felíces nemorum, *ut in I. Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Dixit illi Dóminus: Séquere me; &, relíctis ómnibus, secútus est eum. *Luc.* 5.

Ant. 7. *d.* Fugiébat consórtia hóminum, & adorábat Dóminum Deum Israel. *Tob.* 1.

Ant. 8. c. Abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. *Jonæ*, 3.

℣. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus, ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Lect. de Script. occurrente.

℟. *j.* Fúgite de médio Babylónis, & salvet unusquísque ánimam suam, * Quóniam tempus ultiónis est à Dómino. ℣. Exíte de illa, pópule meus, ut

ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Quóniã. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

℟. *ij.* Fide in cásulis habitando cum cohærédibus repromissiónis ejusdem, * Expectábat fundamenta habentem civitátem cujus ártifex & cónditor Deus. ℣. Secésserat in desertum locum, ibíque inter feras vitam cum suis agébat. * Expectábat. *Hebr.* 11. *II. Mach.* 5.

℟. *iij.* Opéruit cilício carnem suam: * Jejunávit & dormívit in sacco, & ambulávit demisso cápite. ℣. In vigíliis multis, in fame & siti, in frígore & nuditáte.*Jejunávit. Glória. * Jejunávit. *II. Reg.* 21. *II. Cor.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te. *Matth.* 19.

Ant. 8. g. Esurímus & sitímus, & nudi sumus, & laborámus operantes mánibus nostris. *I. Cor.* 4.

Ant. 7. b. Non defícimus: sed licèt is qui foris est noster homo, corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. *II. Cor.* 4.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30.

Sermo sancti Paulíni Epíscopi.

Epist. 24. *ad Sulpit. Sever. aliàs II.* §. 5. 6.

Lectio iv.

BOna quæ nobiscũ non intulerámus in hunc mundum, nec poterámus efferre, quasi mutuáta reddídimus; nec ut cutem à carne distráximus, sed ut vestem à córpore deposúimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependámus Deo: hoc est, cor & ánimam, & córpora nostra exhibentes in hóstiam vivam, ut scriptum est, Dómino; nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lápide angulári, qui nobis sanctificatiónis nostræ fórmulam in semetipso dedit, & ait: Sancti estóte, quóniam ego sanctus sum. Quæ ígitur nobis grátia, si in aliéno tantùm fidéles fuérimus? nisi de próprio serviámus, id est, de líbero voluntátis arbítrio, ex toto corde nostro, ex totis ánimæ nostræ, ut scriptum est, víribus diligentes Deum.

℟. *iv.* Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes: * Non enim habémus hîc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coràm te, Deus: dies nostri quasi um

bra super terram. * Non. *Hebr.* 13. *I. Paral.* 29.

§. 7. *Lectio v.*

QUámobrem temporálium, quæ in hoc sǽculo habentur, bonórum relíctio, sive distráctio, non decursus stádii, sed ingressus; nec ut meta, sed ut jánua est. Non enim athléta tum vincit, cùm exúitur; qui ídeò nudátur ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit coronandus. Et natátor amnem interpósitum superatúrus, exúitur, nec tamen hoc tanto apparátu quòd se despoliáverit, transnatábit, nisi totíus córporis nisu torrentis ímpetum scindat, & labórem natatiónis exhaúriat. Vídeo & in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusisse; cùm illum lego, posteáquàm torrente transmisso, præmissis curárum suárum onéribus, id est, facultátum & necessitúdinum impedimentis, solus in tabernáculi loco remánserat, Deo colluctátum.

℟. *v.* Non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm Spíritum; quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo: * Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. ℣. Excelsus Deus, & hábitans cum contríto & húmili spíritu. * Qui autem. *Rom.* 8. *Is.* 57.

Lectio vj.

ITaque ad corripiendum vitæ viam, capiendúmque Dei verbum, & prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim pátitur, & à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non póssumus, nisi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, si in itínere istíus sǽculi nobis adhæreant, impédiunt & retardant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, & inde per totam hujus sǽculi noctem apprehéndere & tenére Christum sollícitâ spirituálium óperum ac studiórum contentióne luctémur: nec divellámur à caritáte Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescente, infirmábitur virtus carnis, & spirituális grátia convaléscet.

℟. *vj.* Benedíctus Deus, qui * Elégit nos ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. ℣. Dóminus noster pépigit nobiscum fœdus. * Elégit. Glória. * Elégit. Ephes. 1. Deut. 5.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 1. a. Plorábant & jejunábant & orábant in conspectu Dómini. *Bar.* 1.

Ant. 6. F. Multitúdinis erat cor unum & ánima una; nec quisquam áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Ps.* 132.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Respondens Petrus, dixit Jesu: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. cap. 19.

GRandis fidúcia. Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu & arte quærébat; & tamen lóquitur confidenter: Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantùm relínquere, jungit (quod perfectum est): Et secúti sumus te: fécimus quod jussisti; quid ígitur nobis dabis præmii?

℟. *vij.* Sapiéntia direxit ópera eórum: * Iter fecérunt per deserta quæ non habitabantur; & in locis desertis fixérunt casas. ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudínibus errantes & in cavernis terræ. *Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

Lectio viij.

JEsus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratione, cùm séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. Non dixit: Qui reliquistis ómnia; hoc enim & Crates fecit philósophus, & multi álii divítias contempsérunt; sed: Qui secúti estis me (quod própriè Apostolórum est, atque credéntium) in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, quando & mórtui de corruptióne resurgent incorrupti, sedébitis & vos in sóliis judicántium, condemnantes duódecim tribus Israel; quia, vobis credéntibus, illi crédere noluérunt.

℟. *viij.* Dedisti eis, Dómine, judícia recta & legem veritátis; & spíritum tuum bonum dedisti qui

docéret eos: * Pavisti eos in deserto, nihilque eis défuit. ℣. Erant perseverantes in doctrína, & communicatióne fractiónis panis & oratiónibus. * Pavisti. Glória. * Pavisti eos. *II. Esdr. 9. Act. 2.*

Lectio ix.

ET omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium; veni enim separáre hóminem à patre suo, & matrem à fília, & nurum à socru; &: Inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, & prædicatiónem Evangélii, omnes affectus contémpserint, atque divítias & séculi voluptátes; isti céntuplum recípient, & vitam ætérnam possidébunt.

AD LAUDES.

Antiphona, 8. c.

DEus dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & tunc éxiit. *Act.* 7.

Ant. 1. a. Majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum impropérium Christi, fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11.

Ant. 6. F. Flétibus & luctui apta induménta suscépit, cínere implévit caput, & corpus suum humiliávit jejúniis. *Esth.* 14.

Ant. 5. a. Nocte.

Canticum. Thren. 3.

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea; * proptéreà expectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua.

Sedébit solitárius, & tacébit; * quia levávit super se.

Ant. Nocte & ante lucem egrediebátur ad oratiónem, & deprecabátur Dóminum. *Judith.* 12.

Ant. 2. A. In loco solitúdinis Dóminus dócuit eum, & custodívit quasi pupíllam óculi sui. *Deut.* 32.

Capitulum. Hebr. 12.

OMnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris: pósteà autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

Pro Sancto Abbate, Monacho & Cœnobita.

Hymnus.

O Pulchras ácies, cáſtraque fórtia,
Quæ ſpes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege ſub una,
Uno ſub duce militant.
Heu! quantis rápiunt aſtra labóribus!
Pulſant perpétuis quéſtibus æthera.
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.
Votis unánimes, vi quoque flétuum
Inſtant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo ſimul ínferunt.
Hæc vis grata Deo: ſic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reſerátur
Cœlum conditiónibus.
Fervent quando die cuncta tumúltibus,
Altum turba ſilet: cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa ſiléntia.
Exercet vígiles contínuus labor;
Incumbunt óperi non résides manus.
Tellus culta colónis
Victum ſuppéditat ſuis.
Quin regína ſui mens quoque súbditur
Rectoriſque ſtudet nútibus óbſequi:
Nil ſervat ſibi juris,
Capto libérior jugo.
Æternus ſit honor ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio.
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.

Pro ſancto Anachoreta & Solitario,

Hymnus.

Quid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? Quid tu vides,
Solúſque tecum cógitas?
Mentis volátu líbero
Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
Præsens choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo número,
Totus colendo tu vacas.
Quam pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.
Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si ſit Abbas, ℣. Veníte, fílii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. Pſ. 33.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum & in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. *Is.* 8.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti *N.* Abbátis commendet; ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur; Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Abbátis *N.* intercessiónibus sublevári; ut per quem servis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donasti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impendas; Per Dóminum.

Si non sit Abbas, ℣. Cogitávi dies antíquos; ℟. Et annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76.

Ad Benedictus *Ant.* 4. E. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Galat.* 6.

Oratio.

DEus, qui nos ádmones exemplo beáti *N.* temporália despícere & ad ætérna festináre; da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis intercedénte, impléze valeámus; Per.

Alia Oratio,

DEus, qui nos ánnuâ beáti *N.* festivitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur; Per Dóminum.

A D P R I M A M.

Ant. 8. c. Deus.

A D T E R T I A M.

Ant. 1. 2. Majóres.

Capitulum. Baruch, 4.

EXui me stolâ pacis, índui autem me sacco obsecratiónis, & clamábo ad Altíssimum in diébus meis.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum,* Ego custodívi vias duras. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis.* Ego. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 16.

℣. Induébar cilício; ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

A D S E X T A M.

Ant. 6. F. Flétibus.

Capitulum. Is. 26.

NOmen tuum & memoriále tuum, Dómine, in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

℟. *br.* Clamávi ad te, Dómine; * Dixi: Tu es spes mea. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium.* Dixi. Glória. ℟. Clamávi. *Ps.* 141.

℣. In umbra alárum tuárum sperábo, Dómine, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 54.

AD NONAM.

Ant. 2. A. In loco.

Capitulum. Deut. 7.

DOminus Deus ipse est fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, & his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

℟. *br.* A judíciis tuis * Non declinávi. ℣. Quia tu legem posuisti mihi. * Non. Glória. ℟. A judíciis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucurri, ℟. Cùm dilatasti cor meum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphona. 5. a.

IN voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino. *Jon.* 2.

Ant. 4. D. Pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre, & deprecári in jejúniis, sacco & cínere. *Daniel.* 9.

Ant. 8. g. Quæ retrò sunt oblivíscens, pérsequor ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. *Philipp.* 3.

Ant. 1. D. Curro, non quasi in incertum; pugno, non quasi áerem vérberans: sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo, ne réprobus effíciar. *I. Cor.* 9.

Ant. 6. F. Spem habens in Deum, stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum. *Act.* 24.

Capitulum. I. Cor. 9.

OMnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant; nos autem incorruptam.

Hymnus, Felíces némorum, *ut in primis Vesperis, pag.* lj.

Si sit Abbas, ℣. Justus ut palma florébit: ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat *Ant.* 1. J. Circa illum coróna fratrum: quasi plantário cedri in Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ. *Eccli.* 50.

Si non sit Abbas, ℣. Abscondit me in tabernáculo suo; ℟. In die malórum protexit me. *Ps.* 26.

Ad Magníficat *Ant.* 7. d. Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. *Matth.* 19.

COMMUNÉ JUSTORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 7. a.

TEnébit justus viam suam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17.

Ant. 2. D. Fortitúdo símplicis via Dómini, justus in ætemum non commovébitur. *Prov.* 10.

Ant. 6. c. Cor suum tradet ad vigilandum dilúculò ad Dóminum qui fecit illum. *Eccli.* 39.

Ant. 8. c. Quasi virens fólium germinábit; fructus justi, lignum vitæ. *Prov.* 11.

Ant. 3. a. Timenti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1.

Capitulum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabúntur corda vestra.

[*In Duplicibus secundæ Classis & suprà*, ℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: * Et † Qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. ℣. Qui servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est. * Et. Glória. † Qui díligunt. *Eccli.* 2. *I. Joann.* 2].

Hymnus.

SUMMI pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

EN regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

ANGUSTA pœniténtiæ
Ingressus, & viam Crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

CARNEM terit jejúniis,
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

SAPORE verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil,
Mens celsâ versátur polo.

HAC surgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. In nómine tuo exultábunt justi, Dómine; ℟.

Et in justítia tua exaltabuntur. *Psalm.* 88.

Ad Magníficat *Ant.* 8. g. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam suprà petram. *Matth.* 7.

Oratio ut infrà ad Laudes.

[*In Annual.* Ad Complet. *Ant.* 2. A. Vigiláte, & estóte paráti; quia quâ nescítis horâ Fílius hóminis ventúrus est. *Matth.* 24.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. *If.* 64.].

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145. *Psalmus*, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Non parta solo sánguine
Ornat Beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sentit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi,
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides;
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apertis ómnibus
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Qui habet mandáta mea, & servat ea, ille est qui díligit me. *Joann.* 14.

Ant. 8. g. Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum. *Joann.* 14.

Ant. 4. A. Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam ætérnam. *Joann.* 5.

℣. Universæ viæ Dómini misericórdia & véritas, ℟. Requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus. *Ps.* 24.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Inítium viæ bonæ

fácere justítiam : * Misericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas; & in timóre Dómini declinátur à malo. ℣. Qui vult vitam dilígere & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. * Misericórdiâ. *Prov.* 16. *I. Petr.* 3.

℟. *ij.* Nihil mélius est quàm timor Dei, & nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. * Glória magna est sequi Dóminum. ℣. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ. * Glória magna est. *Eccli.* 23. *Joann.* 8.

℟. *iij.* Qui ámbulat in justítiis, & lóquitur veritátem, & claudit óculos suos ne vídeat malum; * Iste in excelsis habitábit: † Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. ℣. Qui perspéxerit in legem perféctam libertátis, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. * Iste. Glória. † Regem. *Is.* 33. *Jac.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem, current & non laborábunt, ambulábunt & non defícient. *Is.* 40.

Ant. 2. D. Turris fortíssima nomen Dómini; ad ipsum currit justus, & exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 5. a. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat, & in hora velóci procéssus illíus fructíficat. *Eccli.* 11.

℣. Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, ℟. Quóniam tu benedíces justo. *Ps.* 5.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. *Cap.* 16. *Lectio iv.*

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, fallácia demonstráre. Hæc nimírùm prudéntia usu à juvénibus scitur, hæc à púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt; hanc qui nésciunt, subjecti & tímidi in áliis mirantur: quia ab eis hæc eádem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas, urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs réddere; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest,

quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. *iv.* In fraude circumveniéntium áffuit illi, & honestum fecit illum. * Custodívit illum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Custodívit. *Sap.* 10. *II. Petr.* 2.

Lectio v.

At contrà, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur: & quidquid in ópere véritas appróbat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere; nil cállidâ machinatióne simuláre; nullas injúriis contumélias réddere; pro maledicéntibus oráre; paupertátem quærere; possessa relínquere; rapienti non resístere; percutienti maxillam álteram præbére?

℟. *v.* Oculus Dei respexit illum in bono, & * Erexit eum ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus. ℣. Omnis qui se humíliat, exaltábitur. * Erexit. *Eccli.* 11. *Luc.* 18.

Post pauca. Cap. 16. & 17.

Lectio vj.

Quæ nimírùm justi simplícitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinùs subinfertur: Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit ut electus quisque, qui ad ætemam felicitátem dúcitur, contínuâ hìc adversitáte deprimátur; non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat: à cunctis verò despicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indignus æstimátur: sed tamen ante occulti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat; honorári métuit, déspici non réfugit; corpus continéntiâ áfficit, solâ in ánimo dilectióne pinguescit; men-

tem semper ad patiéntiam præparat, & erectus pro justítia de perceptis contumélìis exultat; afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur; sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; & inquísitus, quódlibet éloqui dupliciter, ignórat.

℟. vj. Ambulávit in conspectu tuo in veritate & justítia & recto corde tecum; * Custodísti ei, Dómine, misericórdiam tuam grandem. ℣. Ecce verè Israelíta in quo dolus non est. * Custodísti. Glória. * Custodísti. *III. Reg.* 3. *Joann.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Vetus homo noster crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. *Rom.* 6.

Ant. 4. F. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei; si autem filii, & hærédes. *Rom.* 8.

Ant. 8. C. Ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum expectantes, redemptiónem córporis nostri. *Rom.* 8.

℣. Anima nostra sústinet Dóminum; ℟. Quia in eo lætábitur cor nostrum. *Ps.* 32.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Hom. 13.

Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minùs est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insudáre, prótinùs ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippè ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur, & lumbos restríngere, & lucernas tenére; ut & mundítia sit castitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam

potest, si aut is qui bona agit, adhuc lúxuriæ inquinamenta non déserit; aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exercet.

℟. vij. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, & * Mandáta ejus grávia non sunt. ℣. Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus. * Mandáta. *I. Joann.* 5. *Ps.* 33.

Lectio viij.

NEc cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed & si utrumque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supernam pátriam tendat, & nequáquam se à vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat. Qui etsi quædam bona aliquandò pro honestáte ínchoat; in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præsentis mundi glóriam quærere; sed totam spem in redemptóris sui adventum constítuat. Unde & prótinùs súbditur: Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum quando revertátur à núptiis. Ad núptias quippe Dóminus ábiit; quia resurgens à mórtuis, ascendens in cœlum, supernam sibi Angelórum multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifestátur.

℟. viij. Nostra conversátio in cœlis est, unde salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui * Reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Fílii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. * Reformábit. Glória. * Reformábit. *Philipp.* 3. *Tob.* 2.

Lectio ix.

BEne autem de servis expectántibus súbditur: Ut cùm vénerit & pulsáverit, confestìm apériant ei. Venit Dóminus, cùm ad judícium próperat: pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias mortem vicínam esse desígnat. Cui confestìm aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsanti non vult, qui exíre de córpore trepídat; & vidére eum quem contempsisse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe & operatióne secúrus est, pulsanti confestim áperit, quia lætus júdicem sustinet; &

cùm tempus propinquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilaréscit.

AD LAUDES.

Antiphona, 4. f.

ERat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum & recédens à malo. *Job.* 1.

Ant. 7. d. Conservávit legem Excelsi, & in tentatióne inventus est fidélis. *Eccli.* 44.

Ant. 5. a. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

Ant. 2. d. Erat.

Canticum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * & illuminabuntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; * & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est.

Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelictus est? * aut quis invocávit eum, & despexit illum?

Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * & protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

Ant. Erat religiósus ac timens Deum, fáciens eleemósynas multas plebi, & déprecans Deum semper. *Act.* 10.

Ant. 1. a. Non prætériit de universis mandátis, nec unum quidem verbum quod júsferat Dóminus. *Josue.* 11.

Capitulum. Eccli. 31.

ERit illi glória æterna, qui pótuit tránsgredi, & non est transgressus; fácere mala, & non fecit.

Hymnus.

QUI te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

QUID ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.

HINC fervet in dies amor,
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

VIX iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et pax utríque, Spíritus;

Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo : ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Propter Christum ómnia detrimentum feci, ad cognoscendum illum; si quo modo occurram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. *Philipp.* 3.

Oratio.

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti *N.* festivitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus sublevémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

PRæsta, quæsumus, miséricors Deus; ut quam fidélis servus tuus *N.* accépit à te justo júdice corónam, eamdem & nos, ejus intercessióne, post consummátum ritè cursum recípere mereámur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 4. f. Erat.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Conservávit.

Capitulum. Job. 23.

VIam Dei custodívi & non declinávi ex ea; à mandátis labiórum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.

℟. *breve.* In via testimoniórum tuórum, Dómine, * Delectátus sum. ℣. Sicut in ómnibus divítiis. * Delectátus. Glória. ℟. In via.

℣. A mandátis tuis intellexi; ℟. Proptéreà odívi omnem viam iniquitátis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Custodívit.

Capitulum. Eccli. 33.

SApiens non odit mandáta & justítias, & non illidétur quasi in procella navis : homo sensátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. *breve.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui. Glória. ℟. Beátus. *Psal.* 111.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Non prætériit.

Capitulum. Eccli. 51.

AMbulávit pes meus iter rectum, zelátus sum bonum, & non confundar.

℟. *breve.* Confitébor tibi, Dómine, * In directióne cordis. ℣. In eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ. * In. Glória. ℟. Confitébor.

℣. Servávi mandáta tua

& testimónia tua, ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Antiphona, 6. F.

ANte Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum; & ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

Ant. 3. a. Semper quasi tumentes super me fluctus, tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. *Job.* 31.

Ant. 5. C. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Ant. 7. ç. Tu fecisti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam. 3. *Reg.* 3.

Ant. 1. G. Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo. *Psal.* 34.

Capitulum. Gal. 6.

QUæ semináverit homo, hæc & metet: quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætemam.

Hymnus, Summi, *ut in I. Vesperis.* p. lx.

℣. In memória æterna erit justus; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Ad Magnificat *Ant.* 5. C. Dilectus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum, & ostendit illi glóriam suam. *Eccli.* 45.

COMMUNE VIRGINUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 8. g.

QUid bonum Dómini est, & quid pulcrum ejus? nisi frumentum electórum & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 6. F. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum. *Is.* 56.

Ant. 1. f. Dabo eis nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen sempitemum dabo eis. *Is.* 56.

Ant. 4. d. Ultrà mori non póterunt; æquáles enim Angelis sunt, & fílii sunt Dei, cùm sint fílii resurrectiónis. *Luc.* 20.

Ant. 7. d. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Matth.* 19.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

UNusquisque próprium donum habet ex Deo;

álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis & víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

[*In Duplicibus II. Classis & suprà* ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam. * Oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: & concupíscet Rex decórem tuum; † Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis. * Oblivíscere. Glória. † Quóniam. *Ps.* 44. *Joann.* 3].

Si sit Martyr,
Hymnus.

FESTIS læta sonent sídera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem.
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præcláræ sítiens necis.

SIC quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus; quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidem.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. *I. Cor.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr,
Hymnus.

VOS ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum Virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite laúdibus.

HÆC est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima, cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

SOLO digna Deo conjuge, réspuit

Mortáles thálamos: ut semel óbligat
Sese fida suo, quem benè déperit,
Ultrò se Deus óbligat.

PURUM ne máculent pectus imágines,
In se, tota sui córporis ímmemor
Mens, sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat aúribus.

ÆGRO vix sua sunt pábula córpori:
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit;
Unus sit Deus ómnia.

FAC, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur, viâ.
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.

DA te, summe Pater, tóllere laúdibus;
Da te, Christe, sequi, laúrea Vírginum.
Fac, incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Afferentur Regi Vírgines, ℟. In lætítia & exultatióne. *Ps.* 44.

Ad Magnificat *Ant.* 3. a. Córpora vestra membra sunt Christi: membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est. *I. Cor.* 6.

Oratio, infrà ad Laudes.

[*In Annualib.* AD COMPLET. *Ant.* 2. A. Ego dórmio, & cor meum vígilat. *Cant.* 5.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. Quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? *Ps.* 38].

AD MATUTINUM.

Invit. Agnum quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Psalmus, Venite, *pag.* 2.

Si sit Martyr,
Hymnus.

VIRGINUM robur Deus, atque custos,
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

PRO tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô tuórum,
Christe, dolórum.

NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem:
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.

SPONSA dilecto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:

uus truncis honor,
& venustas
sua membris.
MA laus Patri, ge-
nitóque Verbo,
i compar, utriusque
Nexus.
tibi semper placeá-
mus uni
ribus æquis.
Amen.

non sit Martyr,

Hymnus.

ÆLESTIS aula pán-
ditur;
onsus: omnes óbviæ
Sponso Vírgini,
, sponsæ Vírgines.
ÆC nuptiális est dies,
, longa post suspíria,
ómnibus, dat síngulis
pléniùs frui Deo.
Æ casta vobis gaúdia,
affler ignes, dícite;
re cujus púrior
ens voluptas éffluit.
UNC propter unum
víluit
rba regum púrpura.
ta quæ sponso Deo,
l Virgo terris ámbiat?
Virginales núptiæ,
quas caro fit spíritus!
lce vinclum, júngitur
mens Deo, menti
Deus!
laus Patri, laus Fílio;
ar tibi, laus Spíritus,
na qui perénnibus
as sigillis fœdera.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum Regem. *Prov.* 22.

Ant. 7. d. Omnis ponderátio non est digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26.

Ant. 3. a. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. *Matth.* 5.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! *Immortális est enim memória illíus; quóniam & apud Deum nota est, & apud hómines. ℣. Reddet Deus iis qui incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. *Immortális. *Sap.* 4. *Rom.* 2.

℟. *ij.* Dábitur illi fídei donum electum, & sors in templo Dei acceptíssima; *Bonórum enim labórum gloriósus est fructus. ℣. Fructus Spíritûs est cáritas, fides, modéstia, continéntia, cástitas. *Bonórum. *Sap.* 3. *Galat.* 5.

℟. *iij.* Felix est incoinquináta; *Habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. ℣. Virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. *Habébit. Glória

ria. * Habébit. *Sapient.* 3. *I. Cor.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te míserans. *Jerem.* 31.

Ant. 4. f. Veni de Líbano, sponsa mea: veni, coronáberis. *Cant.* 4.

Ant. 7. d. Sponsábo te mihi in fide; & scies quia ego Dóminus. *Os.* 2.

℣. Conféssio & pulchritúdo in conspectu Dei; ℟. Sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

[*Si sit Martyr, Lectiones de S. Ambr.* Quóniam. Hæc nubes...Quis ígitur... *ut infra*].

Ex libro S. Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de disciplína & hábitu Vírginum.

Paulò post initium.

Lectio iv.

NUnc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptum; Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tanto plus gaúdium matris augescit.

℟. *iv.* Sponsábo te mihi in sempitérnum: * Et sponsábo te in misericórdia & in miseratiónibus. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem: * Et. *Os.* 2. *I. Tim.* 6.

Lectio v.

AD has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte: non quòd extrémi & mínimi, & humilitátis nostræ ádmodum cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque enim inánis hæc caútio est, & vana formído quæ ad salútis viam cónsulit, quæ domínica & vitália præcepta custódit; ut, quæ se Christo dicáverint, & à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinatũ: nec ornári jam, aut placére cuíquam nisi Dómino suo stúdeant, à quo & mercédem virginitátis expectant, dicente ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illis quibus datum est.

℟. v. Scient quia ego diléxi te : * Tene quod habes, ut nemo accipiat corónam tuam. ℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo, & profecisti in regnum ; quia perfécta eras in decóre meo : * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* 16.

Léctio vj.

PEr hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt qui cum muliéribus se non coinquinavérunt ; vírgines enim permansérunt. Hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque íerit. Quòd si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas destinátur ; quid est illis cum terréno cultu & cum ornamentis? quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offendunt.

℟. vj. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchiũ tuum ; * Quia † Fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque instántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei ; * Quia. Glória. † Fortis est. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea ; ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

Ant. 4. a. Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jer.* 3.

Ant. 2. A. Anima mea liquefacta est, ut diléctus meus locútus est. *Cant.* 5.

℣. Cor meum & caro mea, ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Léctio vij. Cap. 25.

IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus quæ, accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 12.

OMnes lámpades habent, sed omnes óleũ non habent ; quia plerumquè bona in se ópera cum eléctis & réprobi ostendunt : sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta electórum ecclésia dícitur : Omnis glória ejus, fíliæ Regis, ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes & dormiérunt ; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, elécti & réprobi in mortis somno sopiuntur.

℟. vij. Quàm bonus Iſ-

rael Deus, his qui recto sunt corde! * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. *Ps.* 72. *I. Cor.* 6.

Lectio viij.

Ibidem post pauca.

DE adventu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt, quia & electi & réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant, quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum vírginum extinguuntur, quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obscurantur: & à Deo retributiónem non invéniunt, qui pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

℟. viij. Dilectus meus electus ex míllibus, totus desiderábilis, * Et † Ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. ℣. Vivo, jam non ego; vivit verò in me Christus. *Et. Glória. † Ipse. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

Lectio ix.

QUid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in adventu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jánua. O! si sápere in cordis paláto possis, quid admiratiónis habet quod dícitur: Venit sponsus? Quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis: Et clausa est jánua? Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperitur. Erit namque & tunc pœniténtia; sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam invéniet, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

AD LAUDES.

Antiphona, 2. D.

EGo dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Ant. 7. b. Dilectus meus ordinávit in me caritátem. *Cant.* 2.

Ant. 8. c. Cantábant

Canticum. Is. 61.

GAudens gaudébo in Dómino, * & exultábit ánima mea in Deo meo;

Quia índuit me vestimentis salútis, * & indumento justítiæ circúmdedit me,

Quasi sponsum decorátum coronâ, * & quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * & sicut hortus semen suum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit justítiam, * & laudem coram universis géntibus.

Ant. Cantábant vírgines cánticum novum ante sedem Dei & Agni. *Apoc.* 14.

Ant. 5. a. Lauda, fília Sion; lætáre & exulta in omni corde, fília Jerúsalem. *Soph.* 3.

Capitulum. Apoc. 14.

VIdi; & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quátuor míllia, habentes nomen ejus & nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis.

Si sit Martyr,
Hymnus.

QUID sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non uno géminum reportas
Hoste triumphum.

MOLLIOR fregit neque te voluptas,
Impotens flexit neque te tyrannus.
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.

LILIIS Sponsus récubat, rosísque;
Tu, tuo semper benè fida Sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedisti
Lília Virgo.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus:
Fac, tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Benedíctus *Ant.* 8. G. Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti; concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis

& Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

Alia Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis & martyrii palmam adepta est: dá nobis ejus précibus, ita córporis & mentis serváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per Dóminum.

Si non sit Martyr,
Hymnus.

O Virgo, pectus cui sacrum
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus.

Non te voluptas dúlcibus
Fallax venénis móllit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

Sic ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

Beata, cui nunc Cœlitum
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gaúdiis.

Æterne sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Lætábor, & exultábo in te: ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime. *Ps.* 9.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. J. Exultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti, concéde ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per Dóminum.

Alia Oratio.

FIdéles tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* vírgine tuâ, córpore & mente purífica; ut, tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant, atque, ut eárum non capiantur illécebris, tuâ semper suavitáte pascantur; Per.

AD PRIMAM.

Antiph. 2. D. Ego.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Sub umbra.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℟. *br.* Fiat cor meum immaculátum * In justifi-

cationibus tuis. ℣. Ut non confundar. * In. Glória. ℟. Fiat. *Ps.* 118.

℣. Sitívit in te ánima mea ; ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea ! *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Diléctus.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

Æmulor vos Dei æmulatióne; despondi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo ? * Et à te quid vólui super terram. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.*Et. Glória. ℟. Quid. *Ps.* 72.

℣. Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam; ℟. Et non confundas me ab expectatióne mea. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Lauda.

Capitulum. 2. *Reg.* 22.

QUia complácui Dómino, retríbuet mihi secundùm justitiã meam; & secundùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi.

℟. *br.* Retríbuet mihi Dóminus * Secundùm justítiam meam. ℣. Et secundùm puritátem mánuũ meárum. *Secundùm. Glória. ℟. Retríbuet. *Ps.* 17.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Ps.* 68.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 4. D.

VIrgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. *Matth.* 25.

Ant. 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades suas. *Matth.* 25.

Ant. 7. d. Médiâ nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit ; exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 2. D. Venit sponsus, & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

Ant. 1. D. Vírgines sequuntur Agnum quocumque íerit; sine mácula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Capitulum. Apoc. 14.

AUdívi vocem de cœlo; & vocem quam audívi, sicut citharædórum citharizántium in cítharis suis : & cantábant quasi cánticum novum ante sedem Agni.

Si sit Martyr, Hymnus Quid sacram, *pag.* lxxv.

℣. Me propter innocéntiam suscepisti, ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in ætérnum. *Ps.* 40.

Ad Magníficat *Ant.* 2. D. Fecisti viríliter, & confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amáve-

ris ; ídeò & manus Dómini confortávit te. *Judith*, 15.

Si non sit Martyr, Hymnus, O Virgo, *pag.* lxxvj.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam Deo ; quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit se. Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt. *Apoc.* 19.

In Officio S. Virginis & Martyris, dicuntur in II. Nocturn. Lectiones quæ sequuntur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

De Virgin. ad Marcellinam Soror. Libr. I.

Lectio iv.

QUóniam hódie natális est vírginis, invítat integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus ; ne véluti tránsitu quodam præstricta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeò laudábilis virgínitas, quia & in martyribus reperítur : sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus ? aut quis naturáli voce compléċti, quod supra usum naturæ sit ? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivendi sibi usum quæsívit è cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

Lectio v.

HÆc nubes, áera, Angelos sideráque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, & toto hausit péctore. Nam quis tantum, cùm invénerit, relinquat boni : Unguentum enim exinanítum est nomen tuum ; propteréà adolescéntulæ dilexérunt te. Postrémò, non meum est illud, quóniam, Quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur si Angelis comparentur, quæ Angelórum Dómino copulantur.

Lectio vj.

QUis ígitur neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non fácilè invenímus in terris, nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descendit ? Tunc in útero Virgo concépit, & Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis : Sed étiam Elías nullíus corpórei cóitûs fuisse permixtus

cupiditátibus invenítur. Ideò ergo curru raptus ad cœlum; ídeò cum Dómino appáret in glória; ídeò domínici ventúrus est præcursor adventûs.

COMMUNE
SANCTARUM MULIERUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 1. J.

MUlíerem fortem quis invéniet? Procùl, & de últimis fínibus prétium ejus. *Prov.* 31.

Ant. 4. f. Domus & dívitiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem próprie uxor prudens. *Prov.* 19.

Ant. 2. D. Grátia super grátiam, múlier sancta & pudoráta. *Eccli.* 26.

Ant. 7. d. Grátia verecúndiæ mulíeris sensátæ & bonæ super aurum. *Eccli.* 7.

Ant. 3. *a.* Múlier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26.

Capitulum. Eccli. 26.

FUndamenta æterna supra petram sólidam; mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

[*In Duplicibus secundæ Classis & suprà*, ℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea consensi suscípere: * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem: * Sit. Glória. * Sit. *Tob.* 3. *I. Thess.* 4.

Hymnus.

ADESTE, sanctæ Cónjuges:
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Triumphat inter Cœlites.

NON illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit;
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

SE sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit;
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

PASCENDA cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Factus es spes mea, Dómine. ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Ps.* 60.

Ad Magníficat *Ant.* 4. D. Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tua misericórdia præsumentem; ut gentes agnóscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. *Judith.* 9.

Oratio, infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr, ℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem; ℟. In via tua vivífica me. *Ps.* 118.

Ad Magníficat *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dómino, & dilatátum est os meum, quia lætáta sum in salutári tuo. *I. Reg.* 2.

Oratio, infrà ad Laudes.

[*In Annualib.* AD COMPLET. *Ant.* 3. c. Non extinguétur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Deus ostendet splendórem suum in te. *Baruch.* 5].

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum in quo sperant sanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 3.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

ARDET Deo quæ fémina,
Latére frustrà cógitat:
Quot indigentes súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honestis ânxia;
Patróna, custos vírginum;
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus
Christum fovébat hóspitem:
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem foris
Alto colit siléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, & cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Sápiens múlier ædíficat domum: múlier gratiósa invéniet glóriam. *Prov.* 14.

Ant. 3. *a.* Pars bona múlier bona: in parte timéntium Deum dábitur. *Eccli.* 26.

℣. Ecce sic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Ps.* 127.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum: * Disciplína illíus datum Dei est. ℣. Quæ filios aut nepótes habet, díscat domum suam rége-

re; hoc enim acceptum est coram Deo. * Disciplína. *Eccli.* 26. *I. Tim.* 5.

℟. *ij.* Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus; * Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. ℣. Quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona. * Considerávit. *Prov.* 31. *I. Tim.* 2.

℟. *iij.* Fallax grátia & * Vana est pulchritúdo: † Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. ℣. Non sit extrínsecùs capillatúra aut circumdátio auri aut vestimentórum cultus. * Vana. Glória. † Múlier. *Prov.* 31. *I. Petr.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. *Esth.* 14.

Ant. 5. a. Ostende quóniam non derelinquis præsumentes de te; & præsumentes de se, & de sua virtúte gloriantes humílias. *Judith.* 6.

Ant. 6. F. In consílium iniquórum non véniat ánima mea, & in cœtu illórum non sit glória mea. *Gen.* 49.

℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, ℟. In médio domûs meæ. *Ps.* 100.

De Epístola sancti Augustíni Epíscopi ad Probam víduam.

Epist. 130. §. 3. *aliàs* 121.

Lectio iv.

DEbes præ amóre veræ vitæ desolátam te putáre in hoc século, in quantálibet ejus felicitáte versériss. Nam sicut est illa vera vita, in cujus comparatióne útique ista quæ multùm amátur, quantúmlibet jucunda atque producta sit, nec vita dicenda est: sic est étiam solátium verum, sine quo solátio quæcumque sunt terréna solátia, magis in eis desolátio quàm consolátio reperítur.

℟. *iv.* Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine. * Nosti quia óderim glóriam iniquórum. ℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Nosti. *Esth.* 14. *II. Cor.* 6.

Lectio v.

DIvítiæ quippe atque fastígia dignitátum, cætéraque hujúsmodi quibus se felíces esse putant mortáles, veræ illíus felicitátis expertes, quid ásferunt consolatiónis, cùm sit eis indigére quàm eminére præstántius; quæ plus excrúciant adepta timóre amissiónis, quàm concupíta, adeptiónis ar-

dóre? Tálibus bonis non fiunt hómines boni; sed aliunde boni facti, bene utendo fáciunt, ut ista sint bona. Non sunt ergo in iis vera solátia, sed ibi pótiùs ubi vera vita.

℟. v. Complácui in veritáte tua: * Non sedi cum concílio vanitátis; odívi ecclésiam malignántium. ℣. Corrumpunt mores bonos collóquia mala. * Non. Ps. 25. I. Cor. 15.

Lectio vj.

HÆc ómnia consíderans, concerta in oratióne víncere hoc séculum: ora in spe, ora fidéliter & amanter; ora instanter atque patienter; ora ut vídua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precáris auxílium: & licèt sis ditíssima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futúri séculi divítias habes, ubi nulla damna formídes. Si ea quæ sursùm sunt quæris & sapis, ætérna & certa desíderas; quæ quámdiu nondum habes, étiam salvis ómnibus atque obsequéntibus tuis, tanquam desolátam reputáre te debes.

℟. vj. Mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia: * Nunquam cum ludéntibus míscui me; neque cum his qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Grátias ago Deo, cui sérvio in consciéntia pura. * Nunquam. Glória. * Nunquam. Tob. 3. II. Tim. 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum. Prov. 31.

Ant. 8. c. Manum suam misit ad fórtia, & digiti ejus apprehendérunt fusum. Prov. 31.

Ant. 8. g. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Prov. 31.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. Ps. 24.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 11. in Evang.

CŒlórum regnum, fratres caríssimi, idcircò terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quaténùs exemplo visibílium se ad invisibília rápiat, &

per ea quæ uſu didicit, quaſi confricátus incaleſcat; ut per hoc quod ſcit notum diligere, diſcat & incógnita amáre. Ecce enim cœlórum regnum theſauro abſcóndito in agro comparátur; quem qui invenit homo, abſçondit, & præ gaúdio illíus vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.

℞. vij. Confidit in ea cor viri ſui: * De nocte ſurrexit, dedítque prædam doméſticis ſuis, & cibária ancillis ſuis. ℣. Si quis ſuórum, & máximè domeſticórum, curam non habet, fidem negávit, & eſt infidéli detérior. * De nocte. *Prov.* 31. *I. Tim.* 5.

Lectio viij.

QUâ in re hoc quoque notandum eſt, quòd inventus theſaurus abſcónditur, ut ſervétur: quia ſtúdium cœleſtis deſidérii à malignis ſpirítibus cuſtodíre non ſúfficit, qui hoc ab humánis laúdibus non abſcondit. In præſenti enim vita quaſi in via ſumus, quâ ad pátriam pérgimus. Maligni autem ſpíritus iter noſtrum quaſi quidam latrúnculi obſídent. Deprædári ergo desíderat, qui theſaurum públicè portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera noſtra bona non vídeant, cùm ſcriptum ſit: Vídeant ópera veſtra bona, & gloríficent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt: ſed ut per hoc quod ágimus, laudes extériùs non quærámus. Sic autem ſit opus in público, quátenùs inténtio máneat in occulto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exemplum; & tamen per intentiónem, quâ Deo ſoli placére quærimus, ſemper optémus ſecrétum.

℞. viij. Erat in ómnibus famoſíſſima, quóniam * Timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſynis quas faciébat. * Timébat. Glória. * Timébat. *Judith.* 8. *Act.* 9.

Lectio ix.

THeſaurus autem cœleſte eſt deſidérium; ager verò in quo theſaurus abſcónditur, diſciplína ſtúdii cœleſtis. Quem profectò agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta ſua terréna deſidéria per diſciplinæ cœleſtis cuſtódiam calcat; ut nihil jam quod caro blandítur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, ſpíritus perhorreſcat.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. f.

IN ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13.

Ant. 3. *a.* Magna facta est; erat virtúti cástitas adjuncta. *Judith.* 16.

Ant. 2. D. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2.

Ant. 7. *a.* In opéribus.

Canticum. Prov. 31.

OS suum apéruit sapiéntiæ (múlier fortis,) * & lex cleméntiæ in lingua ejus.

Consíderávit sémitas domûs suæ, * & panem otiósa non comédit.

Surrexérunt fílii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam:

Multæ fíliæ congregavérunt divítias: * tu supergressa es univérsas.

Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum; * & laudent eam in portis ópera ejus.

Ant. In opéribus bonis testimónium habens, fílios educávit, omne opus bonũ subsecúta est. *I. Tim.* 5.

Ant. 5. a. Surrexérunt fílii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; vir ejus, & laudávit eam. *Prov.* 31.

Capitulum. Eccli. 26.

SIcut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus.

Hymnus.

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

INSIGNIS & nos Féminæ
Sequi decet vestígia;
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre, fac, mens te colat.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus; ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Supra modum mirábilis, & bonórum memóriâ digna, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deũ habébat. *II. Mach.* 7.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur; largíre nobis, quæsumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triumphum recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non sit Martyr, ℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

Ad Benedíctus *Ant.* 6. F. Benedícta es à Dómino; scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth.* 3.

Oratio.

ESto, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* propítius plebi tuæ; ut, quæ tibi non placent respuentes, tuórum repleámur desidério mandatórum; Per Dóminum.

Si sit vidua, Oratio.

DEus, in quem sperat omnis ánima quæ, adhuc in terris pósita, se verè víduam sentit ac desolátam; tribue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ *N.* obsecratiónibus & oratiónibus nocte ac die instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. In ancilla sua.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *a.* Magna.

Capitulum. Eccli. 40.

FIlii & ædificátio civitátis confirmábit nomen, & super hæc múlier immaculáta computábitur.

℟. *br.* Deus meus * Protector est sperántium in se. ℣. Pósuit immaculátam viam meam. * Protector. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 17.

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos, ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Non discedébat.

Capitulum. I. Tim. 2.

VOlo mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornantes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ.

℟. *br.* Exultábo & lætábor * In misericórdia tua, Dómine. ℣. Quóniam respexisti humilitátem meã. * In. Glória. ℟. Exultábo. *Ps.* 30.

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar: ℟. Omnem viam iníquam ódio hábui. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Surrexérunt.

Capitulum. Eccli. 36.

QUi póssidet mulíerem bonam, ínchoat possessiónem; adjutórium se-

cundùm illum est, & columna ut réquies.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. ℣. Et glorificábo nomen tuum in ætemum. * In. Glória. ℟. Confitébor, *Pſ.* 85.

℣. Tu, Dómine, glória mea, ℟. Et exaltans caput meùm. *Pſ.* 3.

AD VESPERAS.

Antiphona, 5. a.

EO quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te; & ídeò eris benedícta in æternum. *Judith.* 15.

Ant. 8. g. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergressa es universas. *Prov.* 31.

Ant. 7. d. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Ant. 6. F. Deus det tibi grátiam, ut sit nomen tuum in número sanctórum & justórum. *Judith.* 10.

Ant. 1. D. Ora pro nobis, quóniam múlier sancta es & timens Deum. *Judith.* 8.

Capitulum. I. Tim. 2.

MUlier salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, & dilectióne, & sanctificatióne cum sobrietáte.

Hymnus, O jam beáta, *pag.* lxxxiv.

Si sit Martyr, ℣. Vídeant qui odérunt me, & confundantur, ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvísti me. *Pſ.* 85.

Ad Magníficat *Ant.* 1. a. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam adjútor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meùm à perditióne. *Eccli.* 51.

Si non sit Martyr, ℣. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me. ℟. In æquitáte tua. *Pſ.* 142.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Fortitúdo & decor induméntum ejus: date ei de fructu mánuum suárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.



IN FESTIS PATRONI, VEL TITULARIS.

Si proprium non habetur Officium in Breviario, fiet ut præscribitur in Rubricis generalibus. Diebus verò intrà Octavam, nullâ dignitate cujusque Sancti habitâ ratione, Lectiones dicentur, etiam pro Apostolo, ut infrà, nisi adsint propriæ; vel si propriæ, cùm adsunt, non sufficiant, aut non possint aliàs commodè dividi: hâc distinctione servatâ, ut intrà Octavas Duplicium I. Cl. & suprà, Lectiones duæ (ij & iij) ut hìc habetur, propriæ de Octava dicantur, nisi sit facienda memoria per Lectionem iij; diebus verò intrà Octavam Festi Duplicis II. Classis, j & ij Lectiones de Scriptura occurrente dicantur; tertia tantùm de Octava, præterquàm in ipsa die Octava, cujus Officium est semiduplex, in quo duæ de Octava dicentur.

LECTIONES DICENDÆ INTRA OCTAVAM PATRONI, VEL PATRONÆ.

DIE II.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

Orat. in 40. Mart.

Lectio ij.

HI sunt qui acceptam à Deo nostram regiónem, quasi turres quædam contrà adversariórũ incursum munientes, refúgium éxhibent. Benefícium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc mínimè cessantem à Deo obtinémus. Parátum est hìc Christiánis auxíliũ. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit. Hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc mulier

orans pro filiis audítur, peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat & óbtinet.

Lectio iij.

O Sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii! precum ac votórum ínvicem suffragatóres! legáti apud Deum potentíssimi! astra mundi, flores Ecclesiárum, vos non terra contexit, sed cœlum excépit. Apertæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profectò exercítibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis & Justis ómnibus spectáculum.

DIE III.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 1. in C. 2. Ep. Joan. I.

Lectio ij.

JOannes quid dixit? Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíscopi & Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite scriptúras, & vidéte quia & præpósiti commendant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed & vos oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpellet.

Serm. 280. Lectio iij.

BEnedixit Dóminus pusillos cum magnis. Non nobis parum videátur, quòd ejus córporis membra sumus, cujus & illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congaúdent ómnia membra. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita & imitáti hunc Mártyres ánimas pro frátribus posuérunt; atque ut ista populórum tanquam gérminum copiosíssima fertílitas súrgeret, terram suo sánguine irrigavérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

DIE IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter consideráre debémus, auxílium Sancti,

exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hîc víveret, misertus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnóscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit. Neque enim quia impassíbilis omnínò, ídeò & incompassíbilis factus est.

Lectio iij.

DEbémus étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit, neque ad déxteram, neque ad sinistram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus, & tunc vidébitis quómodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulandum.

DIE V.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

DIligentióri intúitu in festivitátibus Sanctórum confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit, passíbilis, ex eódem luto formátus ex quo & nos. Quid ergo est, quòd non solùm diffícile, sed & impossíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt, qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo & gaudére, & confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

Lectio iij.

ITa semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed & prima gáudii luctus óccupet: quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus

ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suũ, júdicem nostrum, qui est Deus benedíctus in sǽcula. Amen.

DIE VI.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

In Festo omnium Sanctorum.

Serm. 2. §. 1. Lectio. ij.

ERit, præstante Dómino, triplex sermónis de Sanctórum felicitáte utílitas; quáteniùs ágnita, vel ex parte áliqua, felíci retributióne Sanctórum, abundantióri deinceps sollicitúdine ipsórum inhærére vestígiis, ac ferventióri desidério ad eórum suspiráre consórtia, propensióri quoque devotióne eorúmdem nos commendáre patrocíniis studeámus. Fidélis quippe sermo & omni acceptióne dignus, ut quos solemni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur. Quos beatíssimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem totâ aviditáte currámus: quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

Lectio iij.

NEc sanè parum fructuósa invenítur memória festíva Sanctórum, languórem, tepórem errorémque depellens: cùm eórum intercessióne juvétur infírmitas nostra, consideratióne beatitúdinis excitétur negligéntia nostra, ignorántia quoque nostra ipsórum erudiátur exemplis.

DIE VII.

Sermo sancti Cæsárii Epíscopi.

Serm. 230. in Appendice apud Augustinum.

Lectio ij.

QUando festivitátes cólimus, fratres caríssimi, diligenter debémus atténdere, & totis víribus laboráre ut quod visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compleátur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gaúdium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gaúdium potest habére? in cujus ánima multis vítiis occupáta magis diábolus probátur habitáre quàm Christus. Nos verò, fratres caríssimi, etiamsi nobis áliqua, ut solet fíeri, peccáta subrépunt, quantùm póssumus, cum Dei adjutório laborémus jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos suæ majestátis offendat.

Serm. 265. *c.* 4. *Lectio iij.*

Filios & omnes famílias vestras admonéte, fratres, semper ut castè & justè ac salúbriter vivant: nec solùm eos verbis, sed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itínere, sive in convívio, sive in consessu, verba túrpia & luxuriósa nolíte ex ore vestro proferre; sed magis vicínos & próximos vestros júgiter admonéte ut semper quod bonum est & honestum, loqui stúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, & in sanctis festivitátibus choros ducendo, cántica luxuriósa & túrpia proferendo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videantur infligere. Isti enim infelíces & míseri hómines qui balatiónes & saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubescunt: etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, pagáni de Ecclésia revertuntur; quia ista consuetúdo balandi de paganórum observatióne remansit.

DIE OCTAVA.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi.

Serm. Quòd Martyres aut imitandi sunt, aut non laudandi.

Lectio iv.

Qui Sanctórum mérita religiósâ caritáte mirátur, quique Justórum glórias frequenti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur: quóniam quem delectat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obséquiū. Quare aut imitári debet, si laudat; aut laudáre non debet, si imitári detrectat: ut, qui álium laudat, laudábilem se reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse vitæ sanctitáte reddátur.

Lectio v.

Nam si proptéreà justos fidelesque dilígimus, quòd in ipsis justítiam fidemque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt. Neque enim difficile nobis est, quod ab ipsis géritur, imitári, cùm sine præcedenti exemplo ab antíquis tália gesta conspícimus; ut non ipsi aliórum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtú-

tis seipsos nobis præbérent exemplum: ut cùm nos ex ipsis, & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur.

Lectio vj.

UNde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur, Enoch Deo placens transfertur, justus Noe invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyses mansuétus agnóscitur, Jesus castus, David lenis, Elías acceptus, Dániel sanctus; tres púeri victóres redduntur; Apóstoli, discípuli Christi, credéntium magistri habentur: è quibus erudíti Confessóres fortíssimè pugnant, Mártyres perfecti triumphant, & christiáni semper exércitus diábolum Deo armáti debellant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, glorióſæ victóriæ. Unde tu, Christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Excre vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio isto concerta. Consídera pactum, conditiónem attende, milítiam nosce: pactum quod spopondisti; conditiónem quâ accessisti; milítiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnârunt; hâc conditióne universi vicérunt; hâc milítiâ omnes triumphârunt.

IN III. NOCTURNO.

Sumuntur in quolibet Communi Lectiones quæ dictæ fuerunt in die Festo, nisi propriæ assignentur.

CANON PRO PATRONIS, *ubi deest proprius.*

Ex Concílio Mediolanensi tértio sub sancto Carolo. *Ann.* 1573. *Tit.* 1.

QUò religiósiùs íncolæ uniuscujusque Paróchiæ Festum diem colant illíus Sancti Sanctæve, cujus patrocínio Parochiális Ecclésia dicáta est, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religiósas ejus sanctárum virtútum exercitatiónes; quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm sempiternâ glóriâ perfruátur, pro caritáte quâ abundat, eórum quorum salútis patrocínium suscépit, preces Deo offert. Die Sancti qui Paróchiæ patrónus est & custos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflammentur, id Párochus præstet, cùm frequéntior in Ecclésia pópulus adest, ut ipse aut álius in suggestu res ejus sanctè admirabilitérque gestas, morum disciplínam, pietátis stúdia ac virtútes pronúntiet. Tu autem.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ, IN SABBATO.

Semiduplex.

In omnibus Sabbatis hujus temporis prater quàm in Vigiliis cujuſcumque Feſti, intra Octavas, & niſi occurrat Feſtum ſemiduplex aut ſuprà, ac niſi Officium fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ eo die ponendum, ſit Officium de Beata Maria *ſub ritu ſemiduplici, incipiendo à Veſperis Feriæ VI. & terminando cum Nona.*

Pſalmi Feriales in toto Officio.

IN VESPERIS.

Ant. 7. d. Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60.

Capitulum. Iſ. 11.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcendet; & requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

AVE, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cœli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
MONSTRA te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
VIRGO ſinguláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.
VITAM præſta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.

Sit laus summa Patri,
Sit laus summa Nato:
Spirítui sancto
Par laus, par & honor.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
Hinc méritò dicent te sécula cuncta beátam;
Hinc pópuli Matrem te Dominamque colunt.
Tu Mater pietátis: opem te póscimus omnes.
Subvénias fámulis, ô benedicta, tuis.
Gloria magna Patri; compar sit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus, Veníte, *pag.* 1.

Hymnus.

O Quam glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, Virgo María,
Supra cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino pectoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti:
Humános Deus hinc induit artus.
Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu flectitur omne;
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gaúdia regni.
Divinæ sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen.
Amen.

Ant. 1. g. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. *Exod.* 3.

Ant. 7. *d.* Cùm virgas posuisset Móyses coram

no, invénit germinaſ-
ſam Aaron. ... 17.
... 2. D. Abſciſſus eſt
de monte ſine mánibus
lapis autem factus eſt
magnus, & implévit
rſam terram. *Dan.* 2.
Homo natus eſt in ea;
t ipſe fundávit eam
imus. *Pſ.* 86.
ſolutio, II. Mach. 1.
memínerit teſtamen-
quod locútus eſt, &
liat oratiónes noſtras.
men.
nedictio. Exultet ſpí-
noſter in Deo, quia
xit humilitátem an-
ſuæ. ℟. Amen. *Luc.* 1.
ctio prima de Scriptura
rente: ex tribus fit una.
j. Benedictus Dómi-
qui creávit cœlum &
m; * Quia hódie no-
tuum ita magnificá-
ut non recédat laus tua
re hóminum. ℣. Reſ-
t Dóminus humilitá-
ancillæ ſuæ. * Quia.
th. 13. *Luc.* 1.
enedictio. Nobiſcum ſit
s, qui in ancilla ſua
nplévit miſericórdiam
1, quam promíſit dó-
Iſrael. *Judith.* 13.
ro ſecunda & tertia Le-
e leguntur duæ ex ſe-
tibus, pro menſium di-
tate, pag. xcvij.
. *ij.* Miſericórdia &
tas obviavérunt ſibi:
éritas de terra orta eſt;

& juſtítia de cœlo proſpe-
xit. ℣. De María natus eſt
Jeſus qui vocátur Chriſtus.
* Véritas. Glória. * Véri-
tas. *Pſ.* 84. *Matth.* 1.

Benedictio. Invocet Dó-
minum, & loquátur Regi
pro nobis, & liberet nos de
morte. ℟. Amen. *Eſther.* 15.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. g. Benedicta es.

Canticum. Judith. 13.

LAudáte Dóminum Deũ
noſtrum, * qui non
deséruit ſperantes in ſe.

Et in me ancillâ ſuâ ad-
implévit miſericórdiam
ſuam, * quam promíſit
dómui Iſrael.

Et interfécit in manu
mea * hoſtem pópuli ſui.

Benedicta es tu, filia, à
Dómino Deo excelſo * præ
ómnibus muliéribus ſuper
terram.

Benedictus Dóminus
qui creávit cœlum & ter-
ram; * qui te direxit in
vúlnera cápitis príncipis
inimicórum noſtrórum:

Quia hódie nomen tuum
ita magnificávit, * ut non
recédat laus tua de ore hó-
minum qui mémores fúe-
rint virtútis Dómini in
æternum.

Ant. Benedicta es tu,
filia, à Dómino Deo ex-
celſo præ ómnibus mulié-
ribus ſuper terram. *Judith.*
13.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens? pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Hymnus.

NUNC auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul díssipat umbras.
Quantò lucídior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo, refulges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
INTER perpétuos Núminis haustus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dedisce genus; nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.
DIVINÆ sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus; non commovébitur. *Ps.* 45.

Ad Benedictus *Ant.* 4. A. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per.

AD HORAS,

Doxologia.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sǽcula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Capitulum. Genes. 3.

AIt Dóminus Deus ad serpentem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen

ſemen illíus : ipſa cónteret caput tuum.

℟. *br.* Recordátus eſt Dóminus * Miſericórdiæ ſuæ : ℣. Et veritátis ſuæ dómui Iſrael. * Miſericórdiæ ſuæ. Glória. ℟. Recordátus eſt. *Pſ.* 97.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ ; ℟. Tu confregiſti cápita dracónis. *Pſ.* 73.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. In te benedicentur univerſæ cognatiónes terræ. *Geneſ.* 12.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi : In Jacob inhábita, & in Iſrael hæreditáre, & in electis meis mitte radíces.

℟. *breve.* Deus in médio ejus ; * Non commovébitur. ℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non commovébitur. Glória Patri. ℟. Deus. *Pſ.* 45.

℣. Oriétur in diébus ejus juſtítia, ℟. Et abundántia pacis. *Pſ.* 71.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Deus oſtendet ſplendórem ſuũ in te omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum Dñs ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminũ qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternũ.

℟. *breve.* Vultum tuum * Deprecabuntur. ℣. Omnes dívites plebis. * Deprecabuntur. Glória. ℟. Vultum.

℣. Concupiſcet Rex decórem tuum ; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44.

LECTIONES ſequentes dicuntur ſuo quaque menſe in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex Diálogo ſancti Juſtíni Mártyris cum Tryphóne.

Lectio ij.

SI non è Vírgine iſte de quo Iſaías dicébat, naſciturus erat, de quo Spíritus ſanctus exclamábat : Ecce Dóminus dabit ſignũ : Ecce Virgo in útero concípiet & páriet filium. Si perindè atque álii omnes primogéniti, iſte quoque concúbitu gignendus erat, quodnam ſignum non cunctis primogénitis commúne fácere ſe dixit ? Enimvérò quod verè ſignum eſt, & humáno géneri credíbile futúrum erat, hoc eſt, ut ex virgináli útero primogénitus creaturárum ómnium caro factus verè puer fieret. Occupans id per prophéticum Spíritum álio atque álio modo pronuntiávit, ut, cùm factum eſſet, virtúte & consílio rerum universárum conditóris factũ eſſe agnoſcerétur, haud

áliter quàm ex uno látere Adæ Eva éxtitit; atque ália animántia ómnia verbo Dei ortum suum cepêre.

De libro sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris adversùs hæreses.

Lectio iij. Libr. 5. c. 19.

IN sua própria veniente Dómino, & suâ propriâ eum bajulante conditióne quæ bajulátur ab ipso, & recapitulatiónem ejus quæ in ligno fuit inobediéntiæ, per eam quæ in ligno est obediéntiam faciente, & seductióne illâ solútâ, quâ seducta est malè illa quæ jam viro destináta erat virgo Eva: per veritátem evangelizáta est benè ab Angelo jam sub viro Virgo María. Quemádmodùm enim illa per angélicum sermónem seducta est ut effúgeret Deum, prævaricáta verbum ejus; ita & hæc per evangélicum sermónẽ evangelizáta est, ut portáret Deum, obédiens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effúgeret Deum, sic hæc suása est obedíre Deo; uti vírginis Evæ virgo María fieret advocáta: & quẽádmodùm adstrictum est morte genus humánum per vírginem, solvátur per vírginem; æquâ lance dispósitâ virginális inobediéntia per virginálem obediéntiam.

MENSE OCTO

De libro sancti A
Epíscopi de excel
Vírginis.

Lectio ij. Cap. 1

ROgámus te, Dó
per ipsam gra
quâ te pius & omnip
Deus sic exaltávit, & óm
tibi secum possibilia
donávit, quátenùs id a
ipsum nobis obtíneas
plenitúdo grátiæ quam m
ruisti, in nobis sic operétur
quo participium beáti præ
mii nobis misericórdiæ
quandóque donétur. Ad
hoc quippe Deus noster per
te factus est frater noster,
ut quemádmodùm ipse ci
gnátus est consors fieri no-
stræ humanitátis, sic nos
mereámur consortes fieri
suæ Divinitátis. Intende
ergo, Dómina piíssima, ut
nobis ad effectum prove-
niat, propter quod Deus
noster ex tuo castíssimo ute-
ro factus homo inter hómi-
nes venit; nec sis, quæsu-
mus, exorátu difficilis, quia
procul dúbio ipse benigníssimus Fílius tuus erit ad
concedendum quidquid vo-
les promptíssimus & exau-
díbilis. Tantúmmodo ma-
que velis salútem nostram,
& verè nequáquam salvi
esse non potérimus.

Lectio iij.

QUid ígitur stringet
larga misericórdia
tuæ víscera, Dómina, con-

[redacted]

tra nos, ut nolis ſalváre nos? Certè Deus noſter, teſte Prophétâ, miſericórdia noſtra eſt, & tu ejuſdẽ Dei noſtri, abſque dúbio, vera mater. Si tu ergo quæ Dei mater es, & eâ re vera miſericórdiæ mater & grátiæ, dénegas nobis affectũ miſericórdiæ, quid faciémus? Cógita, quæſo, quòd non ad damnandum, ſed ad ſalvandum peccatóres cónditor noſter ex te factus eſt homo. Cur ítaque non juvábis nos peccatóres; quando propter nos in tantam celſitúdinem es eleváta, ut te Dóminam hábeat & venerétur omnis páriter creatúra? Ab inítio renovatiónis humánæ ómnibus ſub tuũ præsídium confugiéntibus huc uſque ſuccurriſti; eia ſuccurre, orámus, ut laus quam per tot sécula dignè poſſediſti, contínua tibi duret. Tibi ergo nos commendámus, tu procúra ne pereámus. Effice pótius ut ſalus noſtra de die in diem multiplicétur, & Fílio tuo vita noſtra jugi devotióne famulétur.

MENSE NOVEMBRI.
Ex libris ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de Trinitáte.

Lectio ij. Libr. 13. *c.* 18.

POterat Deus hóminem ſuſcípere non de génere *Adam; ſed mélius* judicávit & de ipſo quod victum fúerat génere, aſsúmere hóminem per quem géneris humáni vínceret inimícum; & tamen ex vírgine cujus conceptum Spíritus, non caro; fides, non libído prævénit. Naſcebátur homo nullum habens, nullũ habitúrus omníno peccátũ; per quem renaſcerentur liberandi à peccáto qui naſci non poſſent ſine peccáto. Oportébat ítaque, ut concupiſcéntia nulla ibi eſſet omnínò, quando concipiebátur vírginis partus: in quo nihil dignum morte fúerat inventúrus, & eum tamen occisúrus, auctor mortis, auctóris vitæ morte vincendus: victor primi Adam, & tenens genus humánum, victus à ſecundo Adam, & amittens genus Chriſtiánum; ut deceptor ille ab eo vincerétur génere, quod vícerat crímine.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iij. Serm. 292. *n.* 6.

QUid es quæ póſteà paritúra es? Unde meruiſti? unde hoc accepiſti? unde fiet in te qui fecit te? Unde hoc, inquam, tibi tantum bonum? Virgo es, ſancta es, votum voviſti? ſed multum quod meruiſti, imò verò multum quod accepiſti.... Fit in te Verbum Dei caro, accipiendo ca

nem, non amittendo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, & Verbum copulátur carni; & hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, unde ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo. Invénit te vírginem conceptus, dimittit vírginem natus. Dat fœcunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc? Quæris à me unde mihi hoc? Verecundor tibi respondére bonum meum; Angeli audi ipsíus salutatiónem, & in me agnosce tuam salútem. Dic mihi, Angele, unde Maríæ hoc? Jam dixi, cùm salutávi; Ave, grátiâ plena.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Non dicitur, quoties fit Officium semiduplex, aut suprà, aut intra Octavas quascumque. Aliàs autem dicitur in Choro, secundùm usum & consuetudinem locorum, in Festis Simplicibus & Feriis; tuncque omittitur Suffragium de Beata *in Laudibus & Vesperis.*

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Officium Nocturnum, Laudes & Vesperæ dicuntur intra Suffragia: Prima post Primam diei, ante Officium Capituli: Tertia post Benedicamus *Tertiæ, & sic de cæteris Horis.*

AD MATUTINUM.

DOmine, lábia mea. Deus, &c. Glória, &c.

Invitatorium. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

DAVIDIS sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.

PER te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs.
Tu clausas míseris, heu nímiùm diù!
Cœlórum réferas fores.

QUI lucis Pater est, glória sit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Fílio:
Quo fœcunda, tibi, Nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

In Festis Beatæ Mariæ, quibus assignantur in Proprio Psalmi de Officio parvo, *dicuntur in Nocturnis*

[redacted]

z sequentes Psalmi ,
Antiphonis propriis.
Officio autem parvo di-
r tantùm tres Psalmi ,
lùm ordinem Feria-
ut infrà notatur.
.. NOCTURNO.
ERIA II. & V.
I. a. Tota pulchra es.
Psalmus 8.
Omine Dóminus no-
ster , * quàm admi-
: est nomen tuum in
rsa terra !
niam eleváta est ma-
éntia tua * super cœ-

ore infántium & la-
um perfecisti laudem
er inimícos tuos , * ut
as inimícum & ultó-

óniam vidébo cœlos
ópera digitórum tuó-
* lunam & stellas ,
u fundasti.
id est homo , quòd
or es ejus ? * aut fílius
nis , quóniam vísitas

uisti eum paulò mi-
b Angelis ; glóriâ &
e coronasti eum , * &
tuisti eum super ópe-
nuum tuárum.
nia subjecisti sub pé-
ejus , * oves & boves
rias , insuper & pé-
ampi ;
lucres cœli & pisces
, * qui perámbulant
s *maris.*

Dómine Dóminus no-
ster , * quàm admirábile
est nomen tuum in uni-
versa terra !

Psalmus 18.

CŒli enarrant glóriam Dei ; * & ópera má-
nuum ejus annúntiat fir-
mamentum.

Dies diéi eructat ver-
bum ; * & nox nocti índi-
cat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque
sermónes , * quorum non
audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit
sonus eórum , * & in fines
orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernácu-
lum suum ; * & ipse tan-
quam sponsus procédens
de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad
currendam viam : * à sum-
mo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque
ad summum ejus ; * nec est
qui se abscondat à calóre
ejus.

Lex Dómini immaculá-
ta , convertens ánimas : *
testimónium Dómini fidé-
le , sapiéntiam præstans
párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ ,
lætificantes corda : * præ-
ceptum Dómini lúcidum ,
illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus ,
pérmanens in séculum sé-
culi : * judícia Dómini ve-
ra , justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum; * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occultis meis munda me; * & ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

Psalmus 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiã à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4.

℣. Dóminus tanquam sponsus, ℟. Procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

IN II. NOCTURNO.

FERIA III. & VI.

Ant. 8. c. Suávis es.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ intende, * prósperè procéde & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justi-

tiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia à vestimentis tuis à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Divisio Psalmi 44.

AStitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & obliviscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupiscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum;

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis, ab intùs; * in fímbriis aúreis circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi:

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in séculum séculi.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei; * sanctificávit tabernáculũ suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna; * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite & vidéte opera

Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * aúferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma; * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Suávis es & decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Cant.* 6.

℣. Adducentur Regi vírgines post eam, ℟. Próximæ ejus afferentur tibi. *Ps.* 44.

IN III. NOCTURNO.

FERIA IV. & SABBATO.

Ant. 1. D. Quod nascétur.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te: * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum: * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium, * ómnium habitátio est in te.

Psalmus 96.

Dominus regnávit, exultet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit

Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cithara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu: simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Magna est glória ejus. ℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20.

Pater noster.

Absolutio, *II. Mach.* 1. Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. ℟. Amen.

Benedictio. Exultet spíritus noster in Deo, quia respexit humilitátem ancillæ suæ. ℟. Amen. *Luc.* 1.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Is. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audite ergo domus David. Numquid parùm vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. j. Creávit Dóminus novum super terram: * Fémina circúmdabit virum.

℣. Quia non est impossíbile apud Deum omne verbum.

bum. * Fémina. *Jerem.* 31. *Luc.* 1.

Benedictio. Nobiscum sit Deus, qui in ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. ℟. Amen. *Judith.* 13.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 2. *de Adv. n.* 5.

Lectio ij.

VIrgo régia ipsa est via per quam Salvátor advénit, procédens ex ipsíus útero, tanquam sponsus de thálamo suo. Tenentes ergo hanc viam studeámus & nos, dilectíssimi, ad ipsum per eam ascéndere qui per ipsam ad nos descendit: per eam veníre in grátiam ipsíus qui per eam in nostram misériam venit.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portasti creatórem mundi. * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátiâ plena; Dóminus tecum. * Genuísti.

Benedictio. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. ℟. Amen. *Esth.* 15.

De Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli.

Lectio iij. Apoc. 11 & 12.

APertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testaménti ejus in templo ejus; & facta sunt fúlgura & voces, & terræ motus & grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Sancta & immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio; * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. * Quia. Glória Patri. * Quia.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium. &c.

Ant. 3. c. In ancilla sua.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes, * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi

pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus , Deus noster ; benedícat nos Deus , * & métuant eum omnes fines terræ.

Psalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem , & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ , * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc : * à século tu es.

Elevavérunt flúmina , Dómine ; * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos : * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo , Dómine , in longitúdinem diérum.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo , omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus ; * ipse fecit nos , & non ipsi nos.

Pópulus ejus , & oves páscuæ ejus , * introíte portas ejus in confessióne , átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus , quóniam suávis est Dóminus : in ætérnum misericórdia ejus , * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Canticum. Judith. 13.

LAudáte Dóminum Deum nostrum , * qui non deséruit sperántes in se.

Et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam , * quam promísit dómui Israel.

Et interfécit in manu mea * hostem pópuli sui.

Benedícta es tu , fília , à Dómino Deo excélso , * præ ómnibus muliéribus super terram.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in týmpano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus ; laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13.

Capitulum. Gal. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Hymnus.

O Gloriósa Cœlitum
Regína! cœlis púrior:
Quanto, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit!

CUNCTIS Deum Virgo paris
Desiderátum géntibus.
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redemptæ, plaúdite.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ,
℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Ant. 4. A. Benedícta tu.

Canticum. Luc. 1.

BEnedícta tu inter mulíeres, * & benedíctus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi, * ut véniat mater Dómini mei ad me?

Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ, in aúribus meis, * exultávit in gaúdio infans in útero meo.

Et beáta quæ credidisti, * quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

Hymnus.

SALUTIS auctor, sis memor
Nostri quòd olim córporis
De puríssima Vírginum
Nascendo formam súmpseris.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et, mortis horâ, súscipe.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Ant. 2. D. Benedictiónem.

Psalmus 53.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * &

in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua disperde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * & super inimícos meos despexit óculus meus.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus; * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Divisio Psalmi 95.

AFferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exultet terra; commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte; * & pópulos in veritáte sua.

Ant. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. *Eccli.* 44.

Capitulum. Genes. 22.

POssidébit semen tuum portas inimicórum suórum, & benedicentur in

sémine tuo omnes gentes terræ.

℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ; ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Ps.* 71.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hymnus.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SIT laus summa Patri;
Sit laus summa Nato:
Spirítui sancto
Par laus, par & honor.
Amen.

Ant. 4. d. Sanctificávit.

Psalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justitiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua suã.

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversùs eos qui tribulant me.

Impinguasti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in do-

mo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ficut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui ficut novellæ olivárum * in circúitu menfæ tuæ.

Ecce fic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúfalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem fuper Ifrael.

Ant. Sanctificávit tabernáculum fuum Altíffimus: Deus in médio ejus. *Pf.* 45.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Ifrael hæreditáre, & in electis meis mitte radíces.

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem fibi. *Pf.* 131.

Oratio.

DEus, qui falútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præftitifti: tríbue, quæfumus, ut ipfam pro nobis intercédere fentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ fufcípere Dóminum noftrum Jefum Chriftum Fílium tuum; Qui tecum.

AD SEXTAM.

Hymnus.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noftra pelle,
Bona cuncta pofce.

MONSTRA te effe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit effe tuus.

SIT laus fumma Patri;
Sit laus fumma Nato:
Spirítui fancto
Par laus, par & honor.
Amen.

Ant. 5. a. Tu glória.

Pfalmus 98.

DOminus regnávit, irafcantur pópuli: * qui fedet fuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelfus fuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & fanctum eft; * & honor regis judícium díligit.

Tu parafti directiónes: * judícium & juftítiam in Jacob tu fecifti.

Divifio Pfalmi 98.

EXaltáte Dóminum Deũ noftrum, & adoráte

ſcabellum pedum ejus, * quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deū noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, * niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitàn aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertranſívit ánima noſtra: * fórſitàn pertranſiſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium:

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 16.

Capitulum. Eccli. 24.

ET ſic in Sion firmáta ſum: & in civitáte ſanctificáta ſimíliter requiévi, & in Jerúſalem poteſtas mea.

℣. Magna eſt glória ejus,
℟. In ſalutári tuo. *Pſ.* 20.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium: ut, qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Dóminum.

AD NONAM.

Hymnus.

VIRGO ſingulάris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.

VITAM præſta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.

SIT laus ſumma Patri,
Sit laus ſumma Nato:
Spirítui ſancto.

Par laus, par & honor. Amen.

Ant. 1. g. In omni.

Psalmus 84.

BEnedixisti, Dómine, terram tuam; * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ; * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster; * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Divisio Psalmi 84.

DEus, tu conversus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * quóniam loquétur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra nostra.

Altera divisio Psalmi 84.

MIsericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Dóminus Deus Israel. *Judith.* 13.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui fúerint mémores virtútis Dómini in æternum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44.

Oratio.

COncéde, quæsumus omnípotens Deus, ut fidéles tui qui colunt nomen sanctíssimæ Vírginis Maríæ, ejusdem piâ intercessióne, à cunctis malis eruantur in terris, & ad gaúdia æterna pervéniant in cœlis; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 3. c. Quàm pulchra es!

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos túos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion; * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum; * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

Pſalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus; * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens paúperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael, ad confitendum nómini Dómini:

Quia illîc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini fílii, merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

*Speret Israel in Dómino * ex hoc nunc, & usque in séculum.*

Ant. Quàm pulchra es, & quàm decóra; caríssima in delíciis! *Cant.* 7.

Capitulum. Eccli. 24.

EGo mater pulchræ dilectiónis & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei.

Hymnus.

QUÆ nunc, Virgo, colis lúcida regna,
Mittas indè tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus!

INTER perpétuos Núminis haustus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dediśce genus; nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.

DIVINÆ sóboli quidare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Vultum tuum deprecabuntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Ant. 8. G. María.

Canticum. Luc. 1. 30.

NE tímeas, María, * invenisti enim grátiam apud Deum.

Ecce concípies in útero, & páries filium, * & vocábis nomen ejus Jesum.

Hic erit magnus, * & Filius Altíssimi vocábitur.

Et dabit illi Dóminus Deus * sedem David patris ejus.

Et regnábit in domo Jacob in æternum; * & regni ejus non erit finis.

Ant. María, invenísti grátiam apud Deum. *Luc.* 1.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; &, intercedente sanctíssimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, mentes nostras humilitáte & caritáte sanctífica; Per eumdem Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 4. f. Oculi.

Psalmus 120.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Divisio Psalmi 120.

Dominus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

Psalmus 122.

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ, * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra; * oppróbrium abundántibus & despéctio supérbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî. *Ps.* 122.

Hymnus.

Maria, mater grátiæ, Mater misericórdiæ,

Tu nos ab hoste prótege,
Et, mortis horâ, súscipe.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Capitulum. Esther. 15.

MEmoráre diérum humilitátis tuæ, & ínvoca Dóminum: & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ant. 7. d. Sub tuum præsídium.

Canticum. Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,.

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed à perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa & benedicta.

Oratio.

BEátæ Maríæ semper Vírginis, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat æternam; Per Dóminum.



OFFICIUM SANCTI ELIGII,

PER HEBDOMADAM,

IN ECCLESIA CATHEDRALI TANTUM.

Semiduplex.

[*In omni Feria III. quæ non est impedita per Vigiliam cujuscumque Festi, aut per diem intra quamcumque Octavam, vel per Festum Semiduplex, aut suprà, fit de S. Eligio, sub ritu Semiduplici, incipiendo à Vesperis Feriæ II; nisi in hac Feria II. fiat de Festo Semid. aut suprà; tunc enim Vesperæ integræ dicentur de Festo, cum Comm. de S. Eligio. Et pariter, si occurrat Feriâ IV. Festum Semid. aut suprà, tunc in Feria III. Vesperæ erunt integræ de sequenti cum Commem. de S. Eligio*].

Omnia de Communi SS. Pontificum p. xxv. *exceptis quæ sequuntur.*

Psalmi Feriales in toto Officio.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. 1. Machab. 14.

VIr amátor civitátis, & benè áudiens pro affectu, Pater appellabátur.

Hymnus.

ELIGI, Regis populíque votis
Te vocat Christus; Dómino jubente,
Mille virtútum præeunte cœtu,
Scandis ad aras.

AD sacras ædes áditus nefandos,
Cuncta perrumpens sibi fecit aurum:
Una te virtus tulit ad suprémi
Culmen honóris.

PRODIGUS vitæ, cupidusque mortis,
Ausus insános abolére cultus,
Et reluctantes stygios ubíque
Cónteris hostes.

QUIS gregem pavit dape lautióri?
Páuperes fovit potióre curâ?
Quis labor, quæ vis, tenerique quantus

Ardor amóris!
Tu potens verbo, rege nos Magister;
Dédoce pompam fugientis ævi.
Usque da verum per opáca noctis
Cérnere lumen.
Nostra te summum célebrent Parentem
Ora, te summo génitum Parente;
Par sit ambórum tibi laus, per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Veníte, fílii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Ad Magníficat *Ant.* 1. f. Testis mihi est Deus, quómodò cúpiam omnes vos in viscéribus Christi. *Philipp.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD NOCTURNUM.

Hymnus Eligi. *p.* cxviij.

Sermo sancti Elígii Epíscopi.

S. Audoen. L. 2. vit. S. Eligii c. 15. *n.* 21. 22.

Lectio ij.

In hac vita pósiti ita ágite, ut cùm hinc migravéritis, & caro vestra à vérmibus cœperit devorári in sepulcro, ánima, ornáta bonis opéribus, cum sanctis ómnibus lætétur in cœlo. Rétrahat vos à malis opéribus vel peccatórum intéritus. Eórum quos jam præmisistis, atténdite calamitátes. Consideráte dívitum sepulcra, vel eórum qui ante parvum tempus vobiscum erant, quid fuérunt, vel quid sunt, vel quid eis divítiæ, vel cupíditas séculi profuérunt; ecce nihil ex eis nisi soli cíneres remansérunt: qui, si loqui possent, hæc vobis procul dúbio dícerent: Ut quid infelíces tantùm pro séculi cupiditáte discurritis? ut quid vos vítiis & crimínibus replétis? consideráte ossa nostra, ut vel sic vobis hórreat cupíditas vel miséria vestra. Quod vos estis, nos fúimus: quod nos sumus, vos éritis. Ista ómnia, fratres, sollícitâ consideratióne pensáte, & hæc considerantes expavéscite: diem mortis ante óculos semper pónite, & ad emendatiónem, quantùm potestis, festináte. Nolíte neglígere quòd vos pius Dóminus sústinet peccantes: quia quantò diútiùs expectat ut emendétis, tantò gráviùs vindicábit, si neglexéritis. Si fortè putátis quòd finis mundi tárdiùs véniat, vel unusquisque consideret suum finem.

Lectio iij.

Ecce, dùm libenter ac jucundíssimè morátur homo in mundo, multa

que in longo témpore dispónit agenda, repentè rápitur in mortem, & ex improvíso aufertur à córpore. Sed ille beatus est, qui ánteà semper horam illam habúerit ante óculos, & festináverit in illa hora mortis parátus inveníri, ut possit tanti metûs terrórem evádere. Quòd si vultis scire: Cum metu magno, caríssimi, magnisque dolóribus separátur ánima à córpore. Véniunt enim Angeli eam assúmere, ut perdúcant ante tribúnal metuendi júdicis: tunc & illa mémorans ópera sua mala, quæ die noctúque gessit, contremiscit & ingemiscit, & quærit ea fúgere, induciasque pétere, dicens: Date mihi vel uníus horæ spátium. Tunc, quasi simul loquéntia, ómnia ópera ejus dicunt: Tu nos egisti; tua ópera sumus; non te deserimus; sed tecum semper érimus, tecumque pergémus ad judícium. Hæc quidem peccatóris ánima agit; quæ cum horrendo timóre separátur à córpore, & pergit plena peccátis, & ingenti confusióne depressa. Justi verò ánima, cùm separátur à córpore, non timet, nec expavescit: sed magis cum gáudio egrédi-tur, & cum exultatióne

pergit ad Deum, tibus se Angeli[s] Illam ergo hora[m] fratres, timéte, timeátis: illam [n]cavéte, ut tunc s[e] possítis. Mement[o] ter, quia in médi[o] rum diáboli amb[ulatis] ídeò semper pará[ti] ut quando Dóm[inus] ceptum missum f[uerit] beri ab omni lab[ore] ad réquiem trans[eatis].

A D L A U [D E S]

Capitulum. Phi[l.]

Confídens ho[c] quia qui cœp[it in vo]bis opus bonum [per]ciet usque in die[m] Jesu: sicut est mi[hi] hoc sentíre pro vobis: eò quòd vos in corde, in [vinculis] ne & confirmatió[ne Evan]gélii, sócios gá[udii] omnes vos esse.

Hymnus.

Astris, E[...]
jam révocat
Quem terris plác[...]
búerat duce[m]
Tellus orba dole[t]
at novo
Exultat polus hó[...]
Qui tot lar[g...]
fudit egénti[...]
Thesauris frúitur [...]
piéntiæ:
Spretis delíciis [...]
cipit;

Spretis regnat honóribus.
Qui tot virgínibus constítuit domos,
Admisítque suis sédibus ádvenas,
Illum, Christe, memor, sidéreâ domo
Æterno récipis sinu.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus.
Fac nos, Elígio sub duce, fílios
Cœli præmia cónsequi. Amen.

℣. Non abscondi misericórdiam tuam, & veritátem tuam, ℟. A concílio multo. *Ps.* 59.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatátum est ad vos. *II. Corinth.* 6.

Oratio.

Deus, qui beátum Elígium, Pontíficem nostrum, misericórdiæ viscéribus implevisti; quæsumus ut quem, tuâ grátiâ, páuperum patrem effecisti, benignum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Capitulum. Hebr. 13.

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus, Eligi. *ut in I. Vesperis, p.* cxviij.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, ℟. Usque ad domum Dei. *Ps.* 41.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. a. Memória ejus in benedictióne est. Magnificávit eum Deus; glorificávit illum, & ostendit illi glóriam suam. *Eccli.* 45.

Oratio. Deus, qui, *ut suprà ad Laudes.*

PSALMI PŒNITENTIALES.

Ant. Dómine.

Psalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo,

lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meũ rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubescant valde velóciter.

Psalmus 31.

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes; * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum; * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversum me injustítiam meam Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxíllas eórum constringe * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à facie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis

fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corruptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem; * totâ die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus, * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum & humiliátus ſum nimis, * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt; derelíquit me virtus mea, * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi: * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagella parátus ſum, * & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus; * ne diſcéſſeris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Pſalmus 50.

Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuá-

rum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti; * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor; * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas deſe.

Cor mundum crea in me, Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui, * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique: * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Pſalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me; * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea, ſicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum ; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pelicáno solitúdinis : * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei ; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam ; * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes : * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion ; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine ; * & omnes reges terræ glóriam tuam ;

Quia ædificávit Dóminus Sion ; * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium ; * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera : * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminum ;

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram aspexit :

Ut audíret gémitus compeditórum ; * ut sólveret fílios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundasti : * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem pérmanes ; * & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur : * tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in séculum dirigétur.

Psalmus 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 142.

Domine, exaudi orationem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia:

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * & anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meã.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tri-

bulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Dómine, memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ SANCTORUM.

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili, redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginũ, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum spírituum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Sancte Jóachim, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb*). ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Xyste, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Blasi, ora.
Sancte Leodegári, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Cosma, ora.
Sancte Damiáne, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Maurici cum sóciis tuis, ora.
Sancte Nicási cum sóciis tuis, ora.
Sancte Quintíne cum sóciis tuis, ora.

Sancte Hippólyte cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Achári, ora.
Sancte Elígi, ora.
Repetitur.
Sancte Elígi, ora.
Sancte Mommoléne, ora.
Sancte Eunúci, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Albíne, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Francisce Saléfi, or.
Omnes sancti Pontífices, oráte pro nobis.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Fursæe, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Hermelande, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte pro nob.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Vanenge, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Justi, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Godeberta, ora.
Sancta Hunegundis, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Bathildis, ora.
Sancta Radegundis, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta María Ægyptia, or.
Omnes sanctæ Vírgines, Víduæ & Pœnitentes, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro nob.
Propítius esto; parce nobis, Dómine.
Propítius esto; exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A damnatióne perpétua, líbera nos, Dómine.
A subitánea & improvísa morte, líbera nos, Dómine.
A fúlgure & tempestáte, líbera nos, Dómine.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab omni immundítia men-

tis & córporis, líbera nos, Dómine.
Ab ira & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem & Circumcisiónem tuam, líbera.
Per Baptismum & sanctum Jejúnium tuum, líbera.
Per Passiónem & Crucem tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti Parácléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut pacem & sanitátem nobis dones, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctã régere & conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Domnum Apostólicum & omnes gradus Ecclesiásticos in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Pontíficem nostrum cum omni congregatióne sibi commissa conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Regem nostrum in salútem pópuli conserváre dignéris, te rogámus.
Ut cunctum pópulum Christiánum tuo pretióso sánguine redemptum régere & conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempiterna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. *usque ad* Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis, ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Orémus pro Pastóre nostro. ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Pro Rege nostro. ℟. Dómine, salvum fac Regem; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. 2. *Paral.*

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis & peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Psalm. Deus in adjutórium, *pag.* 118.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXaudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium districtè feriéndo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúses; ut, qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus,

pietátis tuæ grátiam sentiámus.

OMnipotens sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* & dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ: ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, (hostes superáre); & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat perveníre.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium subláta formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

OMnipotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ ómnium delictórum suórum véniam consequántur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui.

℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.



ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ,
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Sancta María, ora pro eo [*vel* ea].
Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro eo [*vel* ea].
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo [*vel* ea].
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes-Baptista, ora pro eo [*vel* ea].
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Eligi, ora.
Omnes sancti Pontífices, oráte.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo [*vel* ea].
Propitius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto; líbera eum [*vel* eam], Dómine.
Propítius esto; líbera eum [*vel* eam], Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.

Per Crucem & Passiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti Parácléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eleison.

Deinde cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur:

PRoficíscere, ánima christiána, de hoc mundo in nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit; in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est; in nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est; in nómine Angelórum & Archangelórum, in nómine Thronórum & Dominatiónum; in nómine Principátuum & Potestátum, in nómine Chérubim & Séraphim, in nómine Patriarchárum & Prophetárum, in nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum, in nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum, in nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum, in nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion; Per Christum Dóminum nostrũ. ℟. Amen.

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminũ culpas véniâ remissiónum evácuas, réspice propítius super * hunc fámulum tuum *N.* [*vel* hanc fámulam tuam *N.*] & remissiónem ómnium peccatórum suórum totâ cordis confessióne poscentem deprecátus exaudi. Rénova in * eo [*vel* ea] piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est; & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annecte. Miserére, Dómine, gemítuum; miserére lacrymárum ejus; & non habentem fidúciam nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admitte; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo, * caríssime frater [vel caríssima so-

ror,] & ei, cujus es creatúra, committo: ut, cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formávit, revertáris. Egredienti ítaque ánimæ tuæ de córpore ſpléndidus Angelórum cœtus occurrat: judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat; candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Confeſsórum turma circumdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; Beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te complexus adſtringat; mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpectus appáreat, qui te inter aſſiſtentes ſibi júgiter intereſſe decernat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in tormentis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis: in adventu tuo, te comitántibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus, & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei; & juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur ígitur & erubeſcant omnes tartáreæ legiónes, & miniſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt: líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Filius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſolvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemperque aſſiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus [*vel* Conſtitúta] ígitur inter ágmina Beatórum contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Suſcipe, Dómine, * ſervum tuum [*vel* ancillam tuam] in locum ſperandæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Enoch & Eliam de commú-

ni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti tres púeros de camíno ignis ardentis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti David de manu regis Saül, & de manu Góliæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam Theclam vírginem & mártyrem tuam de tribus atrocíſſimis tormentis liberaſti, ſic liberáre dignéris ánimam hujus * ſervi tui [*vel* ancillæ tuæ,] & tecum fácias in bonis cœléſtibus congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ,] precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut eam, propter quam ad terram deſcendiſti, Patriarchárum tuórum sínibus inſinuáre non rénuas. Agnoſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te, & non eſt ſecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpectu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum quas ſuſcitávit furor mali deſidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum non negávit, ſed crédidit; & zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Oratio.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine : sed secundùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiantur ei Cœli ; collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súscipe. Suscípiat eam sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœlestis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœlestem Jerúsalem. Suscípiat eam beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœlestis tráditæ sunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro ea sanctus Joannes, electus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro ea omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc século sustinuérunt ; ut vínculis carnis exúta, perveníre mereátur ad glóriam regni cœlestis, præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Psalmus Confitémini Dómino, quóniam bonus, quóniam, *pag.* 15. *& totus Psalmus* Beáti immaculáti, *per Horas Dominicæ distributus, pag.* 16.

Egressâ autem animâ, dicitur : ℟. In te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum : accélera ut éruas me. In manus tuas commendo spíritum meum : * Redemisti me, Dómine Deus veritátis : illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam], * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater noster.

Altâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua], Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi ; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut * defunctus [*vel* defuncta] ſéculo, tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſterge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.

Tum aſpergitur Corpus aquâ benedictâ.

OFFICIUM

DEFUNCTORUM.

Qualibet Hora ſequentis Officii incipitur abſolutè.

AD VESPERAS.

Ant. 3. c. O Dómine.

Pſalmus 114.

DIlexi; quóniam exaúdiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem ſuam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus; * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In hoc Officio, in fine omnium Pſalmorum & Canticorum dicitur:

Réquiem æternam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ant. 2. D. Heu mihi!

Psalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

Ant. 8. d. Auxílium.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 8. g. Si iniquitátes.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit?

Ant. 2. D. Opera.

Psalmus 137.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo,

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit; * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum ne despícias.

Continuò dicitur:

Ad Magníficat *Ant.* 1. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam foras. *Joann.* 6.

Kyrie, eléison. ℟. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater. *Clarâ voce*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória æterna erunt justi; ℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Ps.* 111.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra viventium. *Ps.* 26.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium

injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus diligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum & víduam suscípiet, * & vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula; * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Réquiem.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

In depositione Defuncti.

Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuá súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctórum tuórum júbeas esse consortem; Per Dóminum nostrum.

Pro Diacono, post litteram N. *additur* Diáconi.

In depositione Defunctæ.

Oratio.

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ. *N.* & à contágiis mortalitátis exútam in ætemæ salvatiónis partem restítue; Per Dóminum.

In depositione Sacerdotis.

Oratio.

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli fecisti dignitáte vigére: præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum nostrum.

Pro Episcopo, loco Sacerdotáli *dicitur* Pontificáli.

In Anniversariis dicuntur tres Orationes; scilicet. 1. Deus indulgentiárum, 2. Deus, véniæ largítor *vel* Miserére, 3. Fidélium.

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [Sacerdótis, *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N*]. cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis a-

mátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres, qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beátâ Maríâ ſemper vírgine intercedente cum ómnibus ſanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Alia Orat. pro Benefact.

MIſerére, quæſumus, Dómine, animábus ómnium benefactórum noſtrórum defunctórum; & de beneficiis quæ nobis largíti ſunt in terris, æterna præmia conſequantur in cœlis.

Pro omnibus Defunctis.

FIdélium, Deus, ómniũ cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Si aliud Officium non ſequatur, hæc Oratio finitur per iſtam concluſionem: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Requieſcant in pace.

℟. *Amen.*

[*Privatim pro patre & matre. Oratio.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepiſti, miſerére clementer animábus patris mei, ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gaúdio fac vidére; Per Dóminum].

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis in depoſitione corporis, & in omnibus Anniverſariis, ritu duplici celebrandis. In iis verò quæ ritu ſimplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. ſecundum; Feriâ IV. & Sabbato tertium.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Dómine.

Pſalmus 5.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine: * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem: * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuã; * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant: * júdica illos, Deus.

. Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Ant. Dómine, deduc me in justítia tua: propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ant. 8. g. Salvum me fac.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus de-

precatiónem meam : * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubeſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter miſericórdiam tuam, quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî.

Ant. 3. c. Illúmina.

Pſalmus 12.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem ? * úſquequò avertis fáciem tuam à me ?

Quámdiù ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me ? * réſpice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte : * nequandò dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero, * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo : cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confitentes tibi ; ℟. Et ánimas paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem. *Pſ.* 73.

Secretò. Pater. *Deinde altâ voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Abſolutione, & ſine Benedictionibus

De libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram ; & ſicut dies mercenárii dies ejus. Sicut ſervus desíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui ; ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes laborióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam : Quando conſurgam ? & rurſum expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris ; cutis mea áruit & contracta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm à texente tela ſuccíditur, & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe. Memento quia ventus eſt vita mea ; & non revertétur óculus meus, ut vídeat bona nec aſpíciet me viſus hóminis.

In fine Lectionum non additur Tu autem, *nec quidquam aliud.*

℟. j. Velóciter exaudi me, Dómine; quia defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita? Vapor est ad módicum parens. * Dies mei. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

Lectio ij. Cap. 17.

DIes mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es: Mater mea, & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, & patiéntiam meam quis consíderat? In profundíssimum infernum descendent ómnia mea: putasne saltem ibi erit réquies mihi?

℟. *ij.* Peccávi valde; sed *Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui; quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor, Dómine. *II. Reg.* 24. *Luc.* 18.

Lectio iij. Cap. 19.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum; & derelícta sunt

tantúmmodò
dentes meos.
meî, miserémi
tem vos amíci
manus Dómin
Quare persequ
cut Deus, & c
saturámini? Q
buat ut scriba
nes mei? Quis
exarentur in lib
reo, & plumbi
celte sculpantu
Scio enim qu
ptor meus viv
víssimo die de
ctúrus sum: &
círcumdabor pell
carne mea vi
meum. Quem
ego ipse, & óc
spectúri sunt,
repósita est ha
in sinu meo.

℟. *iij.* Non
dícium cum ser
mine; * Quia
cábitur in co
omnis vivens.
vix salvábitur
peccátor ubi
* Quia non ju
Ps. 142. *I. Pet*

IN II. NOC

Ant. 6. F. In

Psalmu

DOminus r
nihil mihi
loco páscuæ ib
cávit.

Super aquam

educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine. *Ps.* 22.

Ant. 8. g. Delicta.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubescam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univérsi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dirige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totá die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sǽculo sunt.

Delicta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício, * docébit mitès vias suas.

Ant. Delicta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris. *Ps.* 24.

Ant. 4. a. Vide.

Divisio Psalmi 24.

UNiversæ viæ Dómini misericórdia & véritas * requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis de-

morábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * & testamentum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt; * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum, * & dimitte universa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam & érue me; * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Vide humilitátem meam, & labórem meum, & dimitte universa delícta mea. *Ps.* 24.

℣. Ne avertas fáciem tuam à me; ℟. Ne declínes in ira à servo tuo. *Ps.* 26.

Pater noster, *secretò.*

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. de Dormient. Edit. Bened. §. 1. & 2. *Lectio iv.*

DEus corpus dissolvit, & in illo habitantem ánimam priùs edúcit ceu ex domo quápiam; ut pòst in eamdem magnificéntiùs constructam domum ánimam cum majóri glória redúcat..... Ne ítaque intueáris eum cujus clausi sunt óculi, qui mutus jacet; sed eum qui resurget, & accípiet glóriam ineffábilem & stupendam mirabilemque; atque à præsenti hujúsmodi aspectu cogitatiónes transfer in spem futúram. At ejus consuetúdinem requíris, ideóque ingemiscis ac luges... Et quómodo, ínquies, homo cùm sim, possim non mœrére? Neque ego id póstulo: non mœrórem veto, sed mœróris vehementiam. Mœrére namque natúræ est; sed ultra modum mœrére furóris, insániæ, mulíebrisque ánimi. Mœre, lacrymáre; sed ne ægrè molestéque feras; ne indignéris. Grátias age ei qui ábstulit, ut defunctum exornes, ejusque fúneri hæc justa spléndidè persolvas, ipsíque mittas.

℟. *iv.* Deus meus, ne síleas à me; * Ne simul trahas me cum peccatóribus; & cum operántibus iniqui-

[redacted]

tátem ne perdas me. ℣. Pars illórum erit in stagno ardenti igne & sulphure. * Ne simul. *Ps.* 27. *Apoc.* 21.

Lectio v. §. 2. & 3.

MOrs quies est, & à sudóribus curisque seculáribus liberátio. Cùm ígitur ex propinquis áliquem víderis hinc abeuntem, ne indignè feras: sed compúngere, ad teipsum redi, consciéntiam scrutáre; hoc consídera brevi parem tibi subeundum esse finem. Temperántior esto, & altérius morte timére disce. Ignáviam omnem præcíde, facta tua expende, erráta córrige, óptimam fac morum mutatiónem.... Cógita ad quem abíerit, & consolatiónem áccipe. Eò scílicet ubi Paulus est, ubi Petrus, ubi Sanctórum chorus omnis. Cógita quómodo resurrectúrus sit, cum quanta glória & splendóre. Animo répu ta, te fletu & lácrymis in re illa nihil immutatúrum, vel emendatúrum; sed tibi ipsi damnum ingens allatúrum. Cógita, cùm id facis, quos imitéris, & fuge consórtium in peccátis hujúsmodi. Quos ergo imitáris? Quos æmuláris? Infidéles, qui spem non habent; quemádmodùm & Paulus dixit: Ut non contristémini sicut & céteri qui spem non habent.

℟. ℣. Ego ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum: consurgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem fílium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

Lectio vj. Homil. 41. *in I. Corinth.*

SI amícus tuus excessit, oportet, quoad fíeri potest, te ei succúrrere, non lácrymis, sed précibus, sed eleemósynis, sed oblatiónibus. Non sunt enim hæc témerè excogitáta, neque frustrà eórum qui excessérunt, in divínis mystériis memínimus, & pro ipsis accédimus rogantes Agnum propósitum, qui mundi peccátum tulit; sed ut inde eis áliqua sit consolátio. Nec abs re is qui astat altári, dum veneranda peraguntur mystéria, clamat: Pro ómnibus qui in Christo dormiérunt, & iis qui ipsórum célebrant memóriam. Proptéreà fidenter pro orbe terræ tunc rogámus, & eos cum Martyribus nominámus, cum Confessóribus, cum Sacerdótibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidióra; & fieri potest ut véniam eis om-

ni ex parte conciliémus, & à précibus, & à donis quæ pro iis offeruntur, & ab iis qui cum ipsis nominantur. Cur ergo doles? Cur luges & lamentáris? quando defuncto potest tanta conciliári vénia.

℞. *vj.* Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium. * Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo. ℣. Jesu, Fili David, miserére meî. * Educ. *Ps.* 141. *Marc.* 10.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Unam pétii.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea & salus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas;

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo; * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo & psalmum dicam Dómino.

Ant. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

Ant. 4. f. Credo.

Divisio Psalmi 26.

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te; * miserére meî & exaudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me; * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua, * & diri-

[redacted]

ge me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspecta Dóminum, viríliter age ; * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terrá vivéntium. *Ps.* 26.

Ant. 8. d. Sitívit.

Psalmus 41.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est ; * proptéreà memor ero tuî de terrá Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî, * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum.

quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Ps.* 41.

℣. Quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 41.

Pater noster. *secretò.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio vij. Cap. 15.

SI Christus prædicátur quòd resurrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis: Quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est; neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra: invenímur autem & falsi testes Dei; quóniam testimónium díximus adversùs Deum, quòd suscitáverit Christum quem non suscitávit, si mórtui non resurgunt. Nam si mórtui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium: quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

℟. *vij.* Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: * Et in carne mea vidébo Deum meũ. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et. *Job.* 19. *I. Cor.* 15.

Lectio viij.

SEd dicet áliquis: Quómodò resurgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi priùs moriátur? Et quod séminas, non corpus quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut puta trítici, aut alicújus ceterórum: Deus autem dat illi corpus sicut vult; & unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria: sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium: ália clá-

ſolis, ália cláritas lu-
& ália cláritas ſtellá-
; ſtella enim à ſtella
rt in claritáte. Sic &
réctio mortuórum. Se-
tur in corruptióne,
:t in incorruptióne: ſe-
.tur in ignobilitáte,
:t in glória: ſeminá-
n infirmitáte, ſurget
rtúte: ſeminátur cor-
nimále, ſurget corpus
:ále.

viij. Qui dórmiunt
rræ púlvere, * Evigi-
ıt; álii in vitam ætér-
, & álii in oppróbrium.
rocédent qui bona fe-
ıt, in reſurrectiónem
: qui verò mala egé-
, in reſurrectiónem ju-
. * Evigilábunt; álii.
iel. 12. *Joann.* 5.

Lectio ix.

:ce myſtérium vobis di-
ɔ: Omnes quidem re-
:mus, ſed non omnes
ıtábimur. In momen-
n ictu óculi, in noviſſi-
ıba: canet enim tuba,
órtui reſurgent incor-
: & nos immutábimur.
rtet enim corruptíbile
ndúere incorruptióné,
ɔrtále hoc indúere im-
alitátem. Cùm autem
ále hoc indúerit im-
alitátem, tunc fiet ſer-
|ui ſcriptus eſt: Abſor-
eſt mors in victória.
eſt, mors, victória
Ubi eſt, mors, ſtímu-
lus tuus? Stímulus autem mortis peccátum eſt: virtus verò peccáti, lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque, fratres mei dilecti, ſtábiles eſtóte & immóbiles: abundantes in ópere Dómini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

℟. *ix.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non absórbeat me profundum; neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. * Exaudi me, quóniam * Benigna eſt miſericórdia tua: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miſerére meî, Dómine, fili David: Dómine, ádjuva me. * Exaudi me. ℣. Dómine Deus, Rex ſeculórum, ſolus pius es. * Benigna eſt. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemiſti nos Deo in ſánguine tuo. * Intende ánimæ. *Pſ.* 68. *Matth.* 15. *Apoc.* 15. *Apoc.* 5.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Secundùm.

Pſalmus 50.

Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab ini-

quitáte mea ; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci, * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti ; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor : * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum sanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique : * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meã. *Ps.* 50.

Ant. 8. g. Exaudi.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos ; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti & assumpsisti ! * inhabitabit in átriis tuis.

Replébimur in bonis do-

mûs tuæ : * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter ; * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ : * qui conturbas profundum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam : * multiplicaſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis : paraſti cibum illórum ; * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus ; * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ, * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pingueſcent ſpecióſa deſerti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento : * clamábunt ; étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi, Deus, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet. *Pſ.* 64.

Ant. 4. E. Propter.

Pſalmus 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam : áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua ; * exaudi me in tua juſtítia.

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos séculi, * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus ; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine : * defécit ſpíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere

voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meá, * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me. *Ps.* 142.

Ant. 2. D. Miserére.

Canticum. Baruch. 3.

Dómine omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te.

Audi, Dñe, & miserére, * quia Deus es misericors.

Et miserére nostrî, * quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * & nos peribímus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel.

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; * sed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto.

Quia tu es Dóminus Deus noster, * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miserére nostrî, Dómine, quia peccávimus ante te. *Bar.* 3.

Ant. 7. b. Omnis.

Psalmus 150.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in týmpano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis bene sonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum. *Ps.* 150.

Ad Benedictus *Ant.* 1. 2. Ego sum resurréctio, & vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joann.* 11.

Pater. *& cetera ut supra in* Vesperis, *excepto quòd loco* Psalmi Lauda, *anima, dicitur* Psal. De profundis.

IN ANNIVERSARIIS DEFUNCTORUM.

Omnia ut in Officio præcedenti, exceptis quæ sequuntur.

AD VIGILIAS.

In Anniversariis solemnibus, si fiunt cum tribus Nocturnis, Lectiones dicentur infrà.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

PArce mihi; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi? nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: &, si manè me quæsíeris, non subsístam.

℟. j. Velóciter exaudi me, p. cxliv.

Lectio ij. Cap. 10.

MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu: & sic repentè præcípitas me? Meménto, quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me? & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestísti me: óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. ij. Peccávi valde, p. cxliv.

Lectio iij. Cap. 13.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta? scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscondis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, ostendis poténtiam tuam, & stípulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti: qui quasi putrédo consumendus sum, & quasi vestimentum quod coméditur à tínea.

℟. *iij.* Non intres in judícium, *p.* cxliv.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Enchirídii sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. Cap. 109.

NEque negandum est defunctórum ánimas pietáte suórum vivéntium relevári, cùm pro illis sacrifícium Mediatóris offertur, vel eleemósynæ in Ecclésia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui, cùm víverent, ut hæc sibi pósteà possent prodesse, meruérunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requírat ista post mortem: nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requírat: & est rursùs talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vita transíerit, adjuvári. Quocircà hîc omne méritum comparátur, quo possit post hanc vitam relevári quíspiam, vel gravári. Nemo autem se speret, quod hîc neglèxerit, cùm obíerit, apud Deum promeréri.

℟. *iv.* Deus meus, ne síleas, *p.* cxlvj.

Ex libro primo Officiórum sancti Isidóri, Hispalensis Epíscopi.

Lectio v. Cap. 18.

SAcrifícium pro defunctórum fidélium réquie offerri, vel pro eis orári, quia per totum, hoc, orbem custóditur, crédimus quòd ab ipsis Apóstolis tráditum sit. Hoc enim ubíque Cathólica tenet Ecclésia: quæ nisi créderet fidélibus defunctis dimitti peccáta, non pro eórum spirítibus vel eleemósynam fáceret, vel Deo sacrifícium offerret. Nam & cùm Dóminus dicit: Qui peccáverit in Spíritum sanctum, non remittétur ei, neque in hoc sǽculo, neque in futúro; demonstrat quibusdam illìc dimittenda peccáta, & quodam purgatório igne purganda.

℟. *v.* Ego ad Dóminum aspíciam. *p.* cxlvij.

Ex Testamento sancti Ephrem, Diáconi Edesséni.

Lectio vj. Ex Edit. Rom. anni 1743. *tom.* 2. *p.* 395.

VOs volo, Fratres mei, commonefácere, docére atque adhortári ut memóriam meî in vestris oratiónibus ac précibus faciátis... Ne me cum aromátibus sepeliátis, non enim hic mihi honor prodest: neque mecum suáves odóres ponátis; non enim decet me glória: sed thura date in sanctuário; me autem oratiónibus vestris comitémini. Arómata offerte Deo, & psalmis me

quámini. Pro odóri-
aromátibus, meî me-
m in vestris depre-
ibus perágite : quid
nórtuo próderit suá-
lor jam sensu caren-
.. Accédite, Fratres,
endentes compónite
.. Viáticum suppe-
mihi in oratiónibus,
lmis & oratiónibus.
iando diem trigési-
complévero, meî me-
m, Fratres, fácite ;
i enim eâ oblatióne
tur quam viventes
it.... Si viri Matha-
qui in mystério res
e gestas detinébant,
eórum qui in bello
rant, cùm essent opé-
uis gentílium labe in-
ti, in oblatiónibus
árunt; quantò magis
dótes Fílii Dei in san-
blatiónibus suis, &
precatiónibus linguá-
uárum, mortuórum
sólvere póterunt?
Clamávi, *p.* cxlviij.

III. NOCTURNO.

Epístola beáti Pauli
óstoli ad Romános.

ectio vij. *Cap.* 8.

Uòd si Spíritus ejus
qui suscitávit Jesum
rtuis, hábitat in vo-
qui suscitávit Jesum
tum à mórtuis, viví-
t & mortália córpora
propter inhabitan-
píritum ejus in vobis.
Ergo, Fratres, debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt fílii Dei.

℟. *vij.* Scio quòd, *p.* cl.

Lectio viij.

NOn sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat. Vanitáti enim creatúra subjecta est non volens, sed propter eum qui subjécit eam in spe : quia & ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quòd omnis creatúra ingemíscit, & párturit usque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primítias spíritûs habentes ; & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis nostri : spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ vidétur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non vidémus sperámus, per patiéntiam expectámus.

℟. viij. Qui dórmiunt, pag. clj.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio ix. Cap. 15.

OPortet Christum regnáre, donec ponat Pater omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors; ómnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei; sine dúbio præter eum qui subjécit ei ómnia. Cùm autem subjecta fúerint illi ómnia, tunc & ipse Fílius subjectus erit ei qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizantur pro mórtuis, si omnínò mórtui non resúrgunt? ut quid & baptizantur pro illis? ut quid & nos periclitámur omni horâ? Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. ix. Líbera, p. clj.

In Anniversariis minùs solemnibus, quæ sunt tantùm trium Lectionum, dicitur unicum Nocturnum & sumentur Antiphonæ, Psalmi, Versus & Responsoria ex Officio præcedenti secundùm Feriam.

FERIA II. ET V.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperire óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immundo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. j. Velóciter, p. cxliv.

Ex Catechési sancti Cyrilli, Hierosolymitáni Epíscopi.

Catech. 23. Mystag. 5. Edit. Bened. §. 9. & 10. Lectio ij.

PRo ómnibus qui inter nos vitâ functi sunt, orámus: máximum hoc credentes adjumentum illis animábus fore, pro quibus orátio defertur, dum sancta & perquàm treménda coràm jacet Victima. Hujus rei fidem vobis ab exemplo fácere vo-

lo. Novi enim multos ita dícere : Quid juvat ánimam ex hoc mundo in peccátis, seu sine peccátis decedentem, si ejus in oratióne méntio fiat? An verò, si Rex quíspiam viros à quibus offensus fuerit, relegárit in exilium; posteáque illi ad quos áttinent, corónam plectentes, eam Regi pro suis pœnâ ab ipso affectis obtúlerint; nonne ipsis suppliciórum relaxatiónem gratificatúrus est? Ad eumdem modum & nos pro defúnctis, etiamsi peccatóres sint, preces Deo offerentes, non corónam pléctimus; sed Christum mactátum pro peccátis nostris offérimus, clementem Deũ cùm pro illis, tùm pro nobis demeréri & propitiáre satagentes.

℟. *ij*. Peccávi, *p*. cxliv.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iij. Cap. 3.

FUndamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. ... erit. Dies enim Dómini declarábit; quia in igne revelábitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℟. *iij*. Non intres, *p*. cxliv.

FERIA III. ET VI.

De Libro secundo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 12.

VIr fortíssimus Judas hortabátur pópulum conserváre se sine peccáto, sub óculis videntes quæ facta sunt pro peccátis eórum qui prostráti sunt. Et factâ collatióne, duódecim míllia drachmas argenti misit Jerosólymam, offerri pro peccátis mortuórum sacrificium, benè & religiósè de resurrectióne cógitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur & vanum oráre pro mórtuis; & quia considerábat quòd hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur.

Ex Libro sancti Epiphánii Epíscopi, de hærésibus.
Lectio ij. Hæres. 75. Sect. 7. & 8.

QUod spectat ad ritum illum, quo mortuórum nómina pronuntiantur, quid eo esse potest utílius? Quid opportúnius, aut admiratióne dígnius? Nempe ut qui adsunt, certíssimè sibi persuádeant mórtuos vívere, nec in níhilum redactos esse; sed exístere adhuc, atque apud Dóminum vívere; tùm ut religiosíssimum illud dogma prædicétur, quo qui pro frátribus precantur, benè de illis speráre constat quasi péregrè profectis. Céterùm quæ pro mórtuis concipiuntur preces, iis útiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant... Nam & justórum páriter & peccatórum mentiónem fácimus: peccatórum quidem, ut iis à Dómino misericórdiam implorémus: justórum autem, ut Dóminum Jesum Christum singulári quodam honóre prosequentes, ab ceterórum hóminum órdine segregémus..... Necessáriò fácere illud Ecclésiam dico, quæ tráditum sibi ritum illum à majóribus accéperit.

℟. *ij.* Ego ad Dóminum, *pag.* cxlvij.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.
Lectio iij. Cap. 5.

SCimus, fratres, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætemam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes..... Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præsentes esse ad Dóminum. Et ídeò contendimus, sive absentes, sive præsentes placére illi. Omnes enim nos manifestári oportet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquisque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. *iij.* Clamávi, *p.* cxlviij.

FERIA IV.
ET SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.
Lectio j. Cap. 37.

FActa est super me manus Dómini, & eduxit me in spíritu Dómini; & dimísit me in médio campi qui erat plenus óssibus; & circumduxit me per ea in gyro. Erant autem multa valdè super fáciem campi, siccaque vehementer Et dixit ad me: Fili hómi-

ɔutasne vivent ossa
Et dixi : Dómine
tu nosti. Et dixit ad
aticináre de óssibus
: dices eis : Ossa ári-
ıdíte verbum Dómi-
ec dicit Dóminus
ssibus his : Ecce ego
ittam in vos spíri-
x vivétis ; & dabo
os nervos , & suc-
: fáciam super vos
, & superextendam
is cutem , & dabo
ıíritum & vivétis, &
ȷuia ego Dóminus.
Scio quòd, *p.* cl.
ro quarto Dialogó-
sancti Gregórii
Magni.
tio ij. Cap. 39.
quibusdam lévibus
lpis esse ante judí-
urgatórius ignis cre-
est , pro eo quòd
dicit : Si quis in
m sanctum blasphé-
díxerit , neque in
culo remittétur ei ,
in futúro. In qua
ia datur intélligi ,
m culpas in hoc sé-
quasdam in futúro
axári. Quod enim
ɔ negátur , cónse-
intellectus patet ,
uibusdam concédi-
l tamen hoc de par-
inimisque peccátis
ısse credendum est.
cuncta étiam post
ı gravant , si adhuc
in hac vita pósitis mínimè
fúerint relaxáta.

℟. *ij.* Qui dórmiunt , *pag.* clj.

De Epístola prima beáti
Pauli Apóstoli ad
Thessalonicenses.

Lectio iij. Cap. 4.

Nolumus vos ignoráre , Fratres , de dormiéntibus , ut non contristémini sicut & céteri qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est & resurrexit , ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum , addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini , quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini , non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu , & in voce Archángeli , & in tuba Dei descendet de cœlo : & mórtui qui in Christo sunt , resurgent primi. Deinde nos qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áera ; & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. *iij.* Líbera me , Dómine , ab iis qui odérunt me. Non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum. Exaudi me , quóniam be-

nigna est misericórdia tua: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David: Dómine, ádjuva me. * Intende ánimæ meæ. *Ps.* 68. *Matth.* 15.

Ad Laudes ut suprà, pag. clj. *& seq.*

COMMENDATIONES DEFUNCTORUM.

Quando pro pluribus fiunt, dicuntur Orationes in plurali.

℟. Dómine Deus, audi nunc oratiónē mortuórum Israel, qui peccavérunt ante te. Noli meminisse iniquitátum patrū nostrórum, sed * Meménto manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Meménto. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Absolutè sine Orémus.

Oratio.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus (*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta) século tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Misericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis afféctu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus. Tamen de tua confísi gratúita pietáte & ineffábili bonitáte, cleméntiam tuam depóscimus, ut ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* ad te reverténtem cum benignitáte suscípias. Adsit ei Angelus testaménti tui Míchael, & per manus sanctórum Angelórum tuórum inter sanctos & eléctos tuos, in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris, quátenùs liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis, seu fragilitátis confundátur erróribus; sed agnoscátur à Sanctis tuis, & sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur; ut cùm magni judícii dies advénerit, inter sanctos & eléctos tuos * resuscitátus, (*vel* resuscitáta) gloriâ maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuò satiétur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus In éxitu Israel de Ægypto, *pag.* 30, *in cujus fine*, Réquiem, &c. *& posteà dicitur:*

, 2. D. Qui timent
ıum, ſperavérunt in
ıo; adjútor eórum
ıtector eórum eſt.
3.

Oratio.

nípotens ſempiter-
: Deus, qui humá-
pori ánimam ad ſi-
linem tuam inſpi-
gnátus es; dum, te
:, pulvis in púlve-
vértitur, tu imági-
am, cum ſanctis &
uis, sédibus æternis
ias ſociári; eamque
vertentem de Ægy-
tibus blandè leni-
ſuſcípias, & Ange-
ſanctos ei óbviam
: viamque illi juſtí-
nonſtra, & portas
tuæ áperi. Repelle,
nus, Dómine, ab ea
príncipes tenebrá-
& agnoſce depóſi-
éle quod tuum eſt.
:, Dómine, creatú-
ım, non à diis alié-
ıtam, ſed à te ſolo
ivo & vero; quia
t álius Deus præter
nine; & non eſt ſe-
ı ópera tua. Lætífi-
:mentíſſime Pater,
n ejus, & clarífica
multitúdine miſe-
e tuæ. Ne meméne-
æſumus, iniquitá-
s antiquárum, quas
rit furor mali defi-
icèt enim peccáve-
rit, tamen te non negávit;
ſed ſigno fidei inſignita,
te, qui ómnia, & eam inter
ómnia feciſti, fidéliter
adorávit; Qui vivis & regnas
Deus. ℟. Amen.

Pſal. Dilexi, *pag.* 150.
Crédidi, 109. Laudáte Dóminum,
omnes gentes,
141. Confitémini, 15. *Totus
Pſalmus*, Beáti immaculáti,
*in Horas Dominicæ
diſtributus*, 16. *In fine ultimi
Pſalmi*, Réquiem,
&c. *& poſteà dicitur :*

Ant. 8. g. Circumdedérunt
me dolóres mortis;
& perícula inferni invenérunt
me. O Dómine, líbera
ánimam meam. *Pſ.* 114.

Oratio.

DIri vúlneris novitáte
perculſi, & quodámmodo
córdibus ſauciáti,
miſericórdiam tuam, mundi
Redemptor, flebílibus
vócibus implorámus; ut
ánimam * fámuli tui (*vel*
fámulæ tuæ) *N.* ad tuam
cleméntiam, qui fons pietátis
es, reverténtem blandè
leniterque ſuſcípias; &
quas ex carnáli contagióne
contraxit máculas, tu, Deus,
inólitâ bonitáte clementer
déleas, piè indúlgeas,
oblivióni in perpétuum
tradas: atque hanc, laudem
tibi cum céteris redditúram,
& ad corpus próprium
quandóque reverſúram,
Sanctórum tuórum

cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus, per ómnia sǽcula seculórum. ℟. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster. *secretò.*

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Clamávi ad te, Dómine: dixi: Tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

℣ Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo; ℟. Me expectant justi, donec retríbuas mihi. *Ps.* 141.

℣. Custódi ánimam meā & érue me, ℟. Non erubescam, quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis; Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem; præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* terrénis exúta contágiis in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

BEnedícite. ℟. Dóminus.
℣. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat, &c.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Oratio.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

ictio. Mensæ cœ-
rtícipes fáciat nos
rnæ glóriæ.
nen.
e *Lectionis dicitur:*
utem, Dómine,
: nostrî.
eo grátias.
IARUM ACTIO
st prandium.

enedixit mensam,
℣. Confiteantur ti-
nine, ómnia ópera
Et sancti tui bene-
ibi. *Ps.* 144.
lória Patri. ℟. Si-
:. *Posteà dicit:*
imus tibi grátias,
nípotens Deus, pro
s benefíciis tuis;
is & regnas in sécu-
órum. ℟. Amen.
de alternatim dici-

Psalmus 116.

láte Dóminum, om-
gentes: * laudáte
mnes pópuli.
niam confirmáta est
os misericórdia e-
& véritas Dómini
in ætérnum.
ia Patri, &c.
e, eléison. Christe,
Kyrie, eléison.
: noster. *secretò us-*
℣. Et ne nos indú-
ntatiónem ℟. Sed
nos à malo.
persit, dedit paupé-
℟. Justítia ejus ma-

net in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Aúdiant mansuéti, & læténtur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc & usque in séculum. *Ps.* 110.

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Submissiori voce: Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ
ante cœnam.

Benedícite. ℟. Dóminus. ℣. Edent paúperes & saturabuntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat, &c.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater noster, &c.

Clarâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed libera nos à malo.

Oratio.

Benedic, Dómine, dona † tua quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum.

Ad Lect. Benedict. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post cœnam.

Qui benedixit mensam, dicit:

Memóriam fecit mirabílium suórum, *& alii prosequuntur*, Miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. *Posteà dicit:*

Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, &c. *ut suprà, pag.* clxv.

IN JEJUNIIS.

Ad refectionem fit Benedictio mensæ, & Gratiarum actio, ut notatum est pro cœna.

ITINERARIUM.

Viator in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat in singulari, si cum sociis, in plurali, ea quæ sequuntur.

Canticum, Benedíctus Dóminus, *pag.* 14.

Ant. 5. C. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte & gaúdio revertámur ad própria.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto, ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus

ıotídie, ℟. Prósperter fáciat nobis Deus ırium nostrórum. *Ps.*

Vias tuas, Dómine, nstra nobis; ℟. Et sétuas édoce nos. *Ps.*

Utinam dirigantur ıostræ, ℟. Ad custoaş justificatiónes tuas. 18.

Erunt prava in díre- ℟. Et áspera in vias ıs. *Is.* 40.

Angelis suis Deus lávit de te, ℟. Ut cuınt te in ómnibus viis *Ps.* 90.

Dómine, exaudi,

Oratio.

Eus, qui fílios Israel per maris médium sicstígio ire fecisti, quiMagis iter ad te, stellâ, pandisti; tríbue noquæsumus, iter pióım, tempusque tranum; ut, Angelo tuo :o cómite, ad eum quò imus locum, ac deı ad ætérnæ salútis porpervenire felíciter vaus.

Eus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chalum eductum, per omsuæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris. Esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.



PRÆPARATIO AD MISSAM

AD LIBITUM SACERDOTIS.

Ps. 83. Quàm dilecta, *pag.* 106.

Ps. 84. Benedixisti, *p.* 98.

Ps. 85. Inclina, *p.* 154.

Ps. 115. Crédidi, *p.* 109.

Ps. 129. De profundis, *p.* 129.

Ant. Dómine, memor esto meî; & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Ego dixi; Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine: úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 13.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 110.

Oratio.

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclina précibus nostris, & gratiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis digné ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

Deus, qui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfecté dilígere, & digné laudáre mereámur.

Ure igne sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclétus qui à te procedit, illúminet, & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adversis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuisti, da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.



GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Cant. 3 puer. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Domino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, universa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dño.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur :*

Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu : * laudémus, & superexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es, Dómine, in firmamento cœli ; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus ; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis ;* omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto,

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum.

Amen.

Ant. Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : laudáte & superexaltáte eum in sécula.

P R E C E S.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, qui es in cœlis : sanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra : panem nostrum quotidiánum da nobis hódie : & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris : & ne nos indúcas in tentatiónem ; sed líbera nos à malo. Amen.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. Exultábunt sancti in glória ; ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. *Ps.* 149.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti ; sed, cum divíni frequentatióne mystérii, crescat nostræ salútis effectus.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirando præveni, & adjuvando proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus, ut qui officium Sacerdotále ſuſcépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte &
conſciéntia bona fa
valeámus: &, ſi non
mus in tanta innocé
tæ conversári, ut del
concéde nobis tamen
flere mala quæ fécim
in ſpíritu humilitátis
næ voluntátis propóſ
bi fervéntiùs de céte
ſervíre; Per Chriſtum
minum noſtrum.

Amen.



LITANIÆ

SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis ætérnæ,
Jesu, Rex glóriæ,
Jesu, sol justítiæ,
Jesu, Fili Maríæ Vírginis,
Jesu admirábilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futúri sǽculi,
Jesu, magni Consílii Angele,
Jesu potentíssime,
Jesu patientíssime,
Jesu obedientíssime,
Jesu mitis & húmilis corde,
Jesu, amátor castitátis,
Jesu, amor noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitæ,
Jesu, exemplar virtútum,
Jesu, zelátor animárum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refúgium nostrũ,
Jesu, Pater páuperum,
Jesu, thesaurus Fidélium,
Jesu, bone Pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapiéntia ætérna,
Jesu, bónitas infiníta,
Jesu, via & vita nostra,
Jesu, gáudium Angelórum,
Jesu, Rex Patriarchárum,
Jesu, magister Apostolórum,
Jesu, doctor Evangelistárum,
Jesu, fortitúdo Mártyrum, miserére nobis.
Jesu, lumen Confessórum, miserére nobis.
Jesu, púritas Vírginum, miserére nobis.
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, miserére nob.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.
Propítius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, libera nos Jesu.

(Miserére nobis.)

Ab omni peccáto, líbera nos, Jesu.
Ab ira tua, líbera nos, Jesu.
Ab insídiis diáboli, líbera nos, Jesu.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Jesu.
A morte perpétua, líbera nos, Jesu.
A neglectu inspiratiónum tuárum, líbera nos, Jesu.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera nos, Jesu.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jesu.
Per Infántiam tuam, líbera nos, Jesu.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera nos, Jesu.
Per labóres tuos, líbera.
Per agóniam & passiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per crucem & derelictiónem tuam, líbera nos.
Per languóres tuos, líbera nos, Jesu.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera nos, Jesu.
Per Resurrectiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per Ascensiónem tuam; líbera nos, Jesu.
Per gáudia tua, líbera nos, Jesu.
Per glóriam tuam, líbera nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
℣. Confitébimur tibi, Deus, ℟. Et invocábimus nomen tuum. *Ps.* 74.

Oratio.

Domine Jesu, cujus Nomen nemo dicere potest nisi in Spiritu sancto: concéde, quæsumus, ut, in eódem Spíritu sanctíssimum Nomen tuum invocantes, salvos fácias à peccátis; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs sancti, Deus; Per, &c.



LITANIÆ
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miſerére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte, Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix,
Sancta Virgo Vírginum,
Mater Chriſti,
Mater divínæ grátiæ,
Mater puríſſima,
Mater caſtíſſima,
Mater inviolàta,
Mater intemeráta,
Mater amábilis,
Mater admirábilis,
Mater Creatóris,
Mater Salvatóris,
Virgo prudentíſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidélis,
Spéculum juſtítiæ,
Sedes Sapiéntiæ,
Cauſa noſtræ lætítiæ,
Vas ſpirituále,
Ora pro nobis.
Vas honorábile, ora pro nobis.
Vas inſigne devotiónis, ora pro nobis.
Roſa myſtica,
Turris Davídica,
Turris ebúrnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Jánua cœli,
Stella matutína,
Salus infirmórum,
Ora pro nobis.
Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Conſolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Chriſtianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora pro nobis.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, ora pro nobis.
Regína Apoſtolórum, ora pro nobis.
Regína Mártyrum, ora pro nobis.
Regína Confeſſórum, ora pro nobis.
Regína Vírginum, ora pro nobis.
Regína Sanctórum ómnium, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti, tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Amen.



INDEX PSALMORUM.



INDEX CANTICORUM

INDEX CANTICORUM.



INTONATIONES,

MEDIATIONES, TERMINATIONES

ET NEUMATA

OCTO TONORUM.





INTONATIONES,

MEDIATIONES, TERMINATIONES

ET NEUMATA OCTO TONORUM.

In hocce Breviario, ad Antiphonas quisque Tonus suo numero notatur: variæ etiam cujusque Toni Terminationes seu Modi suis litteris designantur. Duplex Modus, completus scilicet & incompletus. Modus completus ille est qui in singulis Psalmi versibus desinit in legitimam Toni sui finalem; incompletus verò, qui, non in Psalmi versibus, sed in sola Antiphona perfectè terminatur.

In singulis Tonis tria sunt observanda: Intonatio, Mediatio & Terminatio.

INTONATIO in Psalmis adhibetur tantùm ad primum Versum; reliqui Versus à nota dominante in directum inchoantur: In Canticis verò *Benedictus* & *Magnificat* (quando pulsantur Organa,) Versus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

MEDIATIO fit in omnibus Versibus Psalmorum & Canticorum eodem modo quo fit in primo Versu, nisi dictio sit monosyllaba, vel Hebræa non declinata; tunc enim fit ut notatur in sequenti Tonorum Tabula.

TERMINATIO in omnibus Versibus, tam Canticorum quàm Psalmorum, semper eadem est ac in primo Versu. Omnis Terminatio ideò per litteras alphabeticas designatur, quia hæ litteræ notis Cantûs respondent, ut sequens earum ordo indicat.

A	B	C	D	E	F	G
Mi	Fa	Sol	La	Si	Ut	Re
La	Si	Ut	Re	Mi	Fa	Sol

JUBILUM est sonus quidam significans cor parturire quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim est, quem fari non potes: & si eum fari non potes, & tacere non debes, quid restat nisi ut jubiles? ut gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum?

Benè cantate ei in jubilatione.

S. Aug. Enarr. II. in Psalm. 32.

Nunquam fit Neuma, seu Jubilum, nisi:

1° In Annualibus & Duplicibus primæ, secundæ & tertiæ Classis, post ultimam Antiphonam seu Vesperarum, seu cujusque Nocturni, seu Laudum, & post Antiphonas Canticorum Evangelicorum;

2° In aliis Duplicibus & Semiduplicibus, post Antiphonas eorumdem Canticorum.




TONUS

TONUS I.

Duæ claves, sic & duæ litteræ, significant Tonum duplici modo oculis subjici posse.


Intonatio.

A. *vel* D.




IN e-xi-tu Israel de Ægypto,

Mediatio. *Terminatio.*




* domûs Ja-cob de po-pulo barba-ro.

In Monosyllabis, Hebræisque vocibus non declin.




Adjiciat Dominus super* vos.




MAgni-fi-cat * anima, &c. e u o u a e.


D.



LAu-da-te Dominum, omnes gentes, &c.




Spiri-tui sancto. e u o u a e.




MAgni-ficat * a-nima, &c. e u o u a e.


Sequens desinit pariter in D. majusc. sed cùm ultimam syllabam reddat caudatam, sitque de primo, caracterium defectu, notatur per J. *caudatum.*




i i u i a o. e u o u a e.




e u o u a e.



e u o u a e. e u o u a e.




e u o u a e.




Neuma I. Toni.


In Tonis imparibus, qui & Authenti dicuntur, Intonatio Canticorum Evangelicorum eadem est ac Psalmorum; in Plagis verò, seu paribus, differt, ut suis locis notatur.

A. 


LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis. 


NUnc dimittis servum tuum, Do-




-mi-ne. Magni-ficat, &c.

In Monosyllabis Hebræisque vocibus non declin. 


CRe-di-di, propter quod lo-cu-




tus sum. e u o u a e.

D. 


LAu-da-te Do-minum, omnes gentes.



Spi-ri-tu-i san-cto.




Be-ne-dic. Credi-di, propter quod locutus




ſum. Domine David. e u o u a e.


In Canticis Evangelicis,




BE-ne-di-ctus Do-minus De-us



Iſ-ra-el. Magni-ficat* a-ni-ma, &c. mi-hi




ma-gna qui po-tens eſt, &c.




Neuma.

III.



E.





LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e. Magni-fi-cat * a-ni-ma, &c.

a.  a. 

e u o u a e. e u o u a e.


b.  c. 

e u o u a e. e u o u a e.




Neuma.



I V.

E. 


LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

f.  D. 

e u o u a e. e u o u a e.


A. 

LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

c. d.




eu o u a e. e u o u a e.


In Canticis Evangelicis.



BEnedictus Dominus Deus Israel.




MAgni-fi-cat. Ma-gni-fi-cat.




Neuma.

V.


C.




LAu-da-te Dominum, omnes gentes.



e u o u a e.




CRe-di-di, propter quod lo-cu-tus sum.




qui potens est.


a.




LAu-da-te Dominum, om-nes gentes.



Spi-ritui ſan-cto.




e u o u a e. frumenti ſa-ti-at te.



Neuma.

V I.


C.




LAudate Dominum, omnes gentes.



& in ſe-cula e u o u a e.




CRe-di-di, propter quod locutus ſum.




Do-mi-ne David.

In Canticis Evangelicis.




BEne-dictus Dominus Deus Iſrael.




MAgnificat * a-nima me-æ Dominum.

C.




LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




& in ſe-cu-la. e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




BE-ne-dictus Dominus Deus Iſrael.




MA-gnificat.

F.




LAu-da-te Dominum, omnes gen-tes.




Spi-ritu-i ſan-cto. e u o u a e.

F.




e u o u a e.


In Canticis Evangelicis.



BE-nedictus Dominus Deus Israel.




MA-gni-fi-cat.




Neuma.

V I I.


G.




LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e. lu-ci-ferum ge-nu-i te.




CRe-di-di . . . . lo-cutus sum. Domine, David.



MAgni-fi-cat * a-ni-ma. qui po-tens est.

a. 


Spi-ri-tu-i san-cto. e u o u a e.

b. ç. 


e u o u a e. e u o u a e.

e. d. 

e u o u a e. e u o u a e.


d. 

e u o u a e.




Neuma.


VIII.

g. 


LAu da-te Dominum, o-mnes gentes.




Spi-ri-tu-i sancto.




CRe-di-di . . . . . lo-cu-tus sum. e u o u a e.

G.  c.


e u o u a e. Spi-ri-tu-i san-cto.

 d.


e u o u a e. e u o u a e.

In Canticis Evangelicis. 


BEnedictus Dominus Deus Israel.



MAgni-fi-cat * anima, &c. magna qui potens est.

Hæc quatuor verba dicuntur sub eodem cantu in secundo Modo. 


Quod pa-ra-sti.




Neuma.

Modus cantandi Absolutiones & Benedict.

Celebrans. *Absolutio.*




DEus det nobis cor omnibus ut colamus eum:




a-da-pe-ri at cor nostrum in le-ge su-a,

Chorus.




& in præceptis suis. Amen.

Lector. *Celebrans.*




Jube, Domne, benedicere. De-us



Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ,

℟.



det nobis spiritum sapientiæ. Amen.


(*Sic de aliis Absolutionibus & Benedictionibus.*)

Modus cantandi Lectiones secundùm varias punctuationes.

Lector : In Monosyllabis : In Hebræis vocibus non declinatis.




Et dixit : . . . locutus sum : . . . Sanctus Israel : . . .




Namquid, . . . uteri sui ? O sacrum convivium !

In Monosyllabis. *In Hebræis vocibus non decl.*




Fi-des fundamentum est. Sanctus Is-ra-el.




& portas tuas lauda-tio. Tu autem, Domine,

℟.




miserere nostri. Deo gratias.

Cùm verò non dicitur : Tu autem, Domine, &c. *postrema Lectionis verba sic cantantur.*




.... Non sub-si-stam .... in hoc non lau-do.

Modus cantandi Capitula.




GAude-te in Domino semper, i-terùm di-co,

Mediatio.





gaude-te : mo-de-stia ve-stra no-ta sit




o-mni-bus ho-mi-ni-bus ; Dominus enim

In Monosyllabis, Hebræisque vocibus non declin. ℟.







℟.




Mediatio.

In Monosyllabis, Hebræisque vocibus non declin.









Modus cantandi Orationes Tono recto.

Celebrans. ℟.




Celebrans.




ORemus. Deus, qui be-atum E-li-gium, &c.

℟.



. . . Per omnia ſe-cu-la ſe-cu-lo-rum. Amen.


Celebrans. ℟.



vel Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.


Modus cantandi Orationes Tono depreſſo.

Celebrans. *Chorus.*




DOminus vobiſcum. Et cum ſpi-ri-tu tu-o.


Celebrans.




ORemus. Deus, qui be-a-tum Eligium . . . .



concede pro-pitius : . . . . cum ipſo coronari




mereamur. Per Dominum. . . Fi-lium tuum:



qui tecum .... Per omnia secula seculorum.


Chorus.



Dominus vobiscum *ut suprà.*

A-men.

Celebrans. *Chorus.*



BE-ne-di-camus Domino. Deo gra-ti-as.



VILEGE DU ROI.

PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET
ARRE; A nos Amés & Féaux Conseillers les Gens
Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordi-
re Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs,
eurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il
: SALUT. Notre très-cher & bien-amé Cousin JEAN-
E LA CROPTE DE BOURZAC, Evêque-Comte de
de France, Nous a fait exposer qu'il auroit besoin
s de Privilége pour l'impression des *Usages de son*
S CAUSES, voulant favorablement traiter notredit
s lui avons permis & permettons par ces Présentes
imer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, tous
, *Diurna... Missels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Ma-*
els, *P... aux*, *Epistoliers*, *Pseautiers*, *demi-*
Directo... Heures, *Catéchismes*, *Ordonnances*,
, *Statu... aux*, *Lettres Pastorales & Instru-*
;e de s... Diocèse, en tels Volume, forme,
tère, conjointement ou séparément, & autant de
ui semblera; & de les faire vendre & débiter par
yaume pendant l'espace de *douze années* consécu-
pter du jour de la datte des Présentes; sans toute-
casion des Livres ci-dessus spécifiés, il puisse en
d'autres qui ne soient pas de notredit Cousin.
ses à tous Imprimeurs, Libraires & autres per-
uelques qualité & condition qu'elles soient, d'en
mpression étrangère dans aucun lieu de notre
mme aussi d'imprimer ou faire imprimer, vendre,
& débiter lesdits Livres, en tout ou en partie,
ucunes Traductions, ou Extraits, sous quelque
ce puisse être, sans la permission expresse & par
edit Cousin, ou de ceux qui auront droit de
de confiscation des Exemplaires contrefaits, de
res d'amende contre chacun des contrevenants,
Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre
t Cousin, ou à celui qui aura droit de lui, & de
lommages & intérêts. A la charge que ces Présentes
ées tout au long sur le Registre de la Commu-
imeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de
les; que l'impression de ces Livres sera faite dans
ne, & non ailleurs, en bon papier & beaux ca-
ormément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant
en vente, les Manuscrits ou Imprimés qui auront
s à l'impression desdits Livres, seront remis ès
très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France,

sieur DE LA MOIGNON, & qu'il en sera ensuite remis deux exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le sieur DE LA MOIGNON, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France, le sieur DE M[illegible] Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des présentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir notredit Cousin, & ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie des présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenue pour duement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos Amés & Féaux Conseillers Secrétaires, foi soit ajoutée comme à l'Original; Commandons au premier notre Huissier, ou Sergent, sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires; Car tel est notre plaisir : Donné à Versailles le *dix-septième* jour du mois [illegible] l'an de grace *mil sept-cent cinquante-cinq*, & de notre Regne le quarantième. Par le Roi en son Conseil.

Signé, [illegible]

Registré sur le Registre XIII de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, No 490. Fol. 392. *conformément au Réglement de 1723 qui fait défenses* Art. 4. *à toutes personnes de quelque qualité qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs ou autrement; & à la charge de fournir à la susdite Chambre* [illegible] *Exemplaires de chacun prescrits par l'*Art. [illegible] *du même Réglement : A Paris le vingt & un Mars* [illegible] *cinq.* Signé, DIDOT [illegible]

NOUS, JEAN-FRANÇOIS DE LA [illegible] Evêque-Comte de Noyon, Pair de France, [illegible] au sieur *Augustin-Martin* [illegible] à Paris, d'imprimer [illegible] de ce Diocèse; A Noyon, le [illegible] Octobre mil [illegible] quante-six.

Signé † J. FR. Evêque Comte de N[illegible]

PARISIIS,
Excudebat AUGUSTINUS-MARTINUS LOTTIN, [illegible]
via San-Jacobæa, [illegible] Galli.
MDCCLXVI.



